INSTITUTIONES
THEOLOGIÆ DOGMATICÆ
SPECIALIS.

TRACTATUS
DE VERBO INCARNATO.

AUCTORE

BERNARDO JUNGMANN,

Philos. et S. Theolog. Doct. ac Profess. ord. in S. Fac. Theol. Universitat. cath. Lovaniensis.

1872.

RATISBONAE, NEO-EBORACI ET CINCINNATII

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

TORNACI: H. CASTERMAN VIDUA.

PARISIIS: P. LETHELLIEUX, via Cassette 4. **TILBURGI:** W. BERGMANS.
ROMAE: P. DE MARIETTI (Propaganda) et J. SPITHOEFER.

Varios tractatus Theologiae Dogmaticae auctore Bernardo Jungmann Philos. et S. Theol Doct. ac Theologiae Professore in Seminario Brugensi, perlegimus; hoc opus eximium libenter approbamus et in votis habemus, ut in universi Cleri nostri manibus versetur.

Brugis in festo Pentecostes 1870.

A. Wemaer, Vic. gen.

Opus quod inscribitur: *Institutiones Theologiae dogmaticae specialis: Tractatus de Verbo incarnato, auctore Bernardo Jungmann, Philos. et S. Theolog. Doctore, ac Professore ordinario in S. Fac. Theol. Universitatis catholicae in oppido Lovaniensi,* ex auctoritate illustrissimi et reverendissimi Archiepiscopi Mechliniensis et legum Academicarum praescripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii die 9. Aprilis MDCCCLXXII.

A. J. Namêche, Rect. Univ.

TRACTATUS DE VERBO INCARNATO.

PROOEMIUM.

Genus hum. post lapsum

1. Quum natura generis nostri in protoparente per diaboli fraudem ex statu supernaturali prolapsa esset, in miserrîmam sane incidit tristissimamque conditionem. Assequendae sublimi illi felicitati quae ei proposita fuerat, extincto vitae supernaturalis principio, jam non erat apta; amissae erant gratia et sanctitas originalis, subtracta pariter reliqua dona eximia integritatis et immortalitatis, quibus in protoparentibus Deus hominum genus ornaverat, necnon singularis Dei protectio atque directio, quibus parentes illos Creator fuerat prosecutus Maxima autem erat propter vulnera, quae, donis supernaturalibus amissis, naturae inflicta sunt, ejus ad malum pronitas, atque impetus talis, ut a nemine nisi a solo Deo posset sisti ac cohiberi. Neque aliud restare videbatur, quam ut natura sibi relicta suo pondere et impetu instar fluminis cujusdam de peccato in peccatum ruens, per varios anfractus errorum et dolorum in pelagus exitii sempiterni devolveretur.

Redemptionis decretum

2. Sed Deus, cujus misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus, intimis misericordiae visceribus commotus statuit nos ex ista multiplici miseria eripere, et rursum ad statum supernaturalem erigere. Verum id nec ita convenienter nec satis fructuose fieri poterat, nisi et pro peccato justitiae divinae aequivalens satisfactio exhiberetur, et fons quidam perennis et inexhaustus, quo peccata quotiescumque homines in ea inciderent, deleri possent, constitueretur. Quapropter ut plena esset culpae reparatio et copiosa generis nostri redemptio, misericordia divina inauditum, admirabile, ineffabile, incomprehensibile omnibus saeculis, omnibus angelis et hominibus obstupescendum excogitavit consilium, nimirum ut Filius Dei; Sapientia genita per quam facta sunt omnia, naturam nostram sibi copularet, et in ea ac per eam totum genus humanum repararet.[1] Etenim *Dei Filius,* inquit s. Leo M., *secundum plenitudinem temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, reconciliandam auctori suo naturam generis assumpsit humani, ut inventor mortis diabolus per ipsam quam vicerat vinceretur. In quo conflictu pro nobis inito, magno et mirabili aequitatis jure certatum est, dum omnipotens Dominus cum saevissimo hoste non in sua majestate, sed in nostra congreditur humilitate, objiciens ei eamdem formam eamdemque naturam, mortalitatis quidem nostrae participem, sed peccati totius expertem.*[2] Hoc est illud, uti Apostolus ait, *magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*[3]

Tractatus indoles.

3. De hoc igitur *incarnationis et redemptionis mysterio* modo nobis tractandum est. Non est ut multis expo-

---

[1]) Cfr. Lessium de div. perf. l. 12. c. 3.

[2]) In nativ. Dom. serm. 1.

[3]) 1 Tim. 3, 16.

namus, quanti momenti sit, ea bene intelligere et perspecta habere, quae ad hoc dogma religionis nostrae pertinent. Omnes enim sciunt, incarnationis et redemptionis mysterium christianae religioni, que ab ipso Verbo incarnato et hominum Redemptore Christo originem habet et nomen, veluti intimam constituere essentiam, suumque proprium ei, si dicere fas est, dare characterem. Infinita vero esse bona, quae humano generi ex incarnatione ac redemptione provenerunt, superius jam commemoravimus. *Nihil enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset.* [1])

4. Animadvertendum est, ab antiquis Patribus Graecis incarnationis redemptionisque ordinem atque opera frequenter *οἰκονομιας* significari nomine, quo exprimunt providam illam ac beneficam curam, qua Deus usus est in genus humanum lapsum. Quam vocem Latini *dispensationis* vocabulo reddere solent. — Ut vero totius materiae aptam instituamus divisionem, in duas partes hunc *de Verbo incarnato* Tractatum dispescimus. Primum agemus de *Incarnationis mysterio*. Hac in parte videlicet admirabile illud et stupendum opus misericordiae divinae, quo Verbum caro factum est, *in se* considerabimus, ut, quantum infirmitati intellectus nostri conceditur, mysterium hoc juxta ea quae fides nos docet exponamus et illustremus. Altera pars erit de *mysterio Redemptionis*. Considerabimus videlicet opus illud *prae scopo suo ac fine*, qui fuit redemptio lapsi generis humani. Haec est ea divisio, quae ex rei natura nobis veluti profluere caeterisque aptior esse videtur. Eamdem etiam s. Thomas sequitur, ubi in Summae theologicae Parte tertia *de Salvatore* agit. *Duplex,* inquit, *consideratio occurrit. Prima est de ipso Incarnationis mysterio, secundum quod Deus pro nostra salute factus est homo;*

Divisio.

---

[1]) Ecclesia in cantico *Exultet*.

secunda de his, quae per ipsum Salvatorem nostrum sunt acta et passa. Ea videlicet quae per Salvatorem nostrum acta et passa sunt, constituunt redemptionis opera. Singula quidem haec opera non perpendemus, sed eadem considerabimus sub generali sua ratione, quatenus iisdem redemptio generis humana facta est.

5. Opportunum postremo videtur animadvertere, in hoc *de Verbo incarnato* tractatu de iis, quae Salvatoris futuri promissionem per prophetas, ejus adventum, opera mira et passionem spectant, propterea non fusius agi, quia haec tractanda potius videntur in theologia dogmatica generali. Eo enim ista maxime pertinent, ut divina origo religionis christianae probetur, et revelatio per Christum facta contra Judaeos vindicetur. Si quae tamen occurrunt prae caeteris opportuna, ut mysterii incarnationis et redemptionis veritas stabiliatur ejusque indoles explanetur, quantum necessarium est ea attingemus.

PARS PRIMA.

DE INCARNATIONIS MYSTERIO.

6. Definiri solet a theologis *incarnatio* ita ut dicatur: *Naturae humanae cum natura divina in una persona Verbi conjunctio.* Ejusmodi porro conjunctio, uti patet, considerari potest vel *efficienter* et *active* ut operatio divina, vel *in suo termino* ut status inde proveniens. Sub respectu priori incarnatio consistit in unitione naturae humanae cum Verbo divino in unitatem personae, ad humanum genus redimendum. Sub altero respectu incarnatio est unio hypostatica naturae divinae simul et humanae in una Verbi persona. — Ratione vero humanitatis assumptae Verbum divinum, secunda persona sanctissimae Trinitatis unigenitusque Filius Dei, appellatur *Verbum incarnatum*, *Jesus* i. e. Salvator, vel *Christus*, i. e. per excellentiam Unctus. *Messias enim*, ait s. Augustinus, *hebraice, Christus graece, est latine Unctus; ab unctione enim dicitur unctus, ille singulariter unctus, praecipue unctus, unde omnes Christiani unguntur.* [1])

Incarnationis notio.

---

[1]) Tract. 7. in Jo. n. 13. — De hoc Christi nomine notare ab initio juvat, quae habet Catech. Rom. »Jesus nomini, Christi etiam nomen additum est, quod unctum significat, et honoris et officii nomen est, nec unius rei proprium sed commune multorum; nam veteres illi

Materiae distributio.

7. Quum igitur in Christo Domino duplex inveniatur natura, divina videlicet et humana, primum agemus de *Christi divinitate et humanitate*, verumque Deum ac verum hominem Jesum Christum Dominum nostrum fuisse ostendemus, et contra haereticorum errores vindicabimus. Dein vero tractabimus de *unione hypostatica ejusque consectariis.* Ratio videlicet mysterii incarnationis maxime pendet ex unione hypostatica, qua natura divina et humana in persona Verbi incarnati unitae sunt. Atque ex ineffabili ista unione reliqua, quae de persona Christi in concreto, ac de iis quae Christo, Verbo incarnato, conveniunt, tenenda sunt, veluti sponte consequuntur. In singulis autem capitibus data oportunitate etiam ea exponemus, quae de Beatae Mariae virginitate perpetua, et de vera ac summa ipsius Genitricis Dei dignitate dicenda sunt. Quumque haereses multiplices, quibus Incarnationis mysterium impugnatum fuit, vel divinitatem Christi vel ejus humanitatem, vel unionem hypostaticam, ac Genitricis Dei impetierint praerogativa, uti rerum ordo fert, suis locis eas quoque proponemus et refutabimus.

Patres nostri *Christos* appellabant sacerdotes et reges, quos Deus propter muneris dignitatem ungi praeceperat... Prophetas etiam ungendi mos fuit, qui Dei immortalis interpretes et internuntii coelestia arcana nobis aperuerunt, atque ad emendandos mores salutaribus praeceptis et futurorum praedicatione hortati sunt. At vero, quum Jesus Christus Salvator noster in mundum venit, trium personarum partes et officia suscepit, prophetae, sacerdotis ac regis, atque ob eas causas Christus dictus est, et unctus ad illorum munerum functionem, non quidem alicujus mortalis opera, sed coelestis Patris virtute, non terreno unguento, sed spirituali oleo: quippe quum in sanctissimam ejus animam Spiritus sancti plenitudo, gratiaque, et omnium donorum uberior copia effusa sit, quam ulla alia creata natura capere potuerit. Atque id praeclare propheta ostendit, cum redemptorem ipsum affatus diceret: Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis.« P. 1. a. 2. n. 9 et 10.

CAPUT I.

DE DIVINITATE ET HUMANITATE CHRISTI.

Articulus I.

DE DIVINITATE CHRISTI.

Status quaestionis.

8. Christum Dominum legatum fuisse divinum, adeoque religionem quam instituit divinam habere originem, in Theologia dogmatica generali ostenditur. Plurima vero argumenta quae afferuntur ad hanc divinam originem religionis Christianae evincendam ita comparata sunt, ut simul et Deum esse Jesum Christum demonstrent. Id enim profecto ex vaticiniis prophetarum, et ex miraculis plerisque quae in vita Salvatoris occurrunt, luculenter colligitur. Sed ea probatione omissa, ex fontibus fidei modo theologicam petemus demonstrationem divinitatis Christi Domini, eamque praesertim contra eos dirigemus haereticos, qui non rejecta missione Christi ut legati Dei, ejus tamen divinitatem negarunt. Ostendemus igitur, Jesum, qui natus in hunc mundum *in terris visus est et cum hominibus conversatus*[1]), divinam habuisse naturam, seu verum Deum fuisse. Etiam in Tractatu de sanctissima Trinitate quaestionem hanc de divinitate Christi paucis attigimus; fusiorem tamen demonstrationem huic reservavimus loco.

Errores.

9. Imprimis quinam fuerint haeretici qui Christi divinitatem negarunt, quidve singuli opinati fuerint, breviter praemittamus. — Tribus prioribus saeculis variae exortae sunt sectae, quae divinitatem Christi rejecerunt. Jam aevo Apostolico Cerinthiani effutierunt, Jesum tantummodo hominem fuisse ex Josepho et Maria genitum. Christum vero esse unum e felicioribus aeonibus, a Deo missum ad aeonum rebellium tyrannidem, qua hominibus dominabantur, dirimendam. Hunc aeonem Christum in Jesum ad Jorda-

---

1) Baruch. 3, 38.

nem descendisse, et postea, quum is in crucem ageretur, ad coelum rediisse. Similia etiam ab aliis factionibus Gnosticis et ab Ebionitarum secta docebantur. Contra eos scripsit suum Evangeliuum s. Joannes, uti testatur inter alios s. Hieronymus lib. 19. de scriptoribus ecclesiasticis. *Novissimus*, inquit, *scripsit* (Joannes) *evangelium, adversus Cerinthum aliosque haereticos et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt, Christum ante Mariam non fuisse.*

10. Errores illos instauravit, ut alios omittamus, Paulus, ab urbe patria dictus Samosatenus, Demetrii in episcopatu Antiocheno a. 260 successor, vir astutus, laudis et bonorum cupidus, fastu et arrogantia elatus. Docuit autem, non esse nisi unam personam divinam, quae in ss. Scripturis Pater vocetur; Verbum seu Filium non esse personam, sed Dei sapientiam seu rationem, quae ita Deo insit, sicuti ratio inest homini. Jesum Christum fuisse merum hominem qui tum solum existere coeperit, quum a Maria conciperetur; ei in conceptione conjunctam fuisse Dei rationem, qua homines salutis viam docuerit, miracula patraverit, et Filius Dei seu etiam Deus improprio sensu dici meruerit. Adversus Paulum ejusque haeresim duo habita sunt Antiochiae concilia. In prima quidem synodo, quam Episcopi Syri a. 264 celebrarunt, impias Pauli doctrinas execrati sunt; de ipso tamen, quum spem daret emendationis, mentem suam ambiguis locutionibus occultaret, seseque catholice sentire simularet, judicium non tulerunt. At quum in sententiis suis pravisque moribus pertinax existeret, a. 269 in altera septuaginta episcoporum synodo Antiochena haereseos convictus, depositus et excommunicatus est. — Pauli Samosateni haeresim secutus est Photinus episcopus Sirmiensis, qui in synodo Sirmiensi a. 357 damnatus fuit.

11. Arianorum variae factiones, quum Verbi divinitatem inficiarentur, necessario etiam in eum inciderunt errorem, ut Christum verum Deum fuisse negarent. Docebant praeterea, Verbum non integram humanam naturam,

sed solam carnem assumpsisse.[1]) Damnati autem sunt in Concilio oecumenico Nicaeno, variisque aliis synodis.

12. Inter haereticos recentiorum temporum Sociniani, sicuti Trinitatem, ita et Christi Domini divinitatem rejiciunt. Docent videlicet, Christum fuisse merum hominem; eum quidem missum esse a Deo ad salutem generis humani, sed non soluto pretio genus humanum redemisse ac Deo proprio modo satisfecisse. Contendunt, fidem divinitatis Christi primum a Nicaenis Patribus ex intemperanti odio contra Arianos esse decretam, et statuunt, tantum impropria ratione Christum appellari posse Deum, non natura, sed gratia et adoptione. Socinianos vero multi sequuntur ex recentioribus protestantibus. Dogma enim de divinitate Christi jam a pluribus illorum haereticorum non accensetur articulis fundamentalibus. Rationalistae autem eo impietatis progressi sunt, ut Christum habeant merum hominem illis adnumerandum viris, qui divina providentia variis temporibus excitati fuerunt, ut obscurae et imperfectae religionis cognitiones magis evolverentur et perficerentur, atque deinde populorum desideriis, ipsorum hominum ingenio, ac civilisationis quam dicunt statui adaptatae, felicissimo successo proponerentur.

13. Impiis hisce erroribus breviter recensitis, adstruimus fidei nostri dogma, quo profitemur, Jesum Christum verum esse Deum.

Propositio

Propositio. — *Tum Scripturae sacrae, tum Traditio*

---

[1]) Arianorum haeresis hisce verbis a s. Augustino describitur: »Ariani, ab Ario, in eo sunt notissimi errore, quo Patrem, Filium et Spiritum sanctum nolunt esse unius ejusdemque naturae atque substantiae, aut ut expressius dicatur essentiae, quae *οὐσια* graece appellatur; sed esse Filium creaturam, Spiritum vero sanctum creaturam creaturae, hoc est, ab ipso Filio creatum volunt. In eo autem, quod Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt: nec adversus eos ab aliquo inveni de hac re fuisse aliquando certatum. Sed hoc verum esse et Epiphanius non tacuit, et ego ex eorumdem quibusdam scriptis et collocutionibus certissime comperi.« De haer. n. 49.

Patrum constansque Ecclesiae doctrina eam proponunt fidei veritatem, Jesum Christum, quem ut filium hominis in tempore natum et in terris conversatum esse nunc sumimus, verum esse Deum, seu naturam divinam in ipso esse agnoscendam et profitendam.

Praenotanda. Praenotanda. — Ut indoles demonstrationis, quae ex fontibus fidei ad divinitatem Christi probandam hauritur, melius intelligatur, animadvertendum est, quaedam esse argumenta, quibus directe divinitas Verbi et Filii Dei unigeniti probatur, quaedam vero, quibus directe ostenditur, Jesum Christum (Verbum incarnatum) verum Deum esse.

Argumenorum indoles. Utraque a theologis promiscue proferri solent, ubi de divinitate secundae personae sanctissimae Trinitatis vel de divinitate Christi agitur. Atque id merito fieri potest. Etenim Jesum Christum in Scripturis novi Testamenti a Verbo aut Filio Dei non distingui, sed unum eumdemque esse, res est tam aperta et cum tanta consensione etiam ab Antitrinitariis reliquisque haereticis admissa, ut probatione non indigeat. Omnibus sane qui sacras Litteras legunt notum est, frequenter Jesum se appellare Filium Dei, ac talem ab Apostolis praedicari atque probari. Unde etiam haeretici illi simul divinitatem Christi et existentiam secundae personae sanctissimae Trinitatis rejiciunt, ac Jesum Christum non nisi filium Dei adoptivum dici praetendunt. Verbum vero statuunt non personale esse, sed insitam Dei rationem, cujus participatione homo Jesu ornatus fuerit. — Haec igitur opportune notantur, ut pateat, quibus argumentis res de qua agimus possit evinci. Nos tamen, quum brevitati consulentes ex plurimis Scripturarum testimoniis tantum aliqua seligamus, ea afferemus, quibus vel simul divinitas Verbi et Christi (Verbi incarnati) probatur, vel directe divinitas Jesu Christi adstruitur.

S. Scriptura. 14. Demonstratio. — *Scripturae sacrae* igitur splendidissimum testimonium, quo perspicue ostenditur Verbi et Christi divinitas, continetur solemni initio Evangelii s. Joannis, quod testantibus ss. Patribus ad vindicandam Christi divinitatem jam diximus esse scriptum. *In principio*, in-

quit Evangelista, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum (και Θεος ἠν ὁ λογος). Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt... Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiae et veritatis... Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia, quia lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu patris ipse enarravit.* [1]) Initium hoc Evangelii secundum Joannem quam rebus arduum et indeprehensum, tam verbis clarum est et facile, ita ut divinitas Verbi, incarnatio ejus, adeoque divinitas Christi maxima perspicuitate in eodem ab Evangelista proponatur. Verbo enim ea attribuit, quae Deo soli conveniunt, et expresse etiam Verbum esse Deum edicit. Idem dein Verbum hominem factum esse asserit, adeoque Jesum Christum pariter divinam naturam habere.

15. Sed ut argumentum pro divinitate Christi ex hoc capite haustum pleniore fulgeat splendore, ad quaedam puncta ea quae ibidem proponuntur revocare, opportunum erit. Itaque 1° solemni modo aeternitatem Verbi Evangelista praedicat sublimi illo initio: *In principio erat Verbum.* Principii vocem hic *absolute* sumendam esse existimamus, quatenus aeternitas, ut continuum perfectumque principium considerari potest, eo quod eam nulla duratio

[1]) Jo. 1, 1. 14.

praecedit.[1]) Illud autem Verbum non intelligi insitam Deo rationem, sed personam propriam a Patre distinctam, tum ex eo patet, quod in subsequentibus multae actiones personales eidem tribuuntur, tum diserte jam exprimitur eo, quod *apud* Deum, προς Θεον, non ἐν Θεῳ, Verbum fuisse dicitur. — 2º Diserte s. Joannes divinitatem Verbi proclamat illis verbis: *Et Deus erat Verbum*, και Θεος ἠν ὁ λογος. In qua propositione quidditas seu natura Verbi determinatur, et ipsa divina natura ei tribuitur. Est enim, si grammaticam constructionem spectas, *subjectum* Verbum, cui ut *praedicatum* tribuitur Deus. Id tum ex contextu et dictione latina jam per se satis clarum est, tum peremptorio modo ex textu graeco confirmatur. Omnes enim, qui linguam istam intelligunt, sciunt, in propositione και Θεος ἠν ὁ λογος, eam vocem cui articulus definitus appositus est, (ὁ λογος), non nisi subjecti loco esse posse, vocem vero quae articulo caret, (Θεος), locum habere praedicati, quod subjecto tribuitur. — 3º Ea huic Verbo Evangelista attribuit, quae soli Deo conveniunt. Praedicat Verbum ut omnium rerum Creatorem; *omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil;... mundus per ipsum factus est.* In Verbo est fons atque origo omnis vitae, lucis ac veritatis, tum pro ordine naturali, tum pro ordine supernaturali; imo Verbum substantialiter est ipsa vita et lux seu veritas, quod sane uni Deo convenit. *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt... Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* — 4º Idem Verbum, quod verum Deum esse praedicaverat, docet dein hominem fac-

[1]) Alii auctores vocem *principii* ita sumunt, ut *relative* dicatur ad res subsequentes, et significetur, in principio rerum, antequam alia quaecumque essent, jam fuisse Verbum. Etiam sic aeternitas Verbi exprimitur, quum eo ipso, quod Verbum fuisse dicatur antequam esset qualiscumque creatura, perpetuo illud fuisse doceatur. Attamen nos existimamus, in hoc textu s. Joannis vocem *principii* absolute adhiberi, ut directe aeternitas eadem significetur.

tum esse, habitasse in nobis, esse eum Jesum Christum, cujus opera mira ac doctrinas continuata exhibet narratione. *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* etc. Hominis naturam hic per synecdochem *carnis* exprimit. Quum enim s. Apostolus impeteret Docetas, qui phantasticam tantum humani corporis speciem Christo tribuebant, apposite inde ab initio, uti frequenter in sacris Litteris fit, integram humanam naturam per synecdochem ex parte materiali et visibili denominat, ut hujus partis realitatem inculcet. — 5⁰ Ipsi Verbo incarnato Jesu Christo plenitudinem porro gratiae omnis et veritatis attribuit, atque illud iterum ut fontem exhibet omnis supernaturalis vitae, in hoc tempore et in aeterna beatitudine. *Verbum caro factum est et habitavit in nobis ... plenum gratiae et veritatis. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* De hoc Verbo incarnato Jesu Christo dein totum scribit Evangelium suum, ea intentione, *ut credamus, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes habeamus vitam aeternam.* [1])

16. Quae in sublimi hoc Evangelii s. Joannis initio de divinitate Verbi et Christi splendido veluti compendio docentur, eadem innumeris aliis sacrae Scripturae testimoniis pariter inveniuntur. Quum singillatim omnia exponere longum esset, paucis videbimus, hanc Jesu Christi divinitatem probari *testimonio Patris* aeterni, *et testimonio ipsius Domini*, qui ea quae de se ipso affirmabat plurimis confirmabat prodigiis ac prophetiis; eamdem demum comprobari *testimonio Apostolorum*, qui inspirante s. Spiritu Deum esse Jesum Christum in sacris Littteris multoties praedicant. Unde apparebit, quam absurde Sociniani, dum missionem Christi Scripturarumque auctoritatem admittunt, Domini divinitatem inficiantur.

Testimonium Patris.

17. Quod igitur attinet ad *testimonium Patris*, illud datum fuit in baptismate Jesu. *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua; et ecce aperti sunt ei coeli,*

[1]) Jo. 20, 31. — Cfr. Franzelin, De Verbo inc. th. VIII.

et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. [1] Repetitum fuit hoc testimonium in monte Thabor in transfiguratione Domini, quando vox facta est de nube dicens: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite.* [2] Filium igitur *suum*, filium *dilectum* Jesum Christum esse, aeternus Pater testatur. Ad hoc testimonium Patris etiam provocat s. Petrus scribens: *Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et praesentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem audivimus de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.* [3]

Testimonium Christi.

18. Divinitatem suam *Christus Dominus ipse* frequenter ac diserte affirmat. Atque de hoc ipsius Christi testimonio aliquanto fusius agendum est, quum Sociniani quocumque modo illud pervertere et erroribus suis aptare nitantur. — Testatur itaque Jesus, quamvis Judaei eum haberent ut filium Joseph, non alium nisi *Deum esse Patrem suum*, se esse *Filium Dei, Filium Dei vivi,* [4] *Filium Dei unigenitum, qui missus est in mundum,* [5] *qui ex Deo pro-*

---

[1]) Matth. 3, 17.

[2]) Luc. 9, 35.

[3]) 2 Petr. 1, 17, 18.

[4]) Edente Petro gloriosam illam confessionem: »Tu es Christus Filius Dei vivi,« Jesus respondens ei dicit: »Beatus es Simon Bar Jona, quia non caro et sanguis revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est« Matth. 16, 17. 18.

[5]) »Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non judicatur: qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.« Jo. 3, 16 et sqq.

cessit,[1]) *qui descendit de coelo et est in coelo,*[2]) *qui est simpliciter et absolute principium;*[3]) *qui erat in gloria apud Patrem, priusquam mundus esset;*[4]) *qui est, antequam Abraham fieret.*[5]) Manifestum ex his est, non filiationem aliquam adoptivam sibi a Christo attribui, sed naturalem, qua ejusdem est ac Pater divinae naturae, qua est, ut ipse Pater, Deus aeternus, omnipraesens, omniumque principium. — Quemadmodum vero *perfectiones*, ita et *operationes* quae solius Dei sunt et esse possunt, Christus Dominus non minus sibi, quam Patri convenire testatur, eo quod ratione originis ipsi communicatae sint. Sicut Pater, ita et Filius *dat vitam aeternam*,[6]) *habet vitam in semetipso, et quos vult vivificat, ac suscitat mortuos;*[7]) non solum, quod unius Dei est, *peccata dimittit*, sibique hanc

---

[1]) »Dixit ergo eis Jesus: Si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi et veni: neque enim a me ipso veni, sed ille me misit.« Jo. 8, 42.

[2]) »Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.« Jo. 3, 13.

[3]) »Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium, qui et loquor vobis.« Jo. 8, 25.

[4]) »Et nunc clarifica me Tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.« Jo. 17, 5.

[5]) »Dixit eis Jesus: Antequam Abraham fieret, ego sum.« Jo. 8, 58.

[6]) »Oves meae vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum.« Jo. 20, 27. 28.

[7]) »Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Propterea ergo magis quaerebant cum Judaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, faciens se aequalem Deo. Respondit ergo Jesus et dixit eis: Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit... Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat: sic et Filius quos vult vivificat... Amen, amen, dico vobis, quia venit hora et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei: et qui audierint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso; sic dedit et Filio habere vitam in semetipso: et potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est. »Jo. 5. 19 et sqq.

potestatem miraculo vindicat,[1]) sed etiam *Apostolis suis Spiritum sanctum potestatemque dimittendi peccata communicat.*[2]) Sic et *Petro dat claves regni coelorum,* asseverans, ut quodcumque ligaverit super terram, ligatum sit in coelis;[3]) latroni crucifixo cum ipso et poenitenti *pollicetur paradisum,*[4]) discipulis, *se missurum esse Spiritum sanctum*;[5]) dat iis *potestatem in suo nomine ejiciendi daemonia, sanandi aegrotos, aliaque operandi prodigia*;[6]) ac *promittit, se daturum esse, quidquid in nomine suo a Patre vel ab ipso petierint.*[7])

19. Quodsi talem potestatem divinam Christus sibi adscribit, simul vero saepius edicit, *omnia sibi communicata esse a Patre,* id inde est, quia quidquid Filius habet, origine generationis aeternae communicatum habet a Patre. Caeterum vero eamdem habet et *unam cum Patre naturam divinam,* quod diserte docet illis verbis: *Ego et Pater unum sumus... Pater in me est et ego in Patre;*[8]) *qui videt me, videt et Patrem*;[9]) *omnia quaecumque habet Pater, mea sunt.*[10]) Unde etiam Christus Dominus eam, quae uni Deo gloria danda est,[11]) sibi vindicat et postulat, *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*[12]) Quum vero cultus divinus hac in vita ad *fidem, spem,* et *caritatem* revocetur, hunc cultum jubemur ipsi tribuere. Sicut

---

[1]) »Ait paralytico: Fili, dimituntur tibi peccata tua... Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico): Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum et vade in domum tuam. Et statim surrexit etc. »Marc. 2, 5. 10. 11.

[2]) Jo. 20, 21 et sqq. [3]) Matth. 16, 19. [4]) Luc. 23, 43.

[5]) Jo. 16, 7. [6]) Marc. 16, 17.

[7]) »Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, faciam: ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.« Jo. 14, 13. 14.

[8]) Jo. 10, 30, 38. [9]) Jo. 14, 9.

[10]) Jo. 16, 15.

[11]) »Scriptum est: Ego Dominus; hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.« Isa. 42, 8.

[12]) Jo. 5, 23.

enim in Patrem ita et *in Filium* Christus *fidem imperat*;[1]) atque *cibus manens in vitam aeternam*, et *opus Dei quod operari jubemur est*, *ut credamus in ipsum*, *quem misit Pater.*[2]) Vult, ut *spem nostram in ipso ponamus*, quum promittat, se omnibus locis et omni tempore suis adfuturum,[3]) seque facturum, quidquid in ejus nomine petierint.[4]) Quae quidem non nisi de Deo unquam dicta sunt, aut dici possunt. — Et sicut scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* (Marci 12, 29), ita Jesus Christus non solum frequenter monet: *Manete in me*, *manete in dilectione mea*; *qui diligit me*, *diligetur a Patre meo*, sed etiam talem amorem postulat, ut ei caetera omnia postponantur.[5]) Si qui vero cultum divinum ei exhibent, fidemve suam in eum ut Dei Filium ac verum Deum profitentur, Jesus nullatenus id prohibet, sed tales ob fidem suam laudat, et vult, ut reliqui eos sequantur. Sic a caeco nato, cui oculos aperuerat, postulat, ut credat in Filium Dei. Interroganti autem: *Quis est Domine*, *ut credam in eum?* significat, se ipsum esse. *At ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum.*[6]) Beatum praedicat Petrum ob confessionem suam, et pariter quando Thomas fidem in resurrectionem Christi et divinitatem ejus profitens *dixit ei*: *Dominus meus et Deus meus; dixit ei Jesus*: *Quia vidisti me*, *Thoma*, *credidisti: beati*, *qui non viderunt et crediderunt.*[7]) — Merito igitur cum s. Cyrillo Alexandrino argumentari possumus: *Factus est Christus minister*, *hoc est mediator*, *non ut alteri fidem conciliaret*, *sed ut sibi*

---

1) »Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum: et in me credite.« Jo. 14, 1.

2) Jo. 6, 27, 29.

3) »Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.« Matth. 18, 20. »Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.« Matth. 28, 20.

4) Jo. 14. 14.

5) »Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.« Matth. 19, 37.

6) Jo. 9, 35 et sqq. 7) Jo. 20, 28. 29.

ipsi et Patri per ipsum ... Si ergo Deus est, bene res habet; Deo enim servire invenimur. Si vero homo tantum est, inanis profecto est fides nostra, ut quae non Deo nos conjungit, sed homini. Atqui hoc plane impium. Deus ergo Christus. [1])

20. Christum Jesum testatum fuisse, se Filium Dei proprium et verum Deum esse, postremo etiam inde luculenter confirmatur, quod, tum *ipsi adversarii Christi ejus assertiones ita intellexerunt*, tum Dominus, quamvis propterea maximum eorum odium in se excitaret, blasphemiae accusaretur et mortis judicaretur reus, nullatenus tamen istam adversariorum opinionem explicatione diluit, sed confirmavit. *Circumdederunt*, narrat Evangelista Joannes, *eum Judaei, et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit Jesus: Loquor vobis, et non creditis. Opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meae vocem meam audiunt; et ego cognosco eas, et sequuntur me. Et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi majus omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus. Sustulerunt ergo lapides Judaei, ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Judaei: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu homo quum sis, facis te ipsum Deum.* [2]) Haec paulisper illustremus. Non difficile imprimis est animadvertere, permultos Judaeos carnales, quamvis Christum exspectarent, nihil de ejus divinitate cogitasse, quemadmodum nec de ejus passione cogitarunt. Christus ab eis *filius David* appellari solet. Dicebant turbae miraculis Christi perculsae: *Numquid hic est filius David?* Asseverare etiam

---

[1]) De recta fide; opp. t. 5. n. 120.

[2]) Jo. 10, 24 et sqq.

possumus, Dominum Judaeis gratum fuisse facturum, si Christum se esse sine ulla divinitatis praedicatione declarasset. Alterum ambitiosis illorum optatis, juxta eum quem de Christo habebant conceptum, favebat, alterum penitus repugnabat, quum mysterium Dei incarnati qui passurus erat, suscipere et agnoscere non vellent. Sed Christus Dominus verbis perspicuis ipsis suam proponit divinitatem. Unius operationis et potentiae cum Patre se esse edicit, ac dein clare affirmat: *Ego et Patre unum sumus.* Judaei *non in verbis* Christi obscuritatem inveniunt, *sed ipsa res* quam perspicue asserit, ipsorum provocat irritationem et odium. De blasphemia ipsum accusant, quod Deum se faciat, ac propterea lapides arripiunt, ut ipsum interficiant. Quodsi Christus non fuisset Deus, jam aperte, ne omnibus scandalum poneret, debuisset declarare, se tantum esse Dei legatum, et omnia evitare, quae perniciosissimo errori occasionem praebere potuissent. Sed Christus animas quidem Judaeorum argumentatione quadam studet reddere magis paratos, ut mysterium divinitatis suae admittant,[1]) simul vero eam denuo confirmat illis verbis: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre.*[2]) Optime intelligunt Judaei, Christum persistere in asserenda divinitate sua; nam pergit Evangelista: *Quaerebant ergo eum apprehendere; et exivit de manibus eorum.*[3])

21. Sic etiam Dominus quando captus, ad Caipham adductus, solemniterque ab ipso interrogatus fuit, se Filium Dei esse affirmat, quamvis inde blasphemiae accusaretur

---

[1]) »Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi: dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum.« Jo. 20, 34. 35. 36. De his versibus, quibus Sociniani abutuntur, inferius fusius loquemur.

[2]) Jo. 10, 37. 38. [3]) Jo. 10, 39.

et mortis reus judicaretur. *Et princeps sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dicis... Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.*[1]) Perspicuum est, agi hic de Filio Dei vero et proprio, et ideo blasphemiae Dominum accusari ac mortis reum judicari, quia talem se dicebat. — Etiam coram Pilato haec accusatio a reliquis omnino distinguitur et ultimo proponitur, quum Pilatus declarasset, se causam in Jesu non invenire. *Responderunt ei Judaei: Nos legem habemus et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.*[2]) Appellant hic ad legem, quae habetur Levit. 24, 16: *Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur;* ac damnari statim volunt Christum, ut manifestae impietatis et blasphemiae reum, quia scilicet omnino fieri non potest, ut nudus et simplex homo, qualem Jesum Christum esse volebant, sine summo scelere horrendaque blasphemia Filium Dei se faciat. — Perspicuum igitur ex his omnibus est, Jesum testatum fuisse, se esse proprium ac naturalem Dei Filium, eoque sensu Judaeos ejus intellexisse sententias; atque impio simul et inani labore a Socinianis Scripturas perverti, quum praetendunt, agi tantummodo de filiatione divina impropria et adoptiva.

---

[1]) Matth. 26, 63 et sqq. — Ex s. Luca, qui distinctius ordinem observat, apparet, utramque quaestionem, utrum Jesus esset Christus et Filius Dei, separatim propositam fuisse. Prima quaestio fuit: *Si tu es Christus, dic nobis.* Jesus respondet et ait illis: *Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem et interrogavero non respondebitis neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens a dextris virtutis Dei.* Quum his verbis, uti ex aliis Exangelistis clarius patet, Jesus de judicio futuro loqueretur, sibique verba applicaret psalmi: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, inde inferunt et interrogant: *Tu ergo es Filius Dei?* Manifeste intelligunt Filium proprium. Et Jesus respondens ait: *Vos dicitis, quia ego sum.* Luc. 22, 66 et sqq.

[2]) Jo. 19, 7.

Testimonium Apostolorum.

22. Non minus splendida et perspicua sunt *testimonia Apostolorum* eorumque doctrina de divinitate Christi Domini. Iis, quae superius jam adduximus ex initio solemni Evangelii s. Joannis, pauca addimus. Imprimis igitur disertis verbis Apostoli affirmant, Jesum Christum esse verum Deum. Sic in Epistola sua prima s. Joannes: *Scimus,* scribit, *quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, et vita aeterna.*[1]) Eodem modo s. Paulus ait: *Ex quibus (Israelitis) est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.*[2]) Et in Actibus Apostolorum idem monet Majores natu Ecclesiae, Mileti congregatos: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*[3]) Jesum Christum, qui sanguine suo nos redemit, hic diserte Deum dicit.

23. Docent porro Apostoli, Jesu Christo totam perfectionem et plenitudinem divinitatis inesse, operationem divinam ei adscribunt, honoremque divinum ei vindicant. Aliqua sufficiat adducere s. Pauli effata. Ad Colossenses: *In ipso* (Christo) scribit, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*[4]) In Christo videlicet inhabitat plena deitas,

---

[1]) 1 Jo. 5, 20.

[2]) Rom. 9, 5. — Rationalistae plures, quos satis inconsiderate quidam catholici scriptores secuti sunt, praetendunt, in hoc versu punctum figendum esse post verba *secundum carnem;* et doxologiam quae sequitur propositionem esse in se absolutam, atque non ad Christum, sed ad Deum Patrem referendam. Talis interpunctatio expostulari non potest nisi ab iis, qui non quod argumenta interna et externa ut plane certissimum demonstrant, sed quod praeconceptae sententiae congruit unice ratum habent. Si contextum spectas, manifestum est, illam doxologiam convenire Christo Omnes ss. Patres ne uno quidem excepto eam ad Christum referunt, et ex 250 codicibus examinatis, ab adversariis non potuerunt afferri nisi quinque vel sex ex saec. XII., qui aliam a communi et inter se dissentientem interpunctationem habent. Unde lectio ab Ecclesia recepta omnino certa est. Sufficit haec breviter innuisse; plura vide ap. Franzelin, De Verbo incarn. Th. IX.

[3]) Act. 20, 28. [4]) Coloss. 2, 9.

non solummodo per gratiam et mirabilium operum efficientiam, uti in justis et sanctis, sed corporaliter i. e. per unionem ipsius divinitatis incorporalis cum corporea substantia seu carne humana in persona Verbi, secundum illud: *Verbum caro factum est.* — Et initio epistolae ad Hebraeos multis illam Christi divinitatem extollit. A Prophetis secernit Filium, per quem Deus nobis locutus est; ipse constitutus est haeres universorum; per ipsum facta sunt saecula; ipse est splendor gloriae Patris et figura substantiae ejus. Quum angeli sint Dei ministri, ipse est Filius, quem angeli adorant; ipse est Deus, ipse Dominus, qui in principio terram fundavit; ad ipsum dicit Pater: *Sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*[1] Et in epistola ad Philippenses, quum humilitatem Domini in exemplum proponat, simul ejus aeternam divinitatem praedicat, omnesque aliquando divinum honorem ipsi exhibituros esse, docet. *Hoc enim sentite in vobis*, (iste sensus sit in vobis), *quod et in Christo Jesu. Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum*

---

[1]) »Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula. Qui cum sit splendor gloriae (Sap. 7, 26) et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum accipiens sedet ad dexteram majestatis in excelsis: tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu: ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos (προς, relate ad, vel de angelis) quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi..... Et: Tu in principio, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli: Ipsi peribunt, tu autem permanebis... Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede ad dextris meis etc. Hebr. 1, 1—14.

factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. [1]) Apostolus igitur ad humilitatem fideles provocat, proposito Christi exemplo et praemio. Quum ab aeterno Christus esset Deus, ineffabili modo se exinanivit formam servi accipiens, et humiliavit se usque ad mortem crucis. Propter ejusmodi humiliationem, etiam quoad naturam humanam assumptam summo honore eum Deus exaltavit. Nam etiam in humana natura sua, quum sit persona divina, Verbum incarnatum super omnes est, nomen ejus est super omne nomen, et in nomine Jesu omne genu flectitur, seu honor divinus Domino Jesu ab omnibus exhibetur, omnesque fatentur divinam ejus sicuti Patris majestatem. [2])

Traditio. 22. Jam ostendendum nobis est, dogma de divinitate Christi etiam inde a temporibus Apostolorum *Traditione Ecclesiastica* luculentissime praedicari. Conferri vero hoc loco debent ea, quae in tractatu de *Deo trino secundum personas* quoad doctrinam Traditionis exposita fuerunt; argumentis enim quae ibidem allata fuerunt, ut ostenderetur, Ecclesiam semper professam fuisse tres esse divinas personas, divinitas Filii simul demonstratur. Praeterea animadvertendum est, ne ipsum quidem Socinum in dubium vocare, Patres qui floruerunt post Nicaenam synodum, in qua Filii divinitas solemniter vindicata fuit, fidem eam tenuisse, quam Synodus illa oecumenica contra Aria-

---

[1]) Philipp, 5 et sqq.

[2]) Quum nomen *Jesu* a Deo impositum ipsam personam Domini ejusque dignitatem et naturam exhibeat, censemus, Apostolum hoc loco etiam conjunctim de *persona* Salvatoris et de *nomine* ejus loqui. Non existimamus, illud *in nomine* hic tantum poni pro persona, sed honorem exprimit Apostolus, qui tum ipsi personae Christi, tum ipsi voci *Jesus* exhibetur.

nos definivit. Appellat vero ad tria saecula priora Ecclesiae; illorum saeculorum Patres conatur quomodocumque sibi vindicare, et praetendit, dogma divinitatis Filii ante Concilium Nicaenum ignotum fuisse.[1]) Sed parum sibi constans haeresiarcha alibi asserit, ab ipso ferme nascentis Ecclesiae exordio plurimos viros non minus pietate quam doctrina clarissimos, sanctissimosque Christi martyres errorem illum gravissimum secutos fuisse, Christum esse summum Deum qui omnia creavit.[2]) Itaque ut impietas haereticorum plene convellatur, breviter ostendemus tum argumento generali, tum ex Patrum testimoniis, inde ab initio Christi divinitatem in Ecclesia ut veritatem fidei habitam fuisse.

Argum. praescriptionis.

23. Atque imprimis ut argumento peremptorio praescriptionis utamur, haec fides de Christi divinitate in Ecclesia firmiter tenebatur, quando initio saeculi IV Arius coepit impia sua dogmata spargere. Vix suas impietates proposuit, et totus orbis christianus in eum insurrexit, paucissimis exceptis episcopis, qui haeretica ejus pravitate infecti sunt. In Concilio dein Nicaeno ex omnibus Ecclesiae partibus congregato, ejus haeresis damnata fuit, et Filii divinitas illa definitione vindicata: *Credimus in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, unigenitum, ex Patre genitum, id est ex substantia Patris. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, quae in coelo et quae in terra.* Patet vero ex hac ipsa agendi ratione, hanc fuisse fidem, quae ab Apostolis tradita in Ecclesia trium priorum saeculorum traditione et professione fuerat conservata. — Certe, quod eo tempore Patres Nicaeni profitebantur, publica erat Ecclesiae fides; novam enim doctrinam nec voluissent nec potuissent fidelibus obtrudere. Ergo haec fides Nicaena vel ea est, quae fuit ab Apostolis accepta, vel dicendum foret, mutationem

---

1) Epist. 2. ad Raderum. 2) Epist. 3. ad Raderum.

post tempora Apostolorum in hac doctrina factam esse. Sed in re omnium gravissima, quae fundamentum est religionis christianae, ejusmodi mutationem inductam fuisse, idque accidisse summa omnium ecclesiarum consensione, quin tamen ullum hujus mutationis vestigium appareat, absonum profecto foret dicere, idque impossibile esse, omnino patet.

24. Patrum anteriorum doctrinam consonam fuisse fidei Nicaenae, etiam inde manifestum est, quod Patres pugnantes contra Arianos confidenter appellabant ad Doctores priorum saeculorum, Ariani vero constanter traditionis auctoritatem declinabant. Sic s. Alexander episcopus Alexandriae, ubi primum serpere coepit Ariana haeresis scribit: *Nullos ex antiquis sibi comparari volunt, nec eos quibus nos ab ineunte aetate magistris usi sumus, coaequari sibi patiuntur ... Solos dogmatum inventores, solos se esse jactantes sibique solis ea esse revelata, quae nemini mortalium in mentem venerint.*[1]) Et s. Athanasius, summus ille Ecclesia Doctor, ita Arianos audacter compellat: *Ecce nos demonstramus vobis, nostram sententiam a Patribus ad Patres transiisse; vos autem, o novi Judaei, quos Patres qui vestris voculis favent exhibere potestis? Nullum certe profertis, omnes a vobis abhorrent.*[2]) Haec vero merito Arianis a Patribus objecta esse, ipsi confirmarunt eo quo sese gesserunt modo. Etenim quum Theodosius imperator, ut refert Socrates,[3]) Arianorum principes convocasset, et ab iis quaesivisset, utrum vellent Patrum eorum auctoritati stare, qui ante dissensionem floruerant, in discordes abierunt sententias et re infecta discesserunt.

Testimonia.

25. His vero argumentis generalibus aliqua addamus ss. Patrum, qui primis saeculis floruerunt, testimonia. S. Ignatius M. in epistola ad Ephesios missa scribit: *Deus noster Jesus Christus in utero gestatus fuit a Maria secundum dispensationem Dei, ex semine quidem David, de*

---

[1]) In epist. ad Alexand. Byzant. ap. Theodoret. l. 1. c. 4.
[2]) Lib. de decretis Nic. Syn [3]) Hist. eccl. l. 5. c. 10.

Spiritu autem sancto.[1]) S. Polycarpus martyrio proximus in oratione sua splendido modo divinitatem Christi Domini confitetur illis verbis: *Te benedico et glorifico, per sempiternum Pontificem Jesum Christum dilectum Filium tuum, per quem tibi cum ipso in Spiritu sancto gloria nunc et in futura saecula. Amen.*[2]) Eo ipso quod Patris Filium, sempiternum Pontificem Jesum Christum profitetur, et aequalem cum Patre et Spiritu sancto ei tribuit honorem, etiam divinitatem Christi manifeste praedicat. S. Irenaeus: *Ecclesia,* inquit, *per universum orbem usque ad fines terrae seminata, et ab Apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in Deum Patrem omnipotentem,... et in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute.*[3]) Filium Dei proprium ac naturalem, non vero adoptivum, a. s. Irenaeo Jesum Christum dici, per se patet. Sed et expressis verbis, eum esse Deum, aliis locis affirmat. Sic scribit: *Quis Deus? De quo dixit: Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit: hic est Filius.*[4]) Plura alia citavimus testimonia in Tractatu de sanctissima Trinitate, quum demonstravimus, eam inde ab initio in Ecclesia viguisse fidei doctrinam, tres esse personas qui sunt unus Deus. Ubi etiam animadvertimus, ss. Martyres frequenter hanc fidem in Christi divinitatem coram judicibus et in tormentis professos esse, ita ut manifestum sit, inter fundamentales fidei veritates semper hoc dogma habitum fuisse.[5]) Unde hoc loco quae attulimus pecularia testimonia jam sufficiant. — Professionem generalem fidei, quam societas christiana saeculo III tenebat, nobis exhibent episcopi, qui in synodis Antiochenis haeresim Pauli Samosateni damnarunt. In epistola ad Paulum directa ita dogma catholicum exprimunt: *Hunc Filium genitum, unigenitum Filium, imaginem invisibilis Dei, primogenitum omnis creaturae, Sapientiam et Verbum et Virtutem Dei*

---

[1]) Epist. ad Ephes. c. 18. [2]) Euseb. hist. eccles. l. 4. c. 15.
[3]) Contra haer. l. 1. c. 10. [4]) Ibid. l. 3. c. 10.
[5]) Cfr. Tract. de Deo trino secundum personas n. 34 et sqq.

qui est ante saecula, non praescientia, sed substantia et hypostasi Deum et Dei Filium, in veteri et novo Testamento agnoscentes confitemur.

26. Quanta porro constantia Ecclesia suam fidem de Christi divinitate contra impias Arianorum fraudes per plura saecula vindicaverit, non est cur pluribus exponamus. Eadem tum in symbolo Concilii Nicaeni superius citato solemniter definita est, tum in symbolo Athanasiano perspicue illis verbis exprimitur: *Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Deus et homo est. Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia matris in saeculo natus; perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali et humana carne subsistens; aequalis Patri secundum divinitatem; minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus.*[1]) Subsequentibus saeculis vix aliqui haeretici obscuri divinitatem Christi oppugnarunt, donec saeculo XVI Socinus, obstupescente orbe Christiano, impia sua dogmata promulgavit.

Socinianorum argumenta.

27. Jam superest, ut de argumentis, quibus Sociniani errores suos fulcire nituntur, pauca dicamus. Generatim animadverti potest, horum haereticorum argumentationem sophisticam eo magna ex parti reduci, quod quae de Verbi et Christi generatione, filiatione et operatione occurrunt, sensu improprio intelligenda esse praetendunt, et ita inficiantur, Christum vere Deum Filiumque Dei naturalem esse.

Sociniani igitur statuunt, Christum se dixisse eatenus Deum ac divina sibi adscripsisse, quatenus legatus Dei erat et Deum repraesentabat. Sic etiam Moyses nominatur Deus Pharaonis, et angelus qui apparuit Patriarchis ac Moysi in

[1]) Hoc symbolum Athanasii quidem opus non est; cum tamen ab utraque Ecclesia Occidentali et Orientali ut symbolum fidei suscipiatur, vera est fidei definitio. Mentio hujus symboli non fit ante saeculum VII vel ad summum VI, cumque ad haeresim Eutychianam respiciat, videtur saeculo V exeunte conscriptum. Auctor fuit latinus quidam scriptor incertus, sed et graece habetur. Vide Denzinger, Enchiridion n. XVIII.

rubo, dixit se esse Deum Israel, quamvis angelus esset, quia Dei erat legatus. — Est porro Christus filius Dei, sed adoptivus, quemadmodum justi et sancti frequenter filii Dei vocantur. — Etiam ex ipsius Domini testimonio colligitur, eum non proprie divinam naturam sibi adscripsisse, sed eo sensu se Deum esse asseruisse, quo et homines interdum dii dicuntur. Etenim quum Judaei eum blasphemiae accusarent et lapidare vellent, quod Deum se faceret, respondit eis Jesus: *Nonne scriptum est in lege vestra* [1]), *quia ego dixi: dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum* [2])*?* Hisce Jesus se comparat cum aliis hominibus, qui sensu improprio dii dicti fuerunt, et declinat accusationem Judaeorum, significans, simili modo etiam se merito dici filium Dei. — Idem confirmatur ab Apostolis, qui Christum nullatenus vere Deum et Filium Dei proprium asserunt esse, sed adoptivum et inferiorem Deo, ita ut ipsi Deo subjectus sit. Filius enim Dei, et genitus a Patre, testante s. Paulo dicitur praecipue, quia a morte resuscitatus et a Deo est Pontifex constitutus. *Nos*, inquit Apostolus, *vobis aununtiamus eam quae ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* [3]) Et in epistola ad Hebraeos: *Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* [4]) Inferiorem vero Christum esse Patre etiam ex his manifestum est: *Cum autem*, scribit Apostolus, *subjecta fuerint illi (Deo) omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia: ut sit Deus omnia in omnibus.* [5]) — Ex his quae speciminis gratia proposita fuerunt, satis in-

---

[1]) Ps. 81, 6. [2]) Jo. 10, 34 sqq

[3]) Act. 13, 32, 33. [4]) Hebr. 5, 5. [5]) 1 Cor. 5, 28.

telligitur, quibus Scripturarum textibus Sociniani errores suos probare studeant. Breviter argumenta allata diluemus.

28. Christus igitur certe fuit legatus Dei et missus a Deo, atque ut talem se exhibet; simul vero, uti ex allatis testimoniis patet, se filium Dei unigenitum verumque Deum esse testatur. Dum Moyses dicitur Deus Pharaonis [1]), restrictio et sensus improprius manifestus est. Significatur videlicet: Constitui te, ut sis prae Pharaone sicut Deus, imperes ei miraculis ut Deus, et loquaris ei per Aaronem ut legatum tuum. — Relate ad theophanias veteris Testamenti, in quibus contendunt Sociniani angelos sibi nomen Dei attribuisse, haec notanda sunt. Duplex quaestio distinguenda est. Alia videlicet quaestio est, utrum Deus in illis theophaniis vere apparuerit, alia vero, quorum ministerio facta sint illa phaenomena, quae signa sunt Dei apparentis et se manifestantis. Deus est ubique praesens; ejus igitur apparitio est singularis manifestatio, quatenus etiam signis externis suam praesentiam patefacit. Quamvis vero signum externum fiat per angelum, tamen apparitio erit ipsius Dei suam voluntatem manifestantis. — Si modo investigatur, utrum externa signa, e. g. personarum et verborum, in apparitionibus illis Deus per se ipsum effecerit vel per angelum, quaestio talis est, in qua non omnes ejusdem sunt sententiae. SS. Patres usque ad s. Augustinum non de alio nisi de Deo sunt locuti, et docent, Jesum Christum esse eumdem, qui et Patriarchis et Moysi apparuit, qui est simul Deus et angelus Dei. Quoniam origo Filii, secundae personae sanctissimae Trinitatis, est a Patre, mitti dicitur a Patre, et sicuti missus est in incarnatione, ita etiam missus dici potest in illis apparitionibus et simul Deus et angelus Dei nominari. Haec nobis sententia merito recipienda esse videtur. Alii tamen Patres post s. Augustinum, uti s. Hieronymus et s. Grego-

Diluuntur.

[1]) »Constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus.« Exod. 7, 1.

rius M., necnon Doctores scholastici censebant, in apparitionibus illis signa externa per angelos Deo ministrantes effecta esse, qui v. g. formam visibilem assumpserint; et etiam vocem ministerio angelorum productam esse, uti illa verba ad Moysem: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob* [1], ac verba in baptismo Christi: *Hic est Filius meus dilectus.* [2] Verumtamen etiam juxta hanc explicationem nullatenus angelis nomen divinum tribuitur, sed ipsi Deo, qui eorum ministerio agit. Distinguendum est videlicet, a quo effectus producatur, et ad quem referenda sit significatio verborum. Effectus in hac suppositione producitur ab angelis, significatio autem verborum referenda est ad Deum [3]). Sed talis distinctio in redemptionis opere locum non habet, Christus Dominus enim in propria sua substantia et persona veniens solemniter testatur, tum verbis, tum operibus, se ipsum esse Deum, se esse unum cum Patre, ita ut nullum sit dubium, ipsum haec sibi tribuere. Et s. Joannes Verbi incarnationem perspicue edocet dum dicit: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Unde patet, fucum facere impios Socinianos, dum ex theophaniis quacumque ratione aliquid ad errores suos fulciendos corrogare nituntur.

29. Quod vero spectat ad illam objectionem, nomen *filii Dei* frequenter in Scripturis sensu improprio hominibus dari, respondemus, non ex ipso vocabulo *filii Dei* in se spectato depromi a nobis argumentum, quo probamus, Christum esse Filium Dei proprium ac naturalem adeoque verum Deum. Sed ex verbis quae apponuntur, quum Christus dicatur filius *proprius*, filius *unigenitus* Dei, et ex contextibus luce clarius eruitur, Jesum Christum in sacris

---

[1]) Exod. 3, 6. [2]) Matth. 3, 17.

[3]) Etiam si supponis, verba in baptismo Christi: *Hic est filius meus dilectus,* immediate effecta esse a Deo, eadem ut effectus et operatio ad extra sunt totius s. Trinitatis, significatio autem verborum refertur tantum ad Deum Patrem. Cfr. his Tractatum *de Deo trino,* n° 32.

Litteris praedicari Filium Dei proprium et naturalem. Atque hac animadversione peremptorio modo illa objectio refellitur [1]).

30. Veniamus ad illa Scripturarum effata, ad quae Sociniani provocant, ut ex iis eruant, Christum Filium Dei ac Deum non nisi improprie dici. Atque imprimis, uti diximus, afferunt illa, quae Christus proponit ex Psalmo 81 Judaeis, quum ipsum lapidare vellent, quia se Deum faceret. Urgent videlicet hoc modo. Quemadmodum in veteri Testamento de magistratibus scriptum est: *Dii estis et filii excelsi omnes*, eo modo, ait Jesus, merito me possum appellare Deum et filium Dei. Declarat proinde Jesus, Judaeos non rite intellexisse, dum crederent Christum verum Deum se exhibere; sed tantum sensu analogico se Deum et Dei filium vocari. — At ejusmodi haereticorum explanatio omnino falsa est et conficta. Ut igitur sensus totius sermonis Domini intelligatur, haec notentur. 1⁰ In antecedenti contextu perspicuis verbis Christus vindicat eamdem sibi ac Patri potentiam, ea sola differentia, quod

---

[1]) Caeterum de ratione, qua appellationes *Deus* et *Filius Dei* in Scriptura adhibentur, obiter haec notari possunt juxta ea quae probantur apud Franzelin *de Verbo incarnato*, thesi III. — Quamvis significatio nominum *Filius Dei* et *Deus*, quibus Jesus Christus in Scripturis appellatur, non ita sit determinata, ut nunquam improprie et analogice usurpari possint, non ea tamen est in usu loquendi biblico horum nominum ambiguitas, qualem Sociniani post alios haereticos, ut argumentorum vim eluderent, asseruerunt. Demonstrari enim potest: 1⁰ nomen *Dei* praeter unum Deum, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, nemini unquam in singulari a sacris Scriptoribus attribui simpliciter et absque expressa restrictione et impropriętatis significatione; 2⁰ in universis Scripturis praeter unum Filium Dei, qui est Jesus Christus, nullam personam singularem et definitam ex propria Scripturarum sententia appellari *Filium Dei*, nisi fortasse ratione typi, quem gerat ipsius Jesu Christi; 3⁰ falsum esse, nomen Filii Dei aetate Christi fuisse vulgatissimum, quo tamquam proprio non secus ac nomine *Filii David* designare Messiam consueverint Judaei etiam illi, qui non alium Christum exspectabant, quam regni Judaici potentissimum restauratorem, eumque merum hominem

habeat eam communicatam a Patre. Cum quo eamdem divinam naturam se habere dein edicit illis verbis: *Ego et Pater unum sumus.* 2° Judaei optime intelligentes Domini sermonem eum accusant blasphemiae. Verba, quae dein Christus ex Psalmo 81 affert, nullatenus accipienda sunt tanquam attenuatio quaedam eorum quae proposuerat, uti vel ex eo elucet, quod Dominus quae dixerat inferius iterum confirmando declarat, ita ut ipsi Judaei in eadem sententia remanerent et ira. 3° Si obiter spectantur ea, quae a Domino afferuntur ex Psalmo, possunt accipi ut demonstratio, qua *argumentatione a minori ad majus* Jesus refellit Judaeos, et ostendit apologetice, se potiori jure Deum appellari quam illos, qui in antiquo Testamento dii dicuntur, eo quod apud Patrem jam praeexistens fuerit sanctificatus et missus ab ipso. Quum sic *generatim* repulisset Judaeos, in sequentibus dein iterum explicat, se verum Deum esse, Patrem esse in ipso ac se in Patre. Atque haec jam sufficiunt, ut Socinianorum argumentatio rejiciatur. Sed addenda nobis est accuratior illorum verborum explanatio, eaque tam profunda quam vera. Itaque 4° animadvertendum est, Psalmum 81, ex quo illa verba desumpta sunt, esse Messianum. Describitur in eo judicium Dei contra impios judices. *Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos dijudicat. Usqueque judicatis iniquitatem, et facies peccatorum sumitis? .... Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini: et sicut unus de principibus cadetis. Surge Deus, judica terram: quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus.* Opponitur magistratibus, qui analogice dii vocantur, Deus verus qui eos dijudicat. Hic Deus provocatur in fine Psalmi ad judicium illis verbis: *Surge Deus, judica terram: quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus.* Quodsi haec verba comparaveris cum aliis Scripturarum effatis, quibus Christo promittuntur gentes ut haereditas, et ipsi judicium omne datum esse edicitur [1]), elu-

---

[1]) Cfr. e. g. Psalmos 2 et 71 ac Jo. 5, 22.

cet, aliis argumentis pro tempore omissis, Psalmum esse Messianum, ac Messiam ibi repraesentari ut Deum, qui in medio deos dijudicat. Inde vero colligitur, quo sensu Dominus verba Psalmi adducat. Si illi, ait, qui judicantur, nominantur dii et filii Excelsi, quomodo non me appello recte Deum, quum sim ille Deus, qui stetit in medio eorum, Messias qui haereditabit in omnibus gentibus, (quem Pater sanctificavit et misit in mundum). In psalmo Messias significatur illis verbis: *Surge Deus, judica terram: quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus*; hic se esse illum Messiam, Jesus dicit verbis: *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum.* Hac ratione igitur plane patet, verbis Christi nullatenus infirmari, sed confirmari divinitatem quam sibi vindicaveret. [1])

31. Jam de illis textibus loquamur, ex quibus adversarii eruere nituntur, improprie intelligendum esse, quod Christus *genitus* dicitur a Patre, et collationem sacerdotii ac resuscitationem ex mortuis illis verbis significari. — Imprimis igitur animadvertimus, verba: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, intelligenda esse de filiatione naturali et generatione proprie dicta. Id perspicuum est ex capite 1° epistolae ad Hebraeos; ibi enim a s. Paulo manifeste hoc sensu citantur. Demonstrat ibidem Apostolus, eum, per quem Deus novissimis diebus nobis locutus est, esse

---

[1]) Cfr. hac de re Prudentium Maranum: De divinitate Domini nostri Jesu Christi, l. 1. p. 1. c. 4. n° 4; et l. 1. p. 2. c. 3. n° 3. — Quae de textu de quo agitur notanda veniunt, ad haec duo puncta juxta Maranum reducuntur: 1° Hanc esse Christi ratiocinationem: Si illos dixit deos, quibus sermo Dei inevitabile exitium minatur, quomodo ei, cui dicitur in eodem psalmo: *Surge Deus, judica terram, quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus,* blasphemiae notam inuritis, quia dixit: *Filius Dei sum?* 2° Christus nihil eorum mutat, quae hactenus de sua divinitate dixerat; sed ita Filium Dei se esse intendit, ut ipse sit in Patre et Pater in Filio, quod quidem dici non potest, nisi de consubstantiali Filio. Hinc ejus responsio non modo non placavit incredulos, sed etiam nova fax exstitit eorum furori admota.

super omnes creaturas, et argumentatur hoc modo: Nomen indicat ipsam rem, proinde excellentia alicujus ex nomine cognoscitur. Atqui nomen, quod illi datum, longe excellentius et differentius est, quam nomen angelorum. *Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* — Ex adoptione filii Dei etiam angeli nominari possunt, sed *differentius* nomen Christus accepit; ergo est nomen Filii ex generatione. Quae ratio filiationis dein subjungitur ipsis verbis: *genui te.* Sic etiam in iis, qui subsequuntur versibus s. Paulus demonstrat, Christum esse Deum proprio sensu. Est igitur Christus simul verus Deus et simul verus Filius; proinde et proprio sensu *Filius Dei,* quod exprimitur verbis: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* — Itaque quum hic clare determinetur sensus illius textus, si qui occurrunt loci obscuriores, exigendi sunt et componendi cum hoc loco, qui plane clarus est, nec ex illis pro lubitu interpretatio haurienda.

32. Sed etiam difficultas hermeneutica facile solvitur. Quod spectat ad textum Hebr. 5, 5: *Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, hisce verbis nullatenus edicitur, per generationem Christo sacerdotium datum esse; sed exprimitur, eum dedisse Christo sacerdotium, qui generavit illum, seu Patrem. Sunt videlicet verba illa *paraphrasis*, qua Pater exhibetur.

33. Aliquanto difficiliora primo intuitu videntur illa Act. 13, 32 sqq: *Et nos vobis annuntiamus eam, quae ad patres nostros repromissio facta est. Quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum, sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem suscitavit eum a mortuis amplius jam non reversurum in corruptionem* (haud iterum moriturum), *ita dixit: Quia dabo vobis sancta David fidelia.* Sed re bene considerata aptissima suppetit explicatio. Apostolus s. Paulus in eo est, ut annuntiet Israelitis, repromissiones ad patres factas adimpletas esse filiis. Haec adimpletio consistit in tota oeconomia redemptionis,

cujus corona atque sigillum est resuscitatio Christi a mortuis, quam Apostolus, uti frequenter, etiam hic solemni modo commemorat. Citat dein verba Psalmi secundi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quae si ad resuscitationem Christi referas, ita accipienda sunt, ut iisdem indicetur *ratio*, cur Deus Christum resuscitaverit; videlicet resuscitavit eum Deus, quia erat Filius ejus, adeoque oportebat eum a mortuis resurgere. Cohaerent enim filiatio et resurrectio ita, ut filiatio sit ratio resurrectionis, quemadmodum patet ex Rom. 1, 4 ubi legimus: *Qui praedestinatus est* (ὁρισθεις i. e. ostensus seu demonstratus) *Filius Dei ex resurrectione mortuorum.* S. Paulus igitur illis verbis confirmare vult, non quidem praedictam fuisse resurrectionem, sed factam; confirmat autem hoc argumento, quod ea haud potuerit non fieri, quippe quia, sicut et in Psalmo secundo scriptum est, Christus Filius sit Dei, non appellatione tandum communique illa ratione, qua omnes filiii Dei nominamur ac sumus, sed vera ac proprie dicta generatione. [1])

Sed etiam alia fortasse magis congrua suppetit expositio. Apostolus, uti jam diximus, loco citato loquitur de Christo ac de tota redemptionis oeconomia; istae enim sunt repromissiones factae patribus et adimpletae in filiis. Dein ut coronam et complementum oeconomiae redemptionis proponit resurrectionem Christi a mortuis. Textus igitur ille, *sicut et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te*, referendus est ad totam illam oeconomiam et repromissionum adimpletionem, non vero praecise et directe ad verbum *resuscitans* (ἀναστησας) Jesum. Per Christum videlicet omnes promissiones adimpletae sunt, quia ipse fuit verus Dei Filius. Quoad resurrectionem dein Christi, quae est totius redemptionis sigillum, citat s. Paulus alium illum textum: *Quia dabo vobis sancti David fidelia.* [2])

---

[1]) Vide Patritii Commentar. in Act. Apost. in h. l.

[2]) Sunt etiam auctores qui existimant, Apostolum quum dicit: *Hanc Deus adimplevit filiis nostris ἀναστας Jesum,* verbo illo ἀνα-

34. Difficultatem, quae petitur ex verbis 1 Cor. 15, 29: *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia,* solvimus praeclara Estii expositione. Qui allatis pluribus explicationibus minus aptis ita haec interpretatur: *Superest igitur, ut hanc subjectionem accipiamus juxta dispositionem carnis assumptae, quomodo loquitur Hieronymus lib.* 1. *dial. adv. Pelag. cap. 6., id est secundum naturam ejus humanam. Quae et s. Augustini est expositio, .. eademque Latinorum fere omnium hujus loci interpretum, quae et textui quam optime convenit. Hactenus enim de Christo ut homine Paulus disseruit, eo perducta disputatione, quod ipsi tandem omnia subjicienda sint, excepto Patre qui subjecit ei omnia; cui proinde et ipse, videlicet ut homo, subjectus esse debeat. — Dicit autem Apostolus, tunc subjectum fore, cum subjecta fuerint ipsi omnia; non quod interim non sit subjectus, sed quia de illo tempore, quo Christus jam perfecte regnabit et dominabitur omnibus in potestatem redactis, dubitare quis posset, an ipse Christus universalis Domiuus cuiquam alteri tum subjectus futurus sit. Tale igitur est, quod dicit: Non idcirco desinet Filius esse subjectus Patri, quod subjecta sint ei omnia· Imo justissimum est, ut maneat ei subjectus, qui ipsi omnia subjecit. Porro subjectus erit re et confessione, quia agnoscet et confitebitur Deum Patrem se majorem; sicut in Evangelio dicit: Pater major me est, Jo 14; suumque regnum et omnia bona cum gratiarum actione Patri referet accepta. Convenit enim ille locus cum superiore, ubi*

στας non indicare recurrectionem Christi sed *missionem* ejus, ita ut vertendum potius sit *suscitans* Jesum. Hac vero missione adimpleri promissionem divinam, declarat Apostolus ex eo, quod Jesus fuerit Filius Dei; Deus videlicet suscitans seu mittens Jesum, ipsum filium suum, adimplevit promissiones. Quoad rem haec interpretatio concidit cum ea, quam secundo loco dedimus. Quia tamen omnes ss. Patres illud ἀναστας intellexerunt de resurrectione, aliam significationem ei tribuere haesitamus. Cfr. Patritium l. c.

dixit, Christum traditurum regnum suum Deo et Patri. [1])

35. Provocant dein, uti jam diximus, Sociniani ad Patres Antenicaenos, ac praecipue ad ea, quae de Verbo statuunt. Contendunt, ex eorum operibus patere, doctrinam de divinitate Verbi et Christi, si forte apud aliquos invaluerit, nullatenus fuisse communem, imo ex plurimorum scriptis perspicuum esse, eos Verbo divinam naturam non attribuisse. Sic Patrem dignitate et potentia Verbo superiorem esse, arbitrati sunt; Filium administrum vocant Dei universi creatoris, et ejus veluti instrumentum; aeternitatem Filio abjudicant, nam tunc tantum a Patre prolatum dicunt, quando res universae per Verbum conditae sunt; imo sunt, qui eum tunc quando incarnatus est genitum a Patre asserunt. Quum igitur Verbi divinitatem non agnoverint, manifestum est, etiam Christo ab iis non fuisse divinam naturam attributam.

Difficultates ex Patribus.

36. Has difficultates, quae Verbi simul et Christi divinitatem spectant, in Tractatu de *De trino secundum personas* praetermisimus; propterea hoc loco de iis nobis tractandum est. Quum tamen singula difficiliora Patrum hac in re effata expendere nequeamus, imprimis generatim quaedam animadvertimus. Itaque ad ineffabilia mysteria enarranda humana verba vix suppetunt; nec proinde mirandum est, apud plures ss. Patres, quum usu et definitione Ecclesiae nondum selecta essent vocabula determinata, inveniri expressiones duriores, et minus claras. Eaedem certe nunc, quum usus loquendi jam determinatus sit, haud apte adhiberentur; sed dum apud antiquos Scriptores reperiuntur, sano sensu interpretandae sunt, uti et ipse contextus et universa illorum doctrina ostendunt. — Considerandum praeterea est, prioribus saeculis eorum errores praecipue propagatos fuisse, qui trinitatem personarum divinarum negabant, adeoque non admittebant, Verbum et Spiritum

Diluuntur.

[1]) Estii in omnes s. Pauli epistolas commentarii, in 1 Cor. 15, 29.

sanctum esse subsistentes personas. Hinc ss. Patres eos impugnantes maxime eo tendunt, ut ostendant, Verbum esse personam subsistentem, et distinctam a Patre; minus vero solliciti sunt, ut vindicent Verbi divinitatem, de qua directe non agebatur. Dum vero distinctioni illi ex relatione originis vindicandae insisterent, facillime fieri poterat, ut verborum sensu nondum omnino definito, etiam tales expressiones adhiberent, quae quum sint ex rebus humanis desumptae, primo intuitu aliquam inferioritatem Verbi designare videntur.

37. Caeterum indubium plane est, inde ab initio ut fidei dogma exploratum et fundamentale eam veritatem propositam fuisse, unum esse Deum in essentia, tres vero divinas personas, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum. *Opus Evangelii*, ait Tertullianus, *substantia novi Testamenti, quod exinde Pater, Filius, et Spiritus sanctus, tres crediti, unum Deum sistunt.* [1]) Et Celsus infensissimus christianorum adversarius clare significat, fidem in divinitatem Christi apud omnes in professo fuisse. Profitetur apud Originem, se apprime instructum esse de modo erudiendi catechumenos; ait enim: *Omnia novi.* Deinde sic eorum magistros loquentes inducit: *Crede, hunc, de quo te doceo, esse Filium Dei, quamvis inhonestissime vinctus et turpissime cruciatus fuerit, quamvis heri et nudius tertius in omnium oculis maxima ignominia jactatus et volutatus sit; tanto magis crede.* [2]) Perspicuum est, hic a Celso exhiberi ut dogma exploratum christianorum eam doctrinam, Jesum esse proprium Dei Filium; inde enim difficultas credendi ex una parte, et ex altera parte sollicitatio incitans ad fidem, quam iterum commemorat adductis illis christianorum verbis: *Crede, si vis salvus esse, aut abi.* [3])

38. His expositis, ad peculiares quas proposuimus ex Patribus difficultates pauca sufficiet respondere. Si quae

---

[1]) C. Praxeam c. 27. [2]) Origenes c. Celsum l. 6. n° 10.
[3]) Ibidem n° 11.

veterum effata afferuntur, quibus minorem Filio quam Patri dignitatem videntur tribuere, vel loquuntur de humana Christi natura, vel nihil aliud exprimunt, nisi relationem originis, qua Filius divinam naturam habet a Patre generatione communicatam. Quum videlicet Pater sit *fons ac principium* divinitatis, patet, eo tempore quo modus loquendi nondum stricto modo determinatus erat, facile fieri potuisse, ut *relatio Filii* verbis ambiguis exhiberetur et minus aptis, ex quibus tamen inferre non licet, illos Scriptores Filio non tribuisse unam et aequalem cum Patre naturam. Sic optime explicantur verba Tertulliani, quibus *totam substantiam* Patri tribuit, Filium autem *portionem Patris* nominat. [1]) Portio enim ipsi idem est ac *partitio*, non divisionem significans, sed pro perfectione rei de qua agitur solam communicationem. Tertullianus alibi expressionem ita explicat, quod Pater est plenitudo, Filius vero portio, quatenus est *consors plenitudinis.* [2])

39. Pariter expressio illa, Filium Patri in creatione *ministerium exhibuisse*, non ita intelligenda est, ac si Patres, qui hoc loquendi modo utuntur, Filium Patre inferiorem esse vellent. Sed verba illa, quibus utuntur, dum Filio executionem creationis appropriant, ad relationem originis referenda sunt. Ministerium Verbi plane aliud esse, quam ministerium creaturae, s. Irenaeus, dum illam loquendi rationem adhibet, clare edicit. *Non indiget,* inquit, *Deus ministerio* (angelorum) *ad fabricationem eorum quae facta sunt, sed habet copiosum et inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei ad omnia sua progenies et figuratio sua, i. e. Filius et Spiritus sanctus, Verbum et Sapientia, quibus serviunt et subjecti sunt omnes angeli* [3]). Patres post Concilium Nicaenum etiam simili ratione interdum loquuntur, uti s. Basilus, qui simul perspicue sensum verborum explicat. *Tria,* ait, *intelligis, mandantem Dominum, creans*

---

[1]) C. Praxeam c. 9. [2]) C. Marcion. l. 2. c. 6.
[3]) C. haer. l. 4. c. 17.

Verbum, confirmantem Spiritum sanctum... Omnia per ipsum (Verbum) *facta sunt..., non quod instrumentale et servile ministerium expleat, sed quod tanquam creator paternam perficit voluntatem... Proinde quod dicitur mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolata intelligamus Filio veluti subdito praescribentem, quid facere debeat; sed ut Deum decet, cogitemus voluntatis communicationem, velut formae cujusdam irradiationem in speculo a Patre in Filium aeternaliter dimanantem.* [1]) Videlicet totus iste modus loquendi eo pertinet, ut exprimatur, Filio per generationem aeternam communicari divinam naturam.

40. Subtilius quidem est id, quod Patres interdum dicunt: Verbum generatum esse, quando universum conditum fuit; sed nullatenus hac assertione Verbi aeternitas ac divinitas negantur. Plures videlicet Patres Verbi generationem duplicem dicunt, et nomine *generationis* significant duo valde diversa. Hoc verbo enim exprimunt tum *generationem aeternam*, qua Filius in se est persona a Patre distincta et ab aeterno apud Deum, tum *manifestationem ad extra*, in creatione, quae tanquam missio generati dicitur *generatio ad extra*. Manifestatur autem Filius in creatione, quatenus sapientia Dei, quae effusa est super omnia opera ejus, in creatione maxime conspicitur, et lege appropriationis haec manifestatio ad Filium ut sapientiam subsistentem referenda est. Huc etiam pertinet celebris illa distinctio, qua Patres Verbum consideratum in se et in sua relatione ad Patrem appellant *Verbum insitum* (ἐνδιαθετον), et quatenus ad extra operatur *Verbum prolatitium* (προφορικον). — His notatis facile intelliguntur Patrum quaedam effata; imo quae diximus ex iis confirmantur. Sic e. g. Theophilus Antiochenus dicit: *Habens igitur Deus suum Verbum in propriis visceribus insitum, genuit illud cum Sapientia sua* (Spiritu sancto) *proferens ante hoc universum... Nondum erant prophetae, quum*

---

[1]) De Spir. s. n° 19 et sqq.

mundus conderetur; sed erat Sapientia Dei in ipso et sanctum Verbum ejus, quod semper est apud ipsum. [1] *Verbum Dei, quod ejus quoque Filius est, non ut poëtae et fabulorum scriptores filios deorum ex concubitu genitos fingunt, sed ut veritas narrat, Verbum semper existens, et in corde Dei insitum* (τον λογον τον ὀντα διαπαντος ἐν καρδιᾳ θεου). *Ante enim quam quidquam fieret, eo utebatur consiliario, quippe quum ejus mens et prudentia sit*... Theophilus hic manifeste Verbum, Filium Dei, distinctam a Patre personam intelligit, et aeternum esse affirmat. Dein vero: *Cum autem voluit*, scribit, *Deus ea facere, quae statuerat, hoc Verbum genuit prolatitium* (προφορικον), *primogenitum omnis creaturae, non ita tamen, ut Verbo vacuus fieret, sed ut Verbum gigneret et cum suo Verbo semper versaretur. Verbum igitur quum Deus sit et ex Deo genitum, illud Pater universorum cum visum fuerit, mittit in aliquem locum.* [2] Vides, hanc Verbi generationem nihil aliud esse, nisi ejus missionem seu manifestationem in rerum creatione.

41. Restat, ut quaedam dicamus de expressione s. Hippolyti, qua asserit, Verbum ante generationem ex B. Virgine *perfectum* Filium non fuisse. *Qualem,* inquit, *Filium suum Deus per carnem misit, nisi Verbum, quod Filium vocavit, quia erat nasciturum* (homo ex Virgine). *Et dum Filius vocatur, commune nomen amoris erga homines assumpsit. Nec enim Verbum sine carne et per se perfectus Filius erat, quamvis esset perfectum Verbum, Unigenitus. Neque caro seorsum a Verbo subsistere poterat, quia habet subsistentiam in Verbo. Sic igitur perfectus unus Filius Dei manifestatus est.* [3] — Patet nihil contra divinitatem Verbi et Christi ex hoc loco inferri posse, quum s. Hippolytus claris verbis doceat, Verbum, Unigenitum Patris, hominem factum esse. Id unum quaeri potest, quisnam sit sensus istorum verborum: *Nec enim Verbum*

---

[1] Theophil. ad Autolicum l. 2. n° 10.
[2] Ibidem n. 22. [3] Hippol. c. Noëtum n. 15.

sine carne et per se perfectus Filius erat. — Itaque solutio difficultatis in eo est, quod Hippolytus distinguit unius ejusdemque personae *duplicem generationem,* ex Deo Patre secundum divinitatem, et ex B. Maria Virgine secundum humanitatem, atque ex utraque simul dicit intelligi *perfectum* Filium. Haec vero statuit impugnans Monarchianos, ut subterfugia horum haereticorum destruat. Monarchiani unam tantum personam divinam esse statuentes primum docebant, eam ante incarnationem dici Patrem, et per incarnationem se fecisse sibi ipsi Filium. Cum vero Catholici demonstrarent, manifeste Filium missum alium esse a Patre mittente, cavillationibus absurdis errorem suum defendere nitebantur. Distinguebant tunc in Christo, fere ut postea Nestorius, Deum seu Patrem, et hominem, dicentes, Jesum esse hominem, alium a Deo, et hunc hominem esse Filium. Hippolytus in eo insistit, unam personam esse Christum, Deum et hominem; et quum adversarii Filium intelligerent quatenus est Filius hominis, id ostendere intendit, hunc Filium esse eumdem ac Dei unigenitum Verbum. Quod proinde dicit, ante incarnationem Verbum non fuisse *perfectum Filium,* manifeste non significat, haud fuisse Filium Dei, sed his verbis tantum exprimit, nondum fuisse Filium hominis et generatum ex Virgine secundum carnem.

42. Sunt quidem alia plura in scriptis Patrum qui ante Concilium Nicaenum floruerunt, quae expositione aliqua indigent, sed non vacat nobis hisce diutius immorari. Ex iis vero quae proposuimus vides, nullatenus admittendum esse, Patres illos minus accurate et recte de Verbi ac Christi divinitate sensisse. Sed ut eorum effata recte intelligantur, diligens requiritur studium totius doctrinae illorum virorum et controversiarum, quas cum haereticis et gentilibus illius temporis habebant. Tunc quae obscura videbantur clarescunt, et sanae fidei doctrinae omnino consona esse inveniuntur. [1])

---

[1]) Vel ipse cl. Petavius nimis proclivus esse videtur, ut effata

Articulus II.

DE HUMANA CHRISTI NATURA.

Errores.

43. Vidimus, inde ab initio christianismi non defuisse, qui Christum esse Deum negabant, et vel eum tantum hominem esse contendebant, vel majoris quidem excellentiae, attamen puram creaturam. Sed quod mirum videri posset, major fuit fortasse numerus eorum haereticorum, qui verum hominem Christum fuisse inficiabantur. Alii quidem Christum in substantia carnis nostrae venisse negabant, eidemque vel corpus mere phantasticum, vel corpus ex coelesti quadam materia conflatum adscribebant; alii in Christo animam sustulerunt humanam, aut saltem mentem rationalem, cujus vices a Verbo expleri fingebant. Quam perniciosi vero ejusmodo sint errores, vel ex eo solum manifestum est, quod negata veritate humanae naturae in Christo, veritas totius operis redemptionis per Filium hominis simul evertitur. Sed ex ordine de illis haereticis aliqua praemittimus.

44. Jam s. Joannes, uti videtur, in eos invehit haereticos, qui Christum verum hominem esse negabant, pseudoprophetas eos nominat, et *Dominum in carne* venisse, ut fidei sacratissimum dogma contra eos praedicat. *Multi*, scribit, *pseudoprophetae exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est.* [1]) — Primus vero in hoc grege haereticorum numerandus est Simon Magus, qui praeter alia docuit, se in monte Sinai legem Moysis in Patris persona dedisse Judaeis, tempore Tiberii

---

quaedam Patrum duriora, accuratae fidei doctrinae minus consona esse existimet. — Plenam explicationem doctrinae Patrum habes apud Maranum: De divinitate D. N. J. C. l. IV., et apud Franzelin: Tract. de Trinitate, Thesis XI.

[1]) 1. Jo. 4, et 1 sqq.

in Filii persona putative apparuisse, postea se in linguis igneis Spiritum sanctum super Apostolos venisse. — Discipulos habuit ipse inter alios Menandrum, Saturninum et Basilidem, qui teste Tertulliano docuerunt, Christum in substantia corporis non fuisse, et in phantasmate tantum passum esse, ac resurrectionem carnis nullo modo futuram. [1]) Haeretici isti Docetarum (*Δοκηται*) vel phantasiastarum nomine designari solent. Ex iis fuit etiam Marcion, quem quinque libris Tertullianus refutavit.

Docetae.

Gnostici.

45. Sub idem fere tempus Valentinus ex Hesiodi theogonia sub Patre, quem *βυϑην* (profundum) appellabat, triginta finxit aeonas, a quibus productus est Christus. Delirabat porro, Christum a Patre, id est a profundo, missum, spirituale vel coeleste corpus attulisse, nihilque assumpsisse de virgine Maria, sed per illam tamquam per rivum aut per fistulam sine ulla de ipsa assumpta carne transiisse. [2]) Paulo aliter videtur statuisse Apelles discipulus Marcionis. *Christum*, ait Tertullianus, *neque in phantasmate dicit fuisse, sicut Marcion, neque in substantia veri corporis, ut Evangelium docet: sed in eo, quod e superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem et aëream contexuisse. Hunc in resurrectione singulis quibusque elementis, quae in descensu mutuata fuissent, in ascensu reddidisse, et sic dispersis quibusque corporis sui partibus, in coelo spiritum tantum rediisse.* [3]) Ne vero nostris saeculis similia errorum monstra deessent, Anabaptistae eam protulerunt doctrinam, corpus Christi non ex B. Virgine assumptum, sed a Spiritu sancto creatum atque e coelis allatum, tantum transiisse per Mariam.

Ariani.

46. Animam humanam a Verbo assumptam esse negarunt, uti jam diximus, Ariani. Statuebant videlicet, a Verbo tantum corpus assumptum esse humanum, atque in eo ipsum Verbum animae vices gessisse. Quum autem

---

[1]) De praescript. c. 45. [2]) S. Aug. de haeres. n° 11.
[3]) De praescript. c. 51.

Verbo veram divinam naturam non attribuerent, etiam docebant, Verbum in natura sua pati potuisse, et revera, quum in corpore instar substantiae animae esset, passum esse. Facile vides, quomodo hic Arianorum de incarnatione error intime cum eorum haeresi, qua Verbi divinitatem impugnabant, cohaereat. De utroque hoc errore scribit s. Athanasius: *Arius carnem solam ad occultandam divinitatem fatetur, ac pro nostro interiori homine, hoc est pro anima, Verbum in carne ait exstitisse, passionis sensum et resurrectionem ab inferis divinitati ausus adscribere.* [1]) Quum primaria autem et omnium perniciosissima labes fonsque caeterarum et stirps in Arii haeresi esset ejus contra Filii divinitatem insania, cujus velut appendicula et consectaria erat perversa de Incarnatione sententia: ideo haec ipsa perfidiae pars tum a Nicaenis Patribus neglecta est et omissa, tum a plerisque qui eamdem oppugnavere singuli, vel dissimulata prorsus vel levius perstricta, cum omnium intenti essent animi ad illud, quod latius patebat et periculosius urgebat, extinguendum nefarii erroris incendium.

47. Evidentius vero error de Christi humana natura in lucem prolatus est per Apollonaristas, qui sic dicti sunt ab Apollinari eorum duce et capite. Fuit is Episcopus Laodiceae, atque, ut coaetaneus illius s. Epiphanius testatur, vir insigni doctrina et antequam in haeresim caderet pietate ac virtute, ac tum s. Epiphanio ipsi, tum s. Athanasio et Catholicis omnibus longe carissimus. Inter caetera ejus opera maxime celebratum est quod adversus Porphyrium edidit pro christiana religione, cujus Vincentius Lirinensis meminit, qui et ejusdem Apollinaris praeconium hoc compendio colligit: *Quid illo praestantius*, inquit, *acumine, exercitatione, doctrina? Quam multas ille haereses multis voluminibus oppresserit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio opus est illud triginta non minus librorum*

Appollinaristae.

---

1) Libro de adventu Christi adv. Apollinarem.

nobilissimum et maximum, quo insanas Porphyrii calumnias magna probationum mole confudit. Longum est universa ipsius opera commemorare, quibus profecto summis aedificatoribus Ecclesiae par esse potuisset, nisi profana illa haereticae curiositatis libidine, novum nescio quid invenisset, quo et cunctos labores suos velut cujusdam leprae admistione foedaret, el doctrina ejus non tam aedificatio, quam tentatio ecclesiastica diceretur [1]. — Et primo quidem Apollinaris eamdem quam Arius haeresim proposuit, naturam videlicet hominis in Christo anima carere, cujus vicem supplebat corpori Verbum ipsum caro factum. Postea vero mutata vellificatione aliter profiteri est ingressus, et non funditus defuisse animum asseruit, sed animam rationalem seu mentem; adfuisse vero concessit animam vitalem. Sic Theodoretus hujus haeretici sententiam accuratius exponit: *Incarnatum esse dixit Deum Verbum, quod corpus et animam assumpsit, non rationalem* (την λογικην), *sed rationis expertem* (την ἄλογον), *quam naturalem* (φυσικην) *sive vitalem* (ζωικην) *aliqui nominant; mentem* (τον δε νουν) *porro diversum quoddam ab anima* (ψυχη) *esse dicens, negavit assumptam, sed naturam suffecisse divinam ad usum mentis explendum* [2]. Etiam eam addidit insanam dogmatis corruptelam, quod carnem Christi dissimilem nostrae, nec de B. Virginis carne sumptam confinxit, sed partem ipsius substantiae Dei in carnem esse conversam a coeloque delapsam. Unde et divinitatem consubstantialem (ὁμοουσιον) humanitati Christi esse contendit. Decursu vero temporis Apollinaristae, quum a Catholicis urgerentur, varios praeterea alios errores confines non minus impios quam absurdos addiderunt, quos enumerare longum est [3]. — Sunt quidem et alii haeretici, qui errores funestos quoad humanitatem Domini proposuerunt, ut Monotheletae, qui voluntatem humanam Christi rejecerunt, et Julianus Halicarnassensis, qui asseruit, carnem Christi fuisse

---

[5]) Lib. de Scriptoribus ecclesiast. c. 114. [2]) Hist. l. 4. c. 8.
[3]) Vide de his Petavium de Incarn. l. 1. c. 6.

incorruptibilem et impassibilem; sed de illorum opinionibus alio loco opportune agemus. Modo probabimus generatim, Christum perfectum fuisse hominem, adeoque assumpsisse naturam humanam veram et integram, seu constantem corpore et anima rationali.

Propositio.

48. Propositio. — *Jesus Christus, quem verum Deum Deique Filium esse demonstravimus, etiam perfectus est homo; seu Verbum divinum naturam humanam assumpsit veram et integram, corpore constantem carneo et anima rationali.*

S. Scriptura.

Demonstratio. — Christum verum et integrum fuisse hominem, probatur ex *sacris Litteris*, tum argumentis quibus generatim natura humana ipsi vindicatur, tum testimoniis illis, e quibus singillatim quoad partes humanae naturae eruitur, corpus humanum atque animam rationalem a Verbo fuisse assumpta. — Imprimis igitur verum hominem Christum fuisse, omnia illa Scripturae loca ostendunt, quibus Christus dicitur *homo*, *filius hominis*, *filius Abrahae*, *filius David*, et *similis nostri*. Sed frequentissima ejusmodi sunt testimonia. Sic ut ex innumeris textibus aliquos afferamus: *Nunc autem*, ait Dominus Judaeis, *quaeritis me interficere*, *hominem*, *qui veritatem vobis locutus sum.* [1]) Et: *Venit filius hominis salvare quod perierat.* [2])

---

[1]) Jo. 8, 40.

Nomen Filii hominis.

[2]) Matth. 18, 11. — Nomen *Filii hominis* a Domino ipso et sacris Scriptoribus frequentissime adhibetur. Variae possunt afferri rationes. Tali sub nomine imprimis Christus fuerat a Daniele propheta praenuntiatus. »Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit: et in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum: et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient: potestas ejus, potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.« Dan. 7, 13 et sqq. Hac porro loquendi ratione manifestum fiebat, Christum esse verum hominem, et non aliunde, quam ex maternis visceribus per veram generationem, licet virgineam et operante Spiritu sancto, prodiisse. Magis Domini humilitas hoc nomine declarabatur, et magis etiam ipse hac appellatione suum amorem erga homines fratres secundo genitos aperiebat ac testabatur.

— Non minus quam Adamum, Jesum esse hominem, Apostolus testatur scribens: *Si unius* (Adami) *delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit* [1]) Et pariter omnibus reliquis hominibus quorum mediator est, Christum assimilat illis verbis: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* [2]). — Unde etiam describitur Christus ut nobis *consubstantialis*, ejusdem videlicet speciei ac caeteri homines, *frater noster* et *caro nostra,* eadem ac nos *stirpe Adamica procreatus.* Sic de Christo iterum s. Paulus: *Qui factus est ei de semine David secundum carnem* [3]). Et ad Hebraeos scribit: *Decebat enim eum* (Deum), *propter quem omnia et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare. Qui enim sanctificat et sanctificantur ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos appellare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiae laudabo te*[4]) ... *Et iterum: Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Deus* [5]) *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit iisdem* [6]), *ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.... Unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi* [7]). Accuratam explicationem hujus ultimi textus, quum vario modo ab interpretibus exponatur, modo non proponimus. Sed id clarum est, ab Apostolo explicari convenientiam incarnationis et mortis Christi. Eam vero convenientiam inde repetit, quod qui redimendi erant communicabant carni et sanguini, seu habebant humanam naturam. Unde et conveniebat, ut ipse Redemptor assumeret eamdem naturam, et per passionem ac mortem vinceret diabolum, a mortis

Humana natura.

---

[1]) Rom. 5, 15. [2]) 1 Tim. 2, 5 [3]) Rom. 1, 3. [4]) Ps. 21, 23.
[5]) Isai. 8, 8. [6]) Osee 13, 14. [7]) Hebr. 2, 10 et sqq.

metu homines liberaret atque redimeret ipsos. Sed et in singulis hujus testimonii versibus, reliquis hominibus Christum consubstantialem esse, Apostolus praedicat.

49. Porro animadvertendum est, saepe in sacris Litteris integram humanam naturam ita exhiberi, ut per partem eam tantum quae visibilis est, per carnem videlicet, adhibita synecdoche designetur. Apud Isaiam e. g. legimus: *Omnis caro foenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri* [1]) Apud s. Lucam: *Et videbit omnis caro salutare Dei* [2]). Juxta hunc loquendi usum etiam Domino integra humana natura non raro adscribitur, dum eadem nomine carnis exhibetur. Sic in textibus superius citatis s. Paulus significat, Christum assumpsisse integram humanam naturam, dicens, eum *communicasse carni et sanguini*, eum factum esse *filium David secundum carnem;* et commemorat Israelitas, *ex quibus est Christus secundum carnem* [3]). Praesertim vero s. Joannes, uti jam innuimus, hoc loquendi modo utitur. Initio Evangelii sui, Verbum assumpsisse humanam naturam, illa propositione exprimit: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* [4]). Et in epistolis suis eamdem rationem loquendi adhibet. *Omnis spiritus,* scribit, *qui confitetur, Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est*; *et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichristus* [5]). *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur, Jesum Christum venisse in carne*: *hic est seductor et antichristus* [6]) Merito existimatur, a. s. Joanne hunc modum loquendi selectum esse, ut rejiceret deliria Docetarum, qui inde ab initio, ut ex epistolis quoque s. Ignatii M. patet [7]), veram de incarnatione doctrinam subvertebant. Sed etiam contra errores Cerinthi illa ratio scribendi omnino opportuna erat. Cerinthus non negabat, Jesum fuisse verum hominem, sed alium a Jesu dicebat Christum, aeonem scilicet *spiritalem*

---

[1]) Isai. 40, 6. [2]) Luc. 3, 6.
[3]) Rom. 9, 5. [4]) Jo. 1, 14. [5]) 1 Jo. 4, 2. 3. [6]) 2 Jo. 7.
[7]) Epist. ad Trallens. c. 9.

et impassibilem [1]), eumque super hominem Jesum in baptismo venisse, et tempore passionis recessisse. Scopus s. Joannis igitur erat, ut unum eumdemque esse Christum, et Jesum hominem hunc visibilem et patientem, inculcaret, quod illa expressione, qua humana natura ex sua parte visibili designatur, praeclare fiebat. —

50. Tota dein Christi Domini vita, quemadmodum in sacris Litteris nobis narratur, tam manifeste ut verum hominem eum exhibet, ut si negetur humana Christi natura, etiam ejus divinitas, ejus doctrina, ejus redemptio, imo omnia, quae in Evangelio continentur, tanquam fraus et deceptio sint habenda. Dicitur enim Christus conceptus, natus et circumcisus; perhibetur ambulasse, manducasse, jejunasse, esuriisse, dormivisse, flevisse, tristatus fuisse; dicitur fatigatus, passus et mortuus; quae omnia non nisi de vero homine dici possunt. Quo argumento frequentissime ss. Patres contra Docetas usi sunt. *Vani sunt,* scribit s. Irenaeus, *qui putative dicunt, eum apparuisse; non enim putative haec, sed in substantia veritatis fiebant; si autem, quum homo non esset, apparebat homo, neque quod vere erat perseveravit, h. e. Dei Spiritus, neque veritas quaedam erat in eo. Non enim illud erat, quod videbatur* [2]).

Corporis veritas.

51. Ex his quae probavimus jam veluti evidens corollarium fluit, Jesum Christum *corpus* vere humanum et *animam rationalem* assumpsisse; pauca nihilominus argumenta subjungimus, ex quibus eruitur etiam singillatim, has naturae humanae partes in Christo fuisse. — Atque imprimis veritas *corporis* ejus manifesta est ex iis, quae leguntur de ejus conceptione et nativitate. *Ne timeas Maria,* inquit angelus Gabriel, *invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum... Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* [3]) Et: *Impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum in-*

---

[1]) S. Iren. adv. haer. l. 1. c. 26.

[2]) Adv. haer. l. 5. c. 1. [3]) Luc. 1, 30. 35,

volvit, et reclinavit eum in praesepio.[1]) Unde etiam s. Paulus Christum vocat *factum ex muliere*[2]) Haecne quaeso alium, quam verum hominem cum corpore vero designare possunt? An hominis phantastici conceptio, nativitas, ac tempus et modus nativitatis, tali ratione describi potuissent? — Sed etiam Christus Dominus ipse manifestis verbis corpus et sanguinem, carnem et ossa humana sibi attribuit. Instituens sanctissimum eucharistiae sacramentum ait: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*[3]) *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur*[4]). Et post resurrectionem quum discipulis appareret, ipsi vero conturbati et conterriti existimarent, se spiritum videre, dixit eis: *Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum: palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes*[5]). Vindicat igitur Dominus sibi expresse corpus visibile et palpabile, carne et ossibus constans. Tota quoque vita Domini et passio veluti continuum argumentum est realitatis corporis ejus veri atque humani. *Si nihil sumpsisset ex Maria,* scribit s. Irenaeus, *nunquam eas quae a terra erant percepisset escas, per quas id quod a terra sumptum est nutritur corpus; nec quadraginta diebus, quemadmodum Moyses et Elias, jejunans esuriisset corpus ejus suam quaerens escam; sed nec Joannes discipulus ejus de eo scribens dixisset: Jesus autem fatigatus in itinere sedebat; nec David praeclamasset in eum: Et super dolorem vulnerum meorum apposuerunt; nec lacrimasset super Lazarum; nec sudasset globos sanguinis; nec dixisset: Tristis est anima mea; nec percusso latere exisset sanguis et aqua. Haec enim omnia signa carnis, quae a terra sumpta est, quam in se recapitulatus est suum plasma salvans*[6])

---

1) Ibidem. 2, 6. 7.
2) Galat. 4, 4. 3) Luc. 22, 19. 4) Ibidem 14, 24.
5) Luc. 24, 38. 39. 40. 6) Adv. haeres. l. 3. c. 22 nº 2.

Anima humana.

52. Quod ad *animam* humanam spectat, innumeris pariter sacrarum Litterarum effatis constat, eam a Christo assumptam fuisse. Sufficit considerare illa apud s. Joannem: *Animam meam pono pro ovibus meis... Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* [1] Posuit vero animam suam Dominus, quando *inclinato capite tradidit spiritum.* [2] Anima autem, quam Christus ponere et iterum assumere potuit, procul dubio non erat ejus divinitas, sed ejus anima humana. — Quam inepta et impia vero fuerit fictio Apollinaris, animam a Christo assumptam haud rationalem, sed mere sensitivam fuisse, nemo non videt. Imprimis animadvertendum est, Apollinarem suo errori substruxisse platonicam illam doctrinam, qua statuebatur, duplicem homini inesse animam, sensitivam alteram, alteram vero intellectivam. Sensitivam igitur Christo tribuebat, intellectivae vices a Verbo expletas fuisse delirabat. Sed jam vidimus, illam quorumdam philosophorum de duplici anima hominis opinionem, tum philosophice tum theologice falsam esse, atque ab Ecclesia catholica rejici. [3] Quemadmodum igitur Christus animam assumpsit eamque humanam, sine qua non fuisset homo, sic etiam assumpsit illam unicam, quae in homine est vitae vegetativae, sensitivae, et rationalis principium.

54. Haec porro veritas omnibus illis sacrarum Litterarum effatis comprobatur, quibus Christo Domino tales adscribuntur intellectus et voluntatis actus, qui nec corpori nec divinitati ejus, sed soli animae humanae rationali tribui possunt. Sic e. g. Christus Dominus sibi adscribit humilitatem, monens: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et requiem invenietis animabus vestris;* [4]

---

[1] Jo. 10, 14. 17. [2] Jo. 19, 30.

[3] Cfr. Tractatum de Deo Creatore, nº 194 et sqq.

[4] Matth. 11, 29.

quae quidem humilitatis virtus, nisi animam rationalem haberet, nullo modo in ipso concipi potest. Magna cum reverentia preces et supplicationes fundit ad Patrem suum, ipsique se exhibet obedientem, uti dicit Apostolus: *Qui in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrimis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem quum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est obedientiam.* [1]) — Voluntatem testatur in se esse differentem a voluntate Patris, et proinde aliam ac divinam, eamque Patri omnino submittit, et in agonia positus ab angelo recipit consolationem. *Positis genibus orabat dicens: Pater, si possibile est, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de coelo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat.* [2]) Generatim tota vita ac passione Christi, sicuti ostenditur eum habere animam, sic et rationalem hanc esse, simul comprobatur. — Nec opus passionis meritoriae sine anima rationali Christus suscipere potuisset; divinitas enim pati nequit, ac meritoria passio tantum esse poterat, quatenus animam mente ac voluntate rationali praeditam Dominus habebat. Sane etiam haud aliam quam rationalem animam Patri commendavit, quando in cruce clamans voce magna Jesus ait: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* [3])

Traditio. 54. Quod attinet ad *Traditionis* doctrinam, inde ab initio videmus instanter propositam et vindicatam eam veritatem, Christum perfectum hominem esse, atque a Verbo assumptum tam verum corpus humanum, quam animam rationalem. Ac re quidem vera, prouti vel una vel altera pars humanae Christi naturae ab haereticis impugnabatur, impium ejusmodi errorem magna cum vi ss. Patres rejecerunt, et integritatem humanae naturae in Christo propugnarunt. Sic Patres Apostolici contra Docetas, corpus

---

1) Hebr. 5, 7. 2) Luc. 22, 41 et sqq.
3) Luc. 23, 46.

verum Christo convenire, inculcant. Ad testimonia s. Irenaei jam citata sufficiat addere verba s. Ignatii M., qui in epistola ad Smyrnenses scribit: *Cognovi vos perfectos in fide immota, plene persuasos in Dominum nostrum vere existentem de genere Davidis secundum carnem, qui vere passus est, sicut et vere semetipsum resuscitarit, non ut quidam infideles dicunt, secundum apparentiam eum passum esse.* [1]) Eadem vero constantia postea ss. Patres Arianorum et Apollinaristarum erroribus diserte opposuerunt doctrinam catholicam, a Verbo etiam animam rationalem esse adscitam. *Deus,* inquit s. Cyrillus Alexandrinus, *factus est caro, h. e. homo animatus anima rationali.* [2])

55. Tanta est in hac doctrina omnium ss. Patrum consensio, ut nullus sit, qui non magnam vim sententiarum suppeditet, quae Christum Deum verum esse significent, hominemque perfectum ex vera carne animaque rationali contextum. Sed etiam simul non pauci sapienter rationes exponunt theologicas, quibus humanae naturae in Christo integritas probatur, et contra obtrectatores ejus idonea causa redditur. Quum vero ad intelligentiam accuratiorem doctrinae de incarnatione et redemptione valde utile sit, ejusmodi rationes a ss. Patribus jam expositas nosse, non abs re erit, pauca de his (juxta Petavii expositionem) afferre.

Rationes theologicae.

56. Primum igitur genus argumentandi ab antiquis ex eo ducitur, quod nisi integra esset humana Christi natura, vera non esset, nec verus homo Christus, ideoque nec homo esset omnino. *Quaero,* inquit s. Augustinus, *quemadmodum accipias hominem Christum. Non utique, ut quidam haeretici, Verbum Dei et carnem, hoc est sine anima humana, ut Verbum esset carni pro anima; vel Verbum Dei et animam et carnem, sed sine mente humana, ut Verbum Dei esset animae pro mente humana... Profecto,*

---

[1]) Epist. ad Smyrn. n° 1. 2. [2]) Epist. 3 ad Nestor. n° 19.

cum dicis hominem perfectum, totam illic naturam humanam vis intelligi. Non est autem homo perfectus, si vel anima carni, vel animae ipsi mens humana defuerit. [1])

57. Secundus argumentandi locus ex Dei consilio et fine petitur, quem in incarnatione molienda sibi proposuit, quantum ex sacris Litteris intelligere possumus. Hoc enim illae significant, instaurandi humani generis gratia, quod partim primi hominis vitio prolapsum fuerat, partim propriis criminibus, missum a Patre unigenitum venisse Filium, *ut salvaretur mundus per ipsum.* [2]) Placuit autem divinae sapientiae ac bonitati recuperandae salutis nostrae ratio ista, ut non potentia superaret hostem, neque vis ex ejus dominatu captivum eriperet: sed ut justitia pariter et misericordia in partem venirent totius administrandi negotii; atque ut eadem, quae in omnibus divinis operibus admirabiliter existit, in summo ac praecipuo emineret illo suavitas et artificiosa sollertia, qua sic rebus a se conditis efficientiam suam et providentiam accommodat Deus, ut ad earum se temperet indolem et captum. Quo ex divini consilii fonte variae ducuntur a Patribus rationes, quae ad institutam disputationem apprime conferunt.

58. Imprimis enim consentaneum id fuisse colligunt, ut ab *homine* procuraretur hominum salus, qui simul etiam Deus esset, et quidem vere utrumque atque perfecte. Nam victorem et successu tumentem hostem superbissimum, ab ipso quem vicerat et prostraverat, hoc est ab eadem natura superari vicissim, aequum fuit et miserentis conditoris indulgentia ac bonitate dignum. Oportuit videlicet in eadem quae peccato erat infecta natura peccati piaculum ac remedium accipi, ut esset plena et perfecta peccati dissolutio. Quum igitur par esset, ut homo esset hominis liberator et vindex, sequitur, eum neutrius expertem fuisse partium illarum, sine quibus constare hominis natura non potest, ita ut novus Adam Christus, totum in se primum

[1]) Epist. ad Dardanum (188), seu lib. de praesentia Dei nº 4.
[2]) Jo. 2, 17.

Adamum peccati et calamitatis auctorem contineret. *Voluit*, ait Theodoretus, *eamdem quae victa fuerat naturam, adversarium debellare et victoriam referre; ob eamque causam et corpus et animam ratione praeditam assumpsit.* [1]) Maxime vero contra Arianos et Apollinaristas valet ista ratio, quorum illi animam, illi rationalem ejus partem subtrahebant. Etenim horum vel uno adempto, homo esse desinit et in brutam degenerat animantem.

Similis fere illa ratio est, quam Patres inde petunt, quod juxta Apostolum Christus debuit esse *mediator* et *conciliator* inter Deum et homines. *Inter Deum et homines,* inquit s. Augustinus, *mediator apparuit, ut in unitate personae copulans utramque naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis temperaret.* [2]) Hinc ergo necessario sequitur, tum Deo tum hominibus consubstantialem Christum esse debuisse. Sed hominibus consubstantialis non esset, si aliqua parte hominem componente careret. Unde Theophilus in epistola paschali prima: *Ex tantis et talibus*, inquit, *assumpsit hominem dumtaxat absque peccato, ex quantis et qualibus nos omnes creati sumus: non ex parte, sed totus mediator Dei et hominum, homo, Christus Jesus.*

59. Celeberrima tandem est apud antiquos Patres et a pluribus usurpata haec ratio, cur omnibus suis absolutam partibus naturam hominis assumpserit Verbum, nec aliter debuerit fieri: quod toti homini consulendum hoc modo fuit, isque ex integro recuperandus et in pristinum revocandus statum, quem totum illa peccati labes et calamitas occuparat. Quodsi pars hominis ulla, utputa caro vel anima, ei quem sibi Deus adjunxit naturae defuisset, salutis et curationis expertem futuram illam ipsam, disputare solent. Sic s. Gregorius Nazianzenus in Apollinarem invehens queritur, *circa mentem* (τον νουν) *homines alioquin sapientes dementire et humanitatem dividere*, *ut non*

---

[1]) Contr. haer. l. 5. c. 11. [2]) Epist. (187) ad Volusianum n° 3.

ex toto salutem consequar qui totus cecidi, et condemnatus sum ex primi parentis inobedientia et adversarii fraude: ut ita tum Dei beneficium, tum nostra salus imminuatur. [1]) Totus videlicet homo aegrotabat, ideoque toti medendum erat; tum praecipue nobilissima ejus pars, quae mens est male affecta, singulari remedio opus habebat. [2])

Concilia et Symbola.

60. Quod Scripturae sacrae nos docent, et ss. Patres tradunt ac rationibus theologicis propositis apte illustrant, a Christo humanam naturam integre esse assumptam, id etiam *Concilia oecumenica* ac *Symbola fidei catholicae* ut dogma proclamant. In Symbolo Apostolico haec professio perfectae humanitatis Christi implicite continetur iis, quae de Jesu Christo Domino nostro statuuntur, *qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus.* In Symbolo Nicaeno pariter haec veritas proponitur professione fidei in Filium Dei unigenitum Patri consubstantialem, *qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.* Concilium Chalcedonense merito docet, his verbis, quibus Nicaenum symbolum Incarnationem exposuit dicens, incarnatum et hominem factum Dei Filium, demonstrari, vere humanam assumptam esse naturam, carne proprie dicta et anima ratione praedita constantem. [3]) Declarationem vero solemnem fidei ipsum emittit his verbis: *Sequentes igitur ss. Patres ... constanter omnes docemus eumdem perfectum in Deitate, et eumdem perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere eumdem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum divinitatem et consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato.* [4]) Sed etiam Concilium oecumenicum Constantinopalitanum I jam praeierat solemni professione, quum in Epistola Synodica statuat: *Nos praeterea doctrinam domi-*

---

[1]) Orat. th. 14. [2]) Vide de his Petav. de Incarn. l. 5. c. 11.
[3]) Conc. Chalced. P. 3. [4]) Conc. Chalc. act. 5.

nicae Incarnationis integram et perfectam tenemus: neque dispensationem carnis Christi vel animae vel mentis expertem vel imperfectam esse, asserimus, sed agnoscimus, Verbum Dei ante saecula, omnino perfectum hominem in novissimis diebus pro nostra salute factum esse.

Objectiones.

61. Modo quaedem dicamus de argumentis, quibus haeretici varios de humanitate Christi errores fulcire nitebantur. — Quod igitur ad Docetas spectat, sciendum est, fundamentum errorum fuisse ipsis perversa praejudicia, quatenus falso quodam spiritualismo decepti indignum judicabant, corpus carneum atque humanum ex Maria desumptum Christo tribuere. Materiam enim hanc vel malam, vel nimis vilem esse censebant, ita ut Christus eadem indutus concipi non posset. Anabaptistae vero propterea videntur in suam erroneam de Incarnatione sententiam declinasse, quod existimarent, admissa conceptione Christi ex B. Virgine, impeccabilitatem Domini teneri non posse.[1]

62. Varios dein tum antiqui tum recentiores isti haeretici, qui verum corpus humanum Christo fuisse negabant, conquirebant Scripturarum textus difficiliores, quibus, inepta interpretatione usi, suas sententias firmabant. Sic ut exempli causa aliquos illorum textuum afferamus, Docetae abutebantur illis verbis s. Pauli: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*[2]; et illo textu: *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.*[3] Etiam ea afferebant, quae alio loco Apostolus scribit: *Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem, et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.*[4] Inferebant ex his textibus, Christum tantum specie phantastica hominibus similem fuisse, et verum corpus carneum non habuisse. — Apelles vero et recentiores Anabaptistae

---

[1]) Cfr. Möhler, Symbolique l. 2. ch. 1. §. 58. [2]) Philipp. 2, 5.
[3]) Rom. 8, 3. [4]) 2. Cor. 5, 16.

ad suum errorem confirmandum afferunt illa Domini: *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* [1] Ex quibus ita argumentantur: Filius hominis est Christus secundum carnem. Atqui Christus ascendit in coelum cum carne. Ergo quum idem qui ascendit dicatur descendisse, sequitur, cum coelesti corpore eum descendisse. Quod confirmant ex verbis s. Pauli: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis* [2]). Quemadmodum, inquiunt, in priori inciso indicatur materia praejacens, ex qua formatus est primus homo Adam, videlicet materia terrestris, sic altero inciso indicatur, ex materia coelesti corpus secundi hominis Christi formatum fuisse.

63. Jam primo veluti obtutu apparet, quam futilia sint talia argumenta; accuratiori autem exegesi singulos textus exponemus, ut distinctius perspiciatur, inani labore eos esse ab haereticis conquisitos, ut insanas suas opiniones tuerentur. — Verba epistolae ad Philippenses, quae in hoc de Incarnatione Tractatu non raro nobis sunt afferenda, opportune simul cum iis quae praecedunt considerantur. Monet igitur Apostolus fideles: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu;* i. e. is affectus caritatis sit in vobis erga vos invicem, qui et in Christo fuit erga nos; ipsum imitamini. *Qui quum in forma Dei esset* (*ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων*), *non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo.* Sensus est: Qui cum esset ac sit in natura Dei, seu verus Deus, non existimavit aequalitatem Dei sibi esse rapinam, hoc est, rem alienam ex rapto usurpatam, ut propter hoc se tantopere humiliaverit, velut agnoscens usurpasse se aliquid non suum, quod humiliando se dimiserit. *Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Quasi dicat: Non alienum deposuit, sed semetipsum, qui verus erat Deus, ad imum usque dejecit, ac divinitatem quodammodo exuit. Formam videlicet servi accepit, seu naturam humanam, quae utique respectu Dei,

---

[1]) Jo. 3, 13. [2]) 1 Cor. 15, 47.

totius creaturae Domini, servilis est. *In similitudinem hominum factus.* Videtur nobis interpretandum, Christum factum esse aliis hominibus similem, quia verus factus est homo, quemadmodum superius secundum naturam divinam dicebatur aequalis Deo. Similes enim dicuntur etiam qui eamdem habent naturam, et tantum in accidentalibus differunt. Sic Adam dicitur genuisse Seth in similitudinem suam, [1]) et Elias dicitur homo similis nobis, passibilis. [2]) Haec expositio toti contextui congruit. — Alii sic interpretantur: Fuit similis aliis hominibus, non autem unus ex illis, quia non fuit homo purus nec peccator. Haec interpretatio probabilis fit ex aliis locis, nominatim ex eo, quod Rom. 8, 3 etiam Filius Dei dicitur *missus in similitudinem carnis peccati.* Erat videlicet in Domino vera caro ut in aliis hominibus, sed non erat caro peccati, ideoque dicitur missus in similitudinem carnis peccati. Sic homo dicitur factus ad similitudinem Dei, non vero Deus factus. — *Et habitu* (σχήματι) *inventus ut homo* dicitur dein ab Apostolo Christus, quia secundum figuram et speciem exteriorem oculis hominum expositam inventus est ut homo, i. e. agnitus est verus homo. Particula *ut* (ὡς ἄνθρωπος) veritatis est nota, non nudae similitudinis. Quod et Theophylactus adnotavit, adducens locum similem, ubi Joannes de Christo dicit: *Vidimus gloriam ejus, quasi* (ὡς) *unigeniti a Patre*; cum vere esset unigenitus, sicut ibidem Evangelista ait: *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* [3]) — Haec igitur expositio verborum s. Pauli, quibus Docetae abutuntur, manifeste contextui omnino conformis est atque aptissima. Unde vides, irrito conatu haereticos studere, apertissimae doctrinae Scripturarum de vero corpore Christi hunc textum opponere. [4])

---

[1]) »Vixit autem Adam centum triginta annis: et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth. »Gen. 5, 3.

[2]) »Elias homo erat similis nobis, passibilis: et oratione oravit, ut non plueret super terram, et non pluit annos tres et menses sex.« Jac. 5, 17.

[3]) Jo 1, 14 18. [4]) Cfr. Estium in h. l.

64. Alter locus: *Itaque ex hoc nos neminem novimus secundum carnem; et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus*, obscurus quidem est, sed adversariis nullo modo favet. Recte enim s. Augustinus, quum Manichaei eodem textu abuterentur, ut Christo carnem denegarent, animadvertit, se mirari, Manichaeos caecos non videre, *quia si Christus ideo non habet carnem, quia dixit Apostolus, nunc jam nos non nosse Christum secundum carnem, nec illi habuerunt carnem, de quibus in eodem loco dicit: Itaque nos amodo neminem novimus secundum carnem.* [1]) Sensus autem verborum s. Pauli hic esse videtur: Si Christum magni aestimavimus, ei adhaesimus eumque dileximus secundum carnales seu humanos cordis nostri affectus, sicut amicus amicum diligit et concivis honorat magnum suae stirpis virum, nunc jam talis affectus non satis spiritualis per Spiritum sanctum cessavit in nobis. *Hoc*, ait s. Thomas, *Apostolus in aliorum persona dicit discipulorum, qui carnales erant, et ipsi Christo apud eos praesenti secundum carnalem affectum adhaerebant.* [2])

65. Jam dicamus pauca de illo effato Domini: *Nemo ascendit* (ἀναβέβηκεν) *in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo.* — Christus Dominus exposuerat Nicodemo spiritualem regenerationem, quae est totius oeconomiae supernaturalis exordium et fundamentum, modo facili et carnalibus hominibus accommodato. Sed Nicodemus nihilominus existimans, res a Christo proponi ab humano sensu nimis remotas, respondet: *Quomodo possunt haec fieri?* Exprobrat Dominus hanc

---

[1]) C. Faustum l. 7. c. 5.

[2]) In epistolam secundum ad Corinth. l. 4. — Tali modo textum etiam s. Ambrosius videtur intelligere in epistola ad Faustinum (39), quem de morte sororis consolatur. »Verum forte asseras, securum te de meritis ejus ac fide; nequire tamen ferre desiderium, quod eam jam non videas secundum carnem, idque tibi summo dolore sit. Nec illud te movet Apostolicum: Quia neminem novimus ex hoc secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus etc.?«

incredulitatem ac: *Tu es*, inquit, *magister in Israel*, *et haec ignoras?.. Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo si dixero vobis coelestia credetis?* Quum, inquit Christus, veritates fundamentales doctrinae meae, quas humano more, ut facilius intelligantur, exposui, non credatis, quomodo, si mysteria sublimissima et divina sine velamine vobis proposuerim, credetis? *Et nemo*, pergit, *ascendit in coelum*, *nisi qui descendit de coelo*, *Filius hominis*, *qui est in coelo.* Connexio est hujusmodi: atqui, prosequitur Dominus, credere tamen debetis fidei mysteria, nec alius est qui ea noverit et vos docere queat, nisi ego Filius hominis. Neque vobis sperandum est, (ita bene exponit cl. Patritius), posse vos in coelum conscendere, ut haec ipsi videatis; nam nemo hactenus ascendit in coelum, nisi ego. — Frustra sunt, qui quaerunt, quomodo Christus tunc dicere potuerit, se *ascendisse* in coelum; non enim id dixit, neque id efficitur illo *nisi*, quod non significat, unum Christum ascendisse in coelum, sed unum fuisse in coelo. Sicut, quum aliquis e sua domo egressus, rogatusque an quisquam ad eum venerit, respondet: Nemo in domum meam venit, nisi ego, qui modo inde exii, non dicere vult, se domum venisse, sed se solummodo domo fuisse. [1]) Itaque illud *ascendit in coelum* non refertur ut Anabaptistae fingunt ad futurum Christi ascensum, sed significat tantum, eum in coelo fuisse. — Christus autem dicitur *descendisse* de coelo, non ac si motu locali inde cum carne venerit; sed quatenus secunda Trinitatis persona sine sui mutatione in terris humanam naturam hypostatica unione sibi copulavit, ut genus humanum redimeret. Quod vero dicatur *Filius hominis* descendisse, nullatenus significat, cum carne coelesti Verbum venisse. Sed hic loquendi modus plane respondet legi *communicationis idiomatum*, de qua opportuno loco fusius agetur. Haec lex videlicet quoad ordinem et modum *praedicationis* in eo sita est, ut supposita unione hypostatica, de Deo Verbo affirmanda

---

[1]) Cfr. Patritii Commentar. in Joannem in h. l.

sint omnia, quae affirmantur de hoc homine Christo, e. g. nativitas, et passio; et vicissim de hoc homine Christo, (Filio hominis), affirmanda sint, quae affirmantur de Deo Verbo, propter hypostasis unitatem, e. g. quod creaverit omnia, quod descenderit de coelo, quod sit in coelo. — Patet igitur, argumentum Anabaptistarum omnino ineptum esse.

66. Similiter alius textus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de coelo coelestis,* nullatenus probat, quod haeretici illi volunt. Apostolus in contextu loquitur de resurrectione, ac de qualitate corporum resurgentium, et in eo est ut doceat, corpora quum modo habeant qualitates animales, quatenus cibo indigent et potu, in resurrectione habitura esse qualitates spirituales. Illustrat doctrinam instituta comparatione inter Adamum et corpus Christi post resurrectionem. Primus homo originem habuit de terra; corpus enim ejus formatum fuit ex limo terrae; et sicut ejus origo est terrestris, ita etiam qualitates habet terrenas. Hinc paradigma est corporum nostrorum in hac vita mortali. Secundus homo Christus de coelo est, quia ut persona divina divinam habet originem. Dicuntur haec iterum juxta legem communicationis idiomatum. Porro per resurrectionem factus est etiam corpore coelestis, id est qualitates suae dignitati divinae convenientes etiam secundum corpus accepit; factus est scilicet immortalis, impassibilis et omni ex parte gloriosus. Et sic paradigma est corporum resurgentium. — Comparatio igitur fit quidem inter Adamum et Christum quoad originem; sed non praecise quoad materiam praejacentem, ex qua corpora eorum facta sint. In Adamo utique haec materia respicitur, quum in Genesi origo ipsius exhibeatur commemorata formatione corporis ex limo terrae, et qualitates corporis ejus huic origini respondeant. Quoad Christum autem respicitur origo divina, quatenus est Filius Dei; huic origini ac dignitati plene respondet corpus ejus gloriosum post resurrectionem. — Haec expositio textui congrua est, et conformis universae Scripturarum doctrinae;

interpretatio autem haereticorum arbitraria, et doctrinae sacrarum Litterarum omnio opposita.

67. Ad Arianos quod spectat, non tam argumentis adductos illos esse constat, ut solam in Incarnationis mysterio corporis substantiam affingerent Christo Domino, animamque detraherent, quam unica illa ratione, ut hoc posito primarium caput adstruerent nefarii sui dogmatis, dissimilem esse substantia Filium Patri, utpote patiendi capacem. *Etenim* ait Caesarius, *si inanimum existimemus esse Dominicum corpus, prorsus consequens erit, patibilem pronuntiare deitatem, quae carnem pervadat instar animae, ac fami, siti, somno, lacrymis, angori et sudori naturaliter obnoxia sit.* [1]) — Ex Scripturis Ariani et post ipsos Apollinaris afferebant praecipue illa s. Joannis: *Verbum caro factum est*, inde inferentes, a Verbo animam, vel animam rationalem non esse assumptam. Sed necessarium non est, ut de hac ratione loquendi iterum agamus; jam superius eam ita explicavimus, ut perspicuum sit, futilem esse hunc haereticorum argumentandi modum. [2]) — Apollinaristae praeterea varias rationes theologicas afferebant, cur Christus non acceperit animam Ex quibus hic sufficiat adducere eam qua contendebant, Christum peccato obnoxium reddi, si ei adscribatur rationalis anima. *Metus est*, ait s. Ambrosius de hac Apollinaris haeresi loquens, *ne sensu Christus laberetur humano, quia concupiscentia carnis legi mentis repugnet.* [3]) Hanc difficultatem Apolli-

---

[1]) Dialog. 1. interrog. 26.

[2]) Ratio loquendi ss. Scripturarum, qua nomine *carnis* Christi per synecdochem tota ejus humana natura significatur, etiam frequenter ab illis ss. Patribus usurpatur, qui tribus prioribus saeculis contra Docetas scripserunt. Iidem tamen simul aperte docent, Christum perfectum hominem fuisse. Ita de orthodoxa eorum doctrina nullum dubium est, ac omni fundamento caret recentiorum quorumdam protestantium assertio, qua calumniantur plerosque antiquiores Patres in eodem errore fuisse, quo Ariani et Apollinaris postea Christo carnem tantummodo, non animam adscripserunt.

[3]) Lib. de Incar. c. 7.

naristarum plures ss. Patres refutarunt. Inter alios respondet aptissime s. Epiphanius, Christum, quemadmodum ita carnem adscivit, ut nullum carnis detrimentum labemque senserit, sic assumpta mente, nihil ea quod divinitate indignum esset cogitasse, sed quaecumque rationi erant consentanea, ne verae suae Incarnationis ordinem administrationemque turbaret. Addit insuper, corruptelam homini insitam non ex mente proficisci, nec in eum finem homini mentem esse concessam, sed ad rectum et naturalem usum minimeque vituperandum; ac potius carnis nomen ex usu sacrarum Litterarum infamia laborare, quam mentis, sed nec illam tamen per sese malam ac poenitendam esse, posseque quod in ea bonum est a vitio secerni.[1])

Scholion I. De formula: Mediante anima etc.

68. Scholion I. In disputatione cum Arianis et Apollinaristis frequenter ss. Patres ea usi sunt formula, Verbum *assumpsisse carnem mediante anima* (*δια μεσης ψυχης, δια μεσου νους*). De hac celebri formula opportune quaedam hoc loco notantur, quae ad intelligendam sanam de Incarnatione doctrinam non mediocriter conferunt. — Illam igitur formulam clarissimam aliqui theologi saeculi XII perperam intellexerunt. Existimarunt videlicet, ex doctrina Patrum in conjunctione Verbi cum carne animam veluti glutinosum vinculum intercedere, per quod caro jungatur cum Verbo, ita ut unio Verbi cum carne non sit aeque immediata, ac est conjunctio ejus cum anima. At non eo pertinet illa formula; nam aeque immediate corpus et anima cum Verbo unita sunt. Nec seorsim carnem et seorsim animam Verbum assumpsit, sed humanam naturam constantem corpore informato ab anima rationali. Hinc statuit Concilium oecumenicum V. can. 4°: *Qui non confitetur unionem Dei Verbi cum animata carne secundum compositionem vel secundum hypostasim, quemadmodum sancti docuerunt Patres, anathema sit.*

Illa autem formula, Verbum assumpsisse carnem *me-*

---

[1]) S. Epiph. haer. 77. §. 27. — Vide Petav. de Inc. l. 5. c. 12.

diante anima rationali, significat, Verbum assumpsisse carnem *ratione animae, secundum animam,* seu *quatenus anima rationali informabatur.* Exprimitur videlicet ordo dignitatis, congruentiae, decentiaeve, imo etiam necessitatis, in mysterio Incarnationis animae rationali proprius. *Verbum,* ait bene Cardinalis Gerdil, *in assumendo corpore, non corpus spectavit simpliciter ut caro est. Sed quum vellet humanam naturam integram perfectamque assumere, ideo et corpus assumere voluit, non ut corpus merum, sed ut corpus humanum, pertinens videlicet ad integritatem constituendam humanae naturae. Corpus autem non aliter humanum esse intelligitur, nisi ex ordine quem habet ad animam.* [1]) — Ut vero rem aliqanto accuratius explicemus, anima varia ratione *media* dici potest inter corpus et divinitatem. Media est ratione *dignitatis,* cum ignobilior divinitate, nobilior tamen sit corpore. Media est ratione *causalitatis,* quatenus ex ipsa fit, ut caro humana sit vero humana; nisi enim caro informetur anima, vere humana non est. Hinc media etiam est ratione *congruentiae*, vel etiam *necessitatis.* Congruebat enim, ut Verbum divinum non carnem meram, sed carnem rationali anima informatam assumeret; imo illa quae facta est hypostatica unio, qua Christus est naturalis Filius Dei, ut videtur, fieri non potuisset, nisi integra natura humana assumpta. [2])

---

[1]) Gerdil. in notis ad Felleri animadversiones, t. 14. p. 329.

[2]) Praeclare hac de re s. Thomas: »Cum anima, media inter Deum et carnem ex sua nobilitate existens, carnis Filio Dei uniendae causa quodammodo sit, fatendum est, Filium carnem humanam assumpsisse mediante anima... Medium dicitur respectu principii et finis. Unde sicut principium et finis important ordinem quemdam, ita et medium. Est autem duplex ordo: unus quidem temporis, alius autem naturae. Secundum autem ordinem temporis non dicitur in mysterio Incarnationis aliquid medium: quia totam humanam naturam simul sibi Verbum Dei univit. Ordo autem naturae inter aliqua potest attendi dupliciter: uno modo secundum gradum dignitatis; sicut dicimus, angelos esse medios inter homines et Deum; alio modo secundum rationem causalitatis; sicut dicitur media causa existere inter primam causam et ultimum effectum.. Sic ergo si at-

68. Scholion II. Natura humana quam Verbum assumpsit manifeste fuit natura *singularis* et *individua*, quae inde a primo instante existentiae suae Verbo hypostatice unita est. Non fuit igitur prius in se subsistens, quam a Verbo assumeretur, adeoque ut modus loquendi sit accuratus, dicendum est, non *hominem*, sed *humanam naturam* esse assumptam. Quod si tamen interdum ss. Patres hominem assumptum a Verbo dicunt, id sano sensu manifeste interpretandum est, nihilque aliud significat, nisi, accepta humana natura Verbum factum esse hominem. — *Communem* vel *universalem* naturam etiam Graeci Patres interdum asserunt assumptam, quod non eo sensu dicunt, ut universalem quamdam existentem, vel logice abstractam naturam doceant esse adscitam, sed ut significent, talem naturam a Christo esse susceptam, qualem et alii homines habent, ita ut verus homo sit Christus. — Nonnunquam etiam nolunt, ut ea expressio adhibeatur, *individuam* naturam assumptam esse; ratio est, quia *individuae* vox saepe exprimit naturam in se subsistentem ut jam communicari nequeat, seu personam. Atque sub hoc quoque respectu quidam praeferunt dicere, *communem* naturam humanam esse adscitam. Sed si *individuae* vocabulum adhibetur ut plane synonymum *singularis* naturae, non est cur hoc vocabulo non utamur.

Scholion II. Natura singularis assumpta.

Articulus III.

DE GENERATIONE CHRISTI EX B. MARIA SEMPER VIRGINE.

70. Verbum assumpsisse naturam humanam ex Maria, jam in iis quae Articulo praecedente exposuimus satis con-

---

tendamus gradum dignitatis, anima media invenitur inter Deum et carnem: et secundum hoc potest dici, quod Filius Dei univit sibi carnem mediante anima. Sed et secundum ordinem causalitatis ipsa anima est aliqualiter causa carnis uniendae Filio Dei. Non enim esset assumptibilis, nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quam habet quod sit caro humana.« Summa theol. p. 3. q. 6. a. 1. —

tinetur; nihilominus tamen accuratius de Christi generatione ex beata ejus Matre nobis agendum est, quum nonnulla hac in re supersint explicanda. Vindicanda nobis praeterea est perpetua B. Mariae virginitas, quam ante conceptionem Christi coluit Deoque sacravit, in conceptione et in partu non habuit imminutam sed sanctificatam, post partum vero conservavit, ita ut et mater sit et semper permanserit virgo. Unde vides, tria distincta dogmata hac doctrina de perpetua virginitate sanctissimae Matris Domini contineri. Primo enim statuitur, Mariam virginem non ex carnali commercio, sed operante Spiritu sancto Christum concepisse, ita ut ejus virginitas in conceptu omnino illibata permanserit. Secundo asseritur, Mariam ne in partu quidem virginalem corporis integritatem amisisse, adeoque non juxta naturae leges, sed singulari et admirabili partu Christum in lucem edidisse. Tertio vero docetur, Mariam etiam post partum Christi usque ad mortem intemeratam virginem permansisse. Hinc sancta Maria antonomastice *Virgo* et *semper Virgo* nominatur.

Triplex dogma.

Errores.

71. Generationem Christi ex muliere jam diximus antiquitus impugnatam fuisse a Valentinianis et quibusdam aliis Gnosticorum sectis, recenti vero tempore ab Anabaptistis. Finxerunt hi haeretici, Christum de corpore Virginis nihil accepisse, sed corpore e coelo allato transiisse per illius uterum, sicut aqua per canalem et lux per vitrum. Et ideo, delirarunt Anabaptistae, de Christo dici: *Erat lux vera.* — Christum ex integra et experte viri femina prognatum fuisse, nemo christianus unquam vocavit in dubium. Soli de eo hucusque litigant Judaei, et qui nomine Christum professi revera Judaei erant, Carpocrates, Cerinthus, et Ebionitae; nec non nostri temporis rationalistae et increduli, qui pariter in christianorum censu computari non possunt. — Varii porro conceptum quidem Christum esse docuerunt a Virgine, sed eam subjecerunt quoad partum caeterarum ac vulgarium feminarum quae matres fiunt conditioni, ut nempe violata corporis virginalis integritate partum in lucem emittant. Non pauci etiam vir-

ginitatem B. Mariae post partum impugnaverunt, asserentes, eam post natum Jesum ex Joseph conjuge suo alios habuisse liberos, hosque in Evangelio fratres Christi nominari Jam Originis aetate hic fuit quorumdam error; sed notiora sunt Apollinaris, Eunomii, Helvidii, Joviniani ac Bonosi commenta. De Apollinaristis testis est Epiphanius haeresi 77[a], et initio haeresis 78[ae] quae est Antidicomarianitarum; ubi vel Appollinarem ipsum vel ejus discipulos ita sensisse ex quorumdam relatione narrat, Mariam, postquam pepererit Christum, cum Joseph conjuge suo consuetudinem habuisse ac liberos edidisse. Eunomius et Helvidius, qui eadem fingebant, ex Arii secta prodierunt. Helvidius Auxentii Ariani fuit discipulus, quem s. Hieronymus luculento opere confutavit. Hunc haereticum paulo post consecutus est Jovinianus monachus, qui apud Mediolanum in monasterio aliquanto tempore vixit, indeque digressus voluptariam sectam instituit. Hinc Christianorum Epicurus a. s. Hieronymo in opere quod contra illum scripsit vocatur. Matrimonium videlicet aequalis cum virginitate meriti esse dicebat: abstinentiam victusque parsimoniam et virtutes caeteras, quibus corporis voluptates coercentur, velut inutiles contemnebat. Ac denique B. Virginem asserebat in partu non permansisse virginem, ac post Christum in lucem editum alios genuisse ex B. Joseph filios. Jovinianus cum asseclis suis a s. Siricio Romae, et a s. Ambrosio Mediolani de haeresi damnatus fuit, atque a. 412 etiam ab Honorio imperatore exilio mulctatus plumbatisque caesus in Boam Dalmatiae insulam deportatus est. His addendus est ex antiquis Bonosus in Macedonia olim Episcopus, qui pariter virginitatem Mariae post partum ab ipsa servatam esse negavit. — Saeculo XIV haeretici quidam *Lochardini* dicti virginitatem Mariae in partu negarunt, et saeculo XVI varii inter Anabaptistas, Lutheranos, et Calvinistas, errorem jam exstinctum resuscitantes impie sustinuerunt, eam post Christi partum alios liberos genuisse. Nostro tempore rationalistae praesertim perpetuam B. Mariae virginitatem impetunt. — Hisce expositis imprimis breviter probabimus,

Verbum divinum modo mirando carnem ex B. Virgine revera suscepisse; dein vero perpetuam sanctissimae Domini Matris virginitatem propugnabimus.

Propositio I.

72. Propositio I. — *Dogma est fidei catholicae, Jesum Christum ex Beata Maria carnem vera generatione, miro prorsus ac stupendo modo, operante Spiritu sancto suscepisse.*

Praenotanda.

Praenotanda. Propositio significat, Filium Dei *per generationem* ex substantia materna nostram accepisse naturam, ita ut B. Virgo vitali actione totum id contulerit, quod ad rationem verae ac propriae maternitatis requiritur. Dicitur autem *operante Spiritu sancto* carnem assumpsisse, quatenus praeter naturae ordinem virtus Spiritus sancti efficaciam tribuit et concurrit ad producendum ex purissimo Virginis sanguine corpus Christi in ordine ad infusionem animae. Unde intelligis, miro prorsus ac stupendo modo ex Virgine Christum generatum esse.

Explicatio.

S. Scriptura.

73. Demonstratio. — In antiquo Testamento veteribus Patriarchis promissus est Messias nasciturus ex eorum semine. Dictum enim est Abrahamo: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae;* [1]) idemque repetitum est Isaaco [2]) et Jacobo.[3]) Divinas autem has promissiones omnino fuisse impletas in Christo, ss. Litterae novi Foederis testantur. Dicitur enim Christus: *Filius David, filius Abraham.*[4]) *Qui* (Filius Dei) *factus est ei ex semine David secundum carnem.*[5]) *Ex quibus* (Patribus) *est Christus secundum carnem.*[6]) Et perspicuis verbis docet Apostolus: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere* (γεννώμενον ἐκ γυναικός), *factum sub lege.* Atqui Christus nullatenus dici posset ex Patribus et ex semine David secundum carnem, nec factus (vel generatus) ex muliere, nisi ex Maria, quae erat ex familia Davidica, vera quamvis mira generatione carnem suscepisset. — Sed et ipsum *mo-*

---

[1]) Gen. 22, 15. [2]) Ibid. 26. 4. [3]) Ibid. 28, 14.
[4]) Matth 1, 1. [5]) Rom. 1, 2 [6]) Rom. 9, 5.

dum admirandum, quo Christus conceptus fuit, juvabit secundum Evangelistarum narrationem ob oculos ponere: *Missus est angelus Gabriel*, scribit s. Lucas, *a Deo in civitatem Galilaeae cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quae cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas Maria: invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.... Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*[1]) Ac s. Matthaeus: *Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus.*[2]) Ex his omnino manifestum est, vere ex femina, ex beata videlicet Virgine, corpus Christi generatum fuisse, id vero accidisse super leges naturae mira et stupenda ratione, operante Spiritu sancto.

Traditio.

74. *Sancti Patres* tum in iis quae contra Valentinianos scripserunt, tum in expositione dogmatum Ecclesiae constanter eam doctrinam defenderunt, uti jam vidimus, corpus Christi in utero B. Mariae Virginis ex ejus substantia formatum esse. Sic s. Irenaeus: *Si non accepit*, inquit, *Christus ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis, supervacua est in Mariam de-*

---

1) Luc. 1, 26 et sqq. 2) Matth. 1, 18. 23.

scensio ejus. Quid enim in eam descendebat, si nihil moliebatur sumere ab ea[1]*?* Et s. Gregorius Nazianzenus scribit: *Si quis Christum per Virginem tanquam per canalem fluxisse, non autem in ea divino simul et humano modo formatum esse dixerit, divino quidem, quia absque viri opera, humano, quia humani conceptus lege, aeque atheus est.*[2]) Haec in re tam clara ac nota ex Patribus citasse sufficiat. — Symbola vero omnia et Concilia idem dogma confirmant. Sic legimus e. g. in Symbolo Apostolico: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine;* et in Symbolo Athanasiano: *Deus est ex substantia Patris ante saecula genitus, et homo est ex substantia Matris in saeculo natus.* In Concilio autem Florentino Eugenius IV. in decreto pro unione Jacobitarum dicit: *Sacrosancta Ecclesia anathematizat Valentinum asserentem, Dei Filium nihil de Virgine matre cepisse, atque ita transiisse per uterum Virginis, sicut per aquae ductum defluens aqua transcurrit.*

Incarnatio efficienter opus Trinitatis.

75. Ut vero ad explanationem operis Incarnationis quaedam adjiciamus, advertendum est, cum dicimus, Dei Filium Spiritus sancti virtute conceptum esse, eo non significari, unam hanc divinae Trinitatis personam Incarnationis mysterium confecisse. Quamvis enim unus Filius humanam naturam assumpserit, tamen omnes divinae Trinitatis personae, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, hujus mysterii auctores fuerunt. *Tota invisibiliter Trinitas*, ait s. Ildephonsus Toletanus, *conceptionem operabitur in te, sola persona Filii Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te.*[3]) Illa videlicet christianae fidei regula tenenda est, omnia quae Deus extra se in rebus creatis agit, tribus personis communia esse, neque unam magis quam aliam, aut unam sine alia agere. Sic igitur Incarnatio Verbi *efficienter* spectata a tota sanctissima Trinitate quae est unus Deus facta est. Quamquam vero haec ita se habeant, so-

---

[1]) Contra haer. l. 3. c. 32. [2]) Epist. 101. ad Cledon. n° 4,
[3]) Lib. de Virginitate B. Mariae.

lent tamen sacrae Litterae earum rerum quae omnibus personis communes sunt, aliam aliis tribuere. Id fit ex *lege appropriationis,* qua illa opera quae cum proprietabus unius alteriusve personae peculiarem habent relationem, etiam de una persona prae alia praedicari solent. Sic omnium rerum potestatem Patri, Filio sapientiam, Spiritui sancto amorem sacrae Scripturae adscribunt. Et quoniam divinae Incarnationis mysterium singularem atque immensam Dei erga nos benignitatem declarat, ob eam rem peculiari quadam ratione hoc opus Spiritui sancto tribuitur.[1])

Terminative solius Filii.

76. Etsi porro incarnatio efficienter spectata toti Trinitati adscribenda sit, ac lege appropriationis Spiritui sancto rite vindicetur, assumptio tamen humanae naturae *terminative* spectata, i. e. si consideratur, quis sit habens naturam, Filii dumtaxat est propria, quum nec persona Patris nec persona Spiritus sancti, sed sola persona Filii incarnata sit. Incarnatio videlicet facta est non secundum ea quae tribus personis communia sunt, sed secundum id quod Filio proprium est, quatenus character proprius et personalis Filii extensus fuit ad naturam illam humanam a tota Trinitate productam. Unio igitur *facta est in persona, non in natura,*[2]) et sic solus Filius incarnatus est. *Assumptio,* ait s. Thomas, *duo importat, scilicet actum assumentis et terminum assumptionis. Actus autem assumentis procedit ex divina virtute, quae communis est tribus personis; sed terminus assumptionis est persona. Et ideo id quod est actionis in assumptione commune est tribus personis, sed id quod pertinet ad rationem termini, convenit ita uni personae quod non alii: tres enim personae fecerunt, ut humana natura uniretur uni personae Filii.*[3]) Eadem docet s. Bonaventura, qui rem illustrat similitudine trium puellarum, quae omnes tres vestiunt unam ex ipsis. Omnes tres igitur hac in re se habent ut causa efficiens assump-

---

[1]) Cfr. Catechismum Conc. Trid. P. 1. art. 3.
[2]) S. Thomas s. theol. p. 3. q. 3, a. 1.
[3]) Ibidem a. 4.

tionis vestium, sed una tantum est suppositum, quod vestibus induitur. [1])

Christus an filius Spiritus s.

77. Commemoranda etiam venit hoc loco quaestio illa, *utrum,* quum Spiritui sancto per appropriationem incarnatio adscribatur, *Christus Filius naturalis Spiritus sancti dici possit.* Negandum hoc esse, unusquisque illico persentit; aures enim christianae non ferunt illam expressionem, Christum filium naturalem esse Spiritus sancti. Synodus Toletana XI expresse idem asseri vetat, declarans: *Nova nativitate* (Christus) *est genitus, quia intacta virginitas et virilem coitum nescivit, et foecundata per Spiritum sanctum carnis materiam ministravit. Qui partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo monstratur; quod si ratione colligitur, non potest esse mirabile, si exemplo, non erit singulare. Nec tamen Spiritus sanctus pater esse credendus est Filii, pro eo quod Maria eodem sancto Spiritu obumbrante concepit, ne duos Patres videamur asserere, quod utique nefas est dicere.* Angelicus vero Doctor rationem, cur Christus non dicendus sit filius Spiritus sancti, ita exponit: *Christus conceptus est de Maria Virgine materiam ministrante in similitudinem speciei; et ideo dicitur filius ejus. Christus autem secundum quod homo, conceptus est de Spiritu sancto sicut de activo principio, non tamen secundum similitudinem speciei, sicut homo nascitur de patre suo; et ideo Christus non dicitur filius Spiritus sancti.* [2]) Ad veram scilicet et perfectam generationem requiritur, ut genitus procedat ex substantia generantis et in similitudinem generantis. Sed Christus carnem assumpsit non ex substantia Spiritus sancti, sed ex substantia matris, B. Virginis Mariae, et natus est non in similitudinem Spiritus sancti, sed in similitudinem hominum. Quamvis igitur Christus virtute Spiritus sancti conceptus fuerit, deficientibus tamen iis quae ad perfectam generationem paternam requiruntur, neque Christum filium Spiritus sancti, neque Spiritum sanctum patrem Christi appellare licet.

---

[4]) S. Bonavent. in 3 Sent. dist. 1. q. 2.

[1]) S. th. p. 3. q. 32. a. 3. ad 1.

Testimonia Scripturae, quibus haeretici abusi sunt, ut Christum ex femina carnem non assumpsisse contenderent, jam superius explicavimus; hinc sequitur, ut perpetuam virginitatem Matris Domini contra osores ejus vindicemus.

78. Propositio II. — *Beatissima Dei Genitrix Maria, quae Virgo concepit ac Virgo peperit, Virgo inviolata jugiter permansit, adeoque digna est quae* **semper Virgo** (*ἀειπαρθενος*) *eximio titulo salutetur.*

Propositio II.

Demonstratio 1ae partis. — Beatissima Virgo *ante conceptionem Virginem fuisse et Virginem concepisse*, evidens est ex Scripturae narratione superius relata, ex qua patet, Virginem purissimam electam esse, ut mater Filii Dei foret, eamdemque sine virili semine superveniente Spiritu sancto concepisse. Angelus dixit ei: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* His auditis Maria dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* [1]) et Filium Dei operante Spiritu sancto per stupendum miraculum concepit. Hoc ipso autem, illibatam virginitatem remansisse, evidens est. Dum enim Spiritus sanctus, principium ac fons omnis sanctitatis et puritatis, in Virgine operaretur, nihil sane accidere potuit, quo decus virginitatis etiam materialiter spectatae vel minimum laederetur. Imo B. Virginis puritas et sanctitas, quatenus repugnantia est cum quovis naevo, docentibus ss. Patribus tali conceptu firmata est, consecrata et aucta.

Pars 1a.

S. Scriptura.

79. Sed etiam in antiquo Testamento jam ab Isaia propheta praedictum erat, Messiam concipiendum et pariendum esse ex virgine. Celeberrimum enim est vaticinium quod Isaias edidit, quum Achaz rex Judae recusaret propositum sibi signum, quod in confirmationem imminentis liberationis civitatis Jerusalem ab obsidentibus inimicis a propheta offerebatur. *Propter hoc*, ait propheta, *dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuël.* [2]) Ejus-

[1]) Luc. 1, 38. [2]) Isai 7, 14.

modi oraculum referri ad virginem, quae Messiam conceptura et paritura erat non ex viri generatione sed ex supernaturali Dei virtute, jam antiqua agnovit synagoga, et ex ipso Isaiae proposito, contextu et vocibus demonstratur.[1]) Sed quod ad scopum hoc loco propositum nobis sufficit, vaticinium hoc de B. Maria Virgine quae Spiritus sancti operante virtute Dominum concepit, interpretatur s. Matthaeus, vel potius Angelus B. Joseph apparens, qui quum supernaturalem B. Virginis conceptionem ipsi manifestasset addit: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus.*[2]) Atque etiam Gabrielis verba ad B. Virginem huic oraculo manifeste respondent.

Traditio.

80. *Ss. Patres* eamdem B. Mariae virginitatem ante partum unanimi testantur consensu; in re tam explorata satis erit pauca eorum effata citare. S. Justinus in sua Apologia ad Imperatores: *Christus,* ait, *e Virgine de semine Jacob, qui fuit pater Judae, per virtutem Dei conceptus fuit*; idque docet per Isaiam praedictum fuisse et addit: *Verba: »Ecce virgo concipiet significant« quod virgo sine carnali commercio conceptura sit; nam si illud ad-*

---

[1]) Cfr. Perrone Tract. de Incarn. P. 2. c. 2, n° 295.

[2]) Matth. 1, 22. — »Interpretes plerique omnes, ait Patritius, verba Evangelistae haec esse opinantur; longe tamen verius ipsius angeli ea esse dixeris, sicut non una ratio dicere suadet. Scilicet ita sensere Chrysostomus, Proclus Constantinopolitanus, Theophylactus, atque ante hos Irenaeus. Nam si Matthaei haec essent, illa: *Hoc autem totum etc.* viderentur complecti ipsam quoque angeli legationem ad Josephum, quae tamen dici nequit facta fuisse, *ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam;* at si angeli sunt, complecti nequeunt nisi mysterium conceptus virginei, quod unum is ipse narraverat.... Neminem autem illud praeterit, quod nisi angeli forent ea verba, is non satis aperte Josephum docuisset, eum, quem Maria alvo continebat, esse Christum; contra ea vero plenissime id praestitisse dicendus est, si ipse fuit, qui Isaiae vaticinium ad dictum suum declarandum et comprobandum attulit.« De Evangeliis l. 3. dissert. 15. n° 54.

misisset, non esset amplius virgo.[1] Et s. Irenaeus: *Sicut Eva*, scribit, (ante lapsum), *Adam ceu conjugem habuit, et tamen adhuc virgo fuit, ... ita etiam Maria desponsatum sibi virum habuit, sed tamen virgo mansit, obediens fuit, et sibi totique generi humani redemptionem attulit... Quod virgo Eva per incredulitatem ligavit, hoc Virgo Maria per fidem solvit.*[2] Hanc virginitatem B. Mariae etiam in Symbolo profitetur Ecclesia illis verbis: *Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est.* Et concilium Toletanum I a. 400. cap. 21 regulam fidei stabiliens profitetur, *Filium Dei sanctificasse uterum Virginis Mariae, atque ex ea verum hominem sine virili generatum semine suscepisse.* Caeterum haec veritas inde ab initio in tam manifesta fuit omnium Christianorum professione, ut non nisi Judaei illisque affines sectae, Jesum merum hominem blasphemantes, eam negaverint.

Ratio theologica.

81. Rationes vero, cur conveniens fuerit, ut Christus a virgine conciperetur, varias Theologi afferunt. Praeclare hac in re s. Thomas: *Quod Christus conceptus sit ex virgine, conveniens est primo propter mittentis Patris dignitatem conservandam. Cum enim Christus sit verus et naturalis Dei Filius, non fuit conveniens, quod alium patrem haberet quam Deum, ne dignitas Dei Patris transferretur ad alium. Secundo hoc fuit conveniens proprietati ipsius Filii qui mittitur, qui quidem est Verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur, quinimo cordis corruptio perfecti verbi conceptionem non patitur. Quia ergo caro sic fuit a Verbo Dei assumpta, ut esset et caro Verbi Dei, conveniens fuit, quod etiam ipsa sine corruptione matris conciperetur.... Conveniens fuit praeterea propter ipsum finem incarnationis Christi, quae ad hoc fuit, ut homines nascerentur in filios Dei non ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo, id est ipsa Dei virtute, cujus rei exemplar apparere debuit in ipsa conceptione Christi. Unde Augustinus dicit*

[1] Apolog. 1 nº 32. [2] Contr. haer. l. 3. c. 22.

in libro de sancta Virginitate (cap. 6. ante medium): Oportebat caput nostrum insigni miraculo secundum carnem nasci de virgine, quo significaret, membra sua de virgine Ecclesia sesundum spiritum nascitura. [1])

Declaratio mysterii.

82. Ad declarationem ulteriorem mysterii conceptionis Christi ex Virgine haec sufficit ex Catechismo Concilii Tridentini notare. *In hoc mysterio quaedam supra naturae ordinem, quaedam naturae vi effecta esse animadvertimus. Nam quod ex purissimo virginis matris sanguine Christi corpus formatum credimus, in eo naturam humanam agnoscimus, cum illud omnium hominum corporibus commune sit, ut ex matris sanguine formentur. Quod vero et naturae ordinem et humanam intelligentiam superat illud est, simul atque Beata Virgo angeli verbis assentiens dixit: »Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,« statim sanctissimum Christi corpus formatum, eique anima rationis compos conjuncta est, atque ita in ipso temporis articulo perfectus Deus et perfectus homo fuit... Ut primum cum corpore anima conjuncta fuit, ipsa etiam divinitas cum corpore et anima copulata est; quare simul corpus formatum atque animatum est, et corpori et animae divinitas conjuncta.* [2])

Pars 2da.

83. Demonstratio 2dae partis. — Alterum quod Ecclesiae fides tenet est, etiam *in partu* virginitatem Matris Dei non esse laesam. Hac in re primum notiones ita illustremus, ut simul sensus doctrinae catholicae intelligatur, simul vero omnino seponantur quaestiones quae curiositati potius quam necessitati doctrinae explicandae serviunt. —

Explicatio.

Imprimis itaque dum statuitur, etiam in partu Mariam virginem permansisse, non agitur de virtute interna castitatis. Quod enim, quum Virgo Filium Dei ederet in lucem, haec virtus non posset minui, tam clarum est, ut nulla hac de re quaestio instituatur. Sed agitur de virginitate *materialiter* spectata, quatenus illibata corporis in-

---

[1]) S. th. p. 3. q. 28. a. 1.

[2]) Cat. Conc. Trid. p. 1. a. 3. n° 7.

tegritate consistit. Eadem, uti communis est ss. Patrum doctrina una cum editione prolis in lucem sine miraculo consistere nequit. Haec integritas in partu talis est, quae credi quidem potest et debet, quia revelata est; sed mente humana eam plene comprehendere non possumus, quia superat cognitiones empiricas quas de corporibus habemus, et excedit ordinem legum physicarum secundum quas corpora regi et agi cognoscimus. [1]) Ad ulteriorem vero declarationem sic statuit Catechismus Concilii Tridentini: *Quo nihil admirabilius dici omnino potest, nascitur* (Christus) *ex matre sine ulla maternae virginitatis diminutione, et quomodo postea ex sepulchro clauso et obsignato egressus est, atque ad discipulos clausis januis introivit: vel ne a rebus etiam, quae a natura quotidie fiere videmus, discedatur, quo modo solis radii concretam vitri substantiam penetrant, neque frangunt tamen aut aliqua parte laedunt. Simili, inquam, et altiori modo Jesus Christus ex materna alvo sine ullo maternae virginitatis detrimento editus est. Ipsius enim incorruptam et perpetuam virginitatem verissimis laudibus celebramus. Quod quidem Spiritus sancti virtute effectum est, qui in Filii conceptione et partu matri ita adfuit, ut ei et foecunditatem dederit, et perpetuam virginitatem conservarit.* [2])

S.Scriptura.

84. Modo ut demonstremus, B. Mariam etiam in partu virginem permansisse, ex sacris Scripturis id probatur ipso oraculo Isaiae prophetae, quod B. Virginem Mariam Christique conceptionem et nativitatem spectare vidimus. Magnum sane ac mirabile prodigium propheta annuntiat, dicens: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Virginem ipsam veluti visione praesentem cernens exhibet non solum *concipientem,* sed et *parientem,* ita ut tum conceptus tum partus virgineus simul et per modum unius tanquam magnum illud signum exhibeatur. Quod opportune illustratur collato textu he-

---

[1]) Cfr. Franzelin. de Incarn.

[2]) Cat. Conc. Trid. p. 1. a. 3. n° 13.

braico quo dicitur: *Ecce virgo illa (ha alma, ἡ παρθένος) praegnans et pariens filium.* Clarius ex his apparet, Virgini illi et conceptum et partum virgineum adscribi. Sane verba: *Ecce virgo illa praegnans*, in *sensu composito* sumenda sunt, quatenus non solum ante conceptum, sed et post conceptum praegnans virgo sit intemerata. Secus nullum signum mirabile annuntiaretur. Sed eadem ratione et illud quod additur: *Ecce virgo illa... pariens*, in sensu composito sumendum est, quatenus in partu quoque remaneat virgo. Ex conceptu igitur et partu, utroque virgineo, prodigium illud constat. In Maria autem oraculum Isaiae impletum esse, Evangelium diserte testatur. Proinde etiam *explicite* sacris Litteris docetur, Beatam Mariam in partu quoque virginem permansisse. Quomodo autem partus virgineus intelligendus sit, eumdemque haud esse communem et naturalem, unanimis nos docent ss. Patrum consensus, Ecclesiae infallibile testimonium, et ipsa ratio reputans, eas quae communi modo pariunt matres, eo ipso quod corporis integritas amittatur, jam virgines non esse.

Traditio. 85. Quod itaque ad *Traditionis* doctrinam attinet, virginitatem B. Mariae in partu testantur inde ab initio Ecclesiae symbola fidei, nec non ss. Patres, qui B. Mariam in partu virginem permansisse, tum positive docent, tum contra adversarios vindicant, et quantum licet hanc miram virginitatem illustrant. In symbolis antiquissimis fidei profitemur fidem *in Jesum Christum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine,* ita ut ipsa et in partu virgo esse significetur. Praeclare quoad hanc symbolorum professionem s. Augustinus: *Quis hoc solum congruentibus explicet verbis, quod Verbum caro factum est et habitavit in nobis, ut crederemus in Dei Patris omnipotentis unicum Filium, natum ex Spiritu sancto et Maria Virgine? Quo si vel nascente corrumperetur ejus* (Virginis) *integritas, non jam ille de virgine nasceretur, eumque falso, quod absit, natum de Virgine Maria tota confiteretur Ecclesia: quae imitans ejus matrem quotidie parit*

membra ejus et virgo est.[1]) Hinc ab initio etiam *Virgo et Mater*, ac *semper Virgo* B. Maria nuncupata,[2]) et *ex Virgine Christum natum* esse, una omnium vox est.

86. Quum vero Jovinianus virginitatem B. Mariae in partu negaret, tum a s. Siricio P., tum a concilio Mediolanensi damnatus fuit. Ex sententia hujus concilii s. Ambrosius epistolam scripsit ad s. Siricium, in qua inter alia haec habentur: *De via perversitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non virgo generavit... Haec est virgo, quae in utero concepit, virgoque peperit filium suum. Sic enim scriptum est: Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium. Non enim concepturam tantum virginem, sed et parituram dixit.* Sic etiam Patres Concilii Chalcedonensis in allocutione ad Marcianum imperatorem dicunt, *Filium Dei suae Genitrici virginitatem post conceptum largitum esse, atque ut Deo dignum erat ejus uterum obsignasse;* epistolamque approbant s. Leonis M., in qua legimus: *Conceptus est (Christus) de Spiritu sancto intra uterum matris virginis, quae illum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit.*

87. Porro etiam ex Patrum doctrina omnino evidens est, ipsos intellexisse virginitatem, quae consistit in *integritate virginali corporis*, qualis in partu naturali servari nequit, et tantum per miraculum omnipotentis Dei obtineri potest. — Ipsam virginitatem in partu imprimis repraesentant ut *rem plane stupendam.* Volusianus quaesierat a s. Augustino: *Utrum mundi Dominus ac rector intemeratae feminae corpus impleverit, et tamen virgo enixa sit solemnitate pariendi, et post haec virginitas inviolata permanserit.* Et s. Augustinus in responsione catholicam doctrinam exponens: *Ipsa magnitudo virtutis ejus*, inquit,

---

[1]) Enchiridion. n° 34.

[2]) Cfr. e. g. s. Method. or. de Simeone et Anna n° 9, Amphilochium in or. de occursu Domini n° 3. ap. Galland. t. 3., et omnes liturgias orientales et occidentales, in quibus commemoratio fit imprimis gloriosae *semper Virginis* Genitricis Dei Mariae.

quae nullas in angusto sentit angustias, uterum virginalem non adventitio sed indigeno puerperio foecundavit... Ipsa virtus per inviolatae matris virginea viscera membra infantis eduxit, quae postea per clausa ostia membra juvenis introduxit. Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus, Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.[1]) Miraculum nostram rationem superans manifeste in eo ponitur, quod sine ulla laesione aut effractione virginei corporis divinus infans in lucem sit editus. Sic etiam s. Ephrem: *Non perdidit sigillum natura Virginis Christo concepto, et ob id neque eo genito reforata est, ut partum in lucem ederet, neque vero rupta est, dum gigneret, nam neque rupta est, dum conciperet.*[2]) Alii idem asserunt docentes, *virginis vulvam non esse apertam*;[3]) comparant prodigium nativitatis cum miraculo, quo Jesus post resurrectionem suam clausis januis ad Apostolos intravit,[4]) et cum sanationibus membrorum disruptorum in aegris. *Qui enim*, ait s. Fulgentius, *disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in sua matre quod invenit integrum potuit non violare nascendo.*[5]) Unde s. Leo ortum Christi ex virgine dicit *originem spiritualem*,[6]) alii, *spiritualiter Mariam peperisse*, aiunt.[7]) S. Ildephonsus Toletanus vero expresse confutat eos, *qui asserunt, virginitatem non aliunde quam ex coitu corrumpi posse, neque corruptam vocari debere Mariam, licet juxta legem pepererit omnium feminarum.*[8])

88. Juxta constantem igitur et unanimem Traditionis

---

[1]) Epist. ad Volusianum (137). [2]) Orat. de margarita pretiosa.

[3]) Hormisdas P. ep. 79 ad Justin. Imp.

[4]) Gaudent. Brix. Tract. 9.

[5]) Serm. de Natali Domini. [6]) Orat. 4. in nat. Dom.

[7]) Auctor incertus hom. in nat. Dom, quae citata est in Conc. Ephes; exstat. inter opp. s. Chrysostomi T. 6. p. 394 edit. Maurin.

[8]) De parturitione Mariae serm. 2.

doctrinam dum Ecclesia docet, B. Mariam in partu virginem permansisse, dogmatis hujus intelligentia in eo sita est, ut teneamus, Christum mira ratione sine offensione vel effractione minima virginei corporis per uteri septa illaesa et irrupta penetrasse, et sic in lucem editum esse. Naturaliter quidem corpus humanum non potest aliud penetrare, sed supernaturaliter seu virtute divina id fieri posse, nemo negabit, nisi qui omnipotentiae Dei limites ponit. Potuit Christus corpori suo, ut ederetur, qualitatem corporis glorificati praebere, potuit eam etiam participare pro partu virginali corpori matris suae, ut quamvis nativitas *per consuetum nascentibus exitum* fieret,[1]) tamen decor virgineus corpusque beatissimae Matris nullo modo laederetur. Itaque ut verbis utamur Magistri Sententiarum: *Quemadmodum sol penetrat vitrum, nec frangitur aut violatur, sic Virgo peperit, nec maculata fuit.* Et hoc sensu Ecclesia in Praefatione de B. Maria solemniter cantat: *Quae et Unigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit, et virginitatis gloria permanente lumen aeternum mundo effudit, Jesum Christum Dominum nostrum.*

Ratio theologica.

89. Rationes theologicae, quibus ostenditur conveniens fuisse, ut etiam in partu nullo modo laederetur virginitas matris Domini, ducuntur tum ex excellentia Verbi, Filii Dei, qui nascebatur, et ex fine incarnationis, tum ex dignitate atque honore ipsius B. Virginis Mariae. *Hoc competebat,* ait s. Thomas, *proprietati ejus, qui nascebatur, qui est Verbum Dei. Nam Verbum in corde non solum absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Unde ut ostenderetur, quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conveniens fuit, ut de incorrupto virginis utero nasceretur... Secundo hoc est conveniens quantum ad effectum Incarnationis Christi. Nam ad hoc venit, ut nostram corruptionem tolleret: unde non fuit conveniens, ut virginitatem matris nascendo cor-*

---

[1]) S. Joan. Damasc. de orthodoxa fide l. 4. c. 15.

rumperet... Tertio fuit conveniens, ne matris honorem nascendo diminueret, qui parentes praeceperat honorandos.[1])

Partus sine dolore.

90. Cohaeret cum hoc dogmate de virginitate B. Mariae in partu communis et constans doctrina Patrum, qua beatissimam Virginem asserunt ex gestatione divini Filii nullam omnino sensisse gravitatem ac molestiam, eamque peperisse sine ullo dolore ac sine ullis, quales parturientibus naturae lege accidunt, immunditiis. *Hoc splendore,* inquit s. Fulgentius, *Dei Filius, hac munditia generatur. Nulla fieri gravedo potuit concipienti; nulla tristitia parturienti. Qui enim venerat triste laetificare saeculum, ventris non contristavit hospitium.*[2]) Et s. Bernardus quod omnes Patres docuere illa brevi sententia complexus est: *Sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit.*[3]) In concilio Trullano Patres can. 72 dicunt: *Absque ullo dolore Virginis partum fuisse confitemur, ut qui sine semine constitutus sit;* et Ecclesia in sacris officiis cantat: *Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore Salvatorem saeculoruu.*

Pars 3ia.

91. Demonstratio 3ae partis. — Superest, ut agamus de virginitate beatissimae Virginis *post partum* Domini. Pro hac veritate catholica varia quidem argumenta ex sacris Scripturis jure afferri possunt; clarius tamen, eam ad fidei depositum pertinere, ex Traditione et constanti Ecclesiae praedicatione agnoscitur. Atque ex hac Traditione Patrumque doctrina simul etiam sensus determinatur eorum testimoniorum quae ex Scriptura afferuntur, ita ut vis horum textuum considerata Traditionis doctrina luculenter perspiciatur. Proinde hanc veritatem ita probabimus, ut primum Traditionem et Ecclesiae doctrinam constantem ac mani-

---

1) S. th. p. 3. q. 28. a. 2. 2) Serm. de B. Virgine.

3) Sermone in illud Apoc. c. 12: Signum magnum apparuit in coelo.

festam consideremus, dein quae in sacris Litteris hac de re inveniuntur proponamus.

Ecclesiae traditio.

92. Mariam igitur post partum Christi virginem immaculatam permanisse, certe a multis saeculis ut exploratum fidei dogma in Ecclesia tota praedicatur. Id vero jam per se certissimum argumentum est, hanc doctrinam ad divino-apostolicam traditionem ut veritatem credendam esse referendam. Sed etiam si antiquissima priorum saeculorum monumenta consulimus, videmus, ss. Patribus eam fuisse persuasionem, veritatem de integritate B. Virginis post partum ad fidei depositum pertinere. Id enim manifestum est ex modo, quo hanc doctrinam positive asserunt et contradicentes adversarios rejiciunt, et ex rationibus, quibus eamdem probant. — Simul atque in Ecclesia aliqui insurrexerunt, qui hanc veritatem negabant, id quod eousque omnes sine ulla contestatione crediderant ut rem veluti per se patentem, magna cum vi Ecclesiae Doctores vindicarunt, oppositamque sententiam ut impiam, blasphemam, haereticam et insanam summa cum indignatione rejecerunt. Argumentantur autem ex appellatione *Virginis*, quod vocabulum tanquam peculiare nomen jure proprio et singulari ex omnium Christianorum professione matri Domini convenit, et qua voce omnes, nunquam virginitatem ab ipsa perditam esse, continua professione praedicant; nec non ex matris Dei dignitate, a qua ejusmodi insana abhorret opinio, ausum fuisse B. Joseph eidem post partum appropinquare. Sed opportunum erit afferre quaedam s. Epiphanii, qui ex professo haeresi 78ª de *Antidicomarianitis* agit. *Nonnulli*, inquit, *quasi praecipuo quodam in Virginem odio suscepto*, *ut ejus gloriam obscurarent*, *sive invidia erroris tenebris obcoecati eo temeritatis progressi sunt*, *ut sanctissimam Mariam post Christum in lucem editum cum viro suo consuetudinem habuisse dicerent... Unde vero haec improbitas emersit? Unde tanta prorupit audacia? Nonne vel ipsum nomen abunde testatur? Nonne tibi homo pervicacissime istud ipsum persuadet? Quis ullo unquam tempore exstitit, qui sanctae Mariae nomen appellare aude-*

ret, et non rogatus subinde Virginis vocabulum adjiceret? Nam in adjunctis istiusmodi vocibus virtutis indicia collucent. Sancta Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Haec enim perpetuo incorrupta permansit. Cur igitur vos natura ipsa non docet? O inauditam insaniam, o praeposteram novitatem... O turbulentum saeculum nostrum, in quo hominum vita summum in discrimen adducitur, quae undique pessimis a daemone propagatis opinionum erroribus, ac perfidiae commentis obruitur. Quanam fronte incorruptam illam Virginem aggrediuntur, quae Dei Filii domicilium esse meruit? quae ex infinito Israëlitarum numero ad id unum est electa, ut vas quoddam et habitatio uni esset divino partui consecrata. Opinionem illorum haereticorum etiam *blasphemam* appellat. — Similiter s. Ambrosius eamdem Bonosi sententiam *sacrilegium* esse maximum asserit, [1]) et s. Hieronymus magna cum vehementia et integro libro refellit Helvidium negantem Virginis integritatem post partum, ejusque errorem *scelus ac blasphemiam, caecum furorem, in proprium exitium mentem vesanam* appellat. Jam saeculo III breviter commemorat Origenes aliquos, qui eadem quae postea Helvidius tenebant, eosque haereticos dicit. *Debemus,* inquit, *hoc loco, ne simplices quique decipiantur, ea quae solent opponere haeretici confutare. In tantam quippe nescio quis prorupit insaniam, ut assereret, negatam fuisse Mariam a Salvatore, eo quod post nativitatem illius juncta fuerit Joseph... Porro quod asserunt eam nupsisse post partum, unde approbent non habent.* [2]).

93. Ex hoc modo, quo ss. Patres opugnaverunt sententiam eorum, qui B. Mariae virginitatem post partum negabant, apparet, eos habuisse sententiam de ejus perpetua virginitate ut doctrinam revelatam et ad fidei depositum et professionem pertinentem. Idem et inde elucet,

---

[1]) De instit. virginis c. 5.

[2]) Hom. 7 in Luc. T. 3. p. 940.

quod in sacris Scripturis eamdem inveniri existimant, et ex eadem demonstrant. Ex eorum probatione videmus, quomodo Scripturae effata sensu traditionali intellecta fuerint; unde jam breviter de his argumentis ex sacris Litteris adductis agamus.

94. Imprimis igitur ss. Patres perpetuam Mariae virginitatem eo contineri censent, quod peculiariter et cum emphasi *Virgo* in iisdem dicatur. Manifeste alludunt ad oraculum Isaiae, quo ipsa ita Virgo (ἡ παρθένος) dicitur, ut virginitas inde ut proprium Mariae et perpetuum attributum jure inferatur. — Advertunt dein, ex una parte nuspiam Mariae filios in sacris Litteris commemorari, ex altera parte solitariam eam fuisse Christo moriente. Hoc perspicue inde colligi, quod Jesus moriens Joanni discipulo eam commendaverit. *Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* [1]) Profecto haec ostendunt, alios filios beatissimae Matri Domini non fuisse. — Sed multum etiam argumentantur ss. Patres ex illis verbis B. Mariae ad angelum ipsi annuntiantem Domini incarnationem: *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* Ex his verbis scilicet patet, B. Mariae propositum fuisse virginitatis perpetuo servandae; imo et voto ipsam Deo virginitatem suam sacrasse, magno consensu ss. Patres et theologi ex illis verbis inferunt. Videlicet B. Virgo neque de modo hoc dubitare, neque se virum non cognoscere potuisset opponere, siquidem Josepho cui jam erat desponsata, id quod uxor viro debet fuisset praestitura. Non itaque id Josepho praestitura erat; eccur autem, nisi quia devota Deo virginitas obstaret? Ita sensit e. g. s. Gregorius Nyssenus, qui ex eadem ratione colligit, Mariam *Deo sacratam carnem* habuisse. Ita et s. Augustinus, qui sic disputat: *Ipsa quoque virginitas Mariae ideo gratior et acceptior, quia non*

S.Scriptura.

---

[1]) Jo. 19, 26.

eam conceptus Christus viro violaturo, quam conservaret ipse, praeripuit, sed priusquam conciperetur, jam Deo dicatam de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba, quae sibi foetum annuntianti angelo Maria reddidit: Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa jam voverat. Quamquam etiamsi hoc solum . . . dixisset: Quomodo fiet istud? nec addidisset, quoniam virum non cognosco: non quaesisset utique, promissum sibi filium quomodo femina paritura esset, si concubitura nupsisset. Ita Christus nascendo de virgine, quae antequam sciret, quis de illa fuerat nasciturus, virgo statuerat permanere, virginitatem sanctam approbare maluit, quam imperare. [1]) Quodsi igitur testante s. Scriptura B. Maria virginitatem suam Deo sacraverat proposito ac voto, inviolatam eamdem semper esse servatam simul probatum est.

Symbola

95. Ecclesiae doctrina de B. Mariae virginitate perpetua postremo etiam se manifestat in symbolis, liturgiis ac libris symbolicis, quibus, Mariam plane singulari modo virginem ac semper virginem esse, praedicatur. — Patet eadem fides ex condemnatione haereticorum, qui Mariae

---

[1]) De sancta virginitate c. 4. — Non plane alienum fuit ab Judaeorum per illud tempus usu ac moribus, virginitatem perpetuam ultro feminas suscipere. Quod egregie Philo testatur in libro *de vita contemplativa*, ubi de Essaeis contemplativis sive therapeutis agit, qui remoti ab urbibus et populi frequentia in agris et monasteriis degebant, ac certis diebus conventus et convivia celebrabant. Et ad haec admitti non solum viros, sed etiam feminas refert, quarum pleraeque aetate provectae erant, virginitatis castimoniam non necessitate potius, quemadmodum nonnullae graecarum sacerdotum, quam sponte ac libere servantes, et propter amorem desideriumque sapientiae, *cujus studio per totam vitam contempserunt voluptates corporis.* Sed hoc propositum animi dumtaxat fuit, non votum virginitatis absolutum et praecisum, quod prima omnium B. Virgo nuncupasse creditur. Cfr. Petav. de Incarn. l. 14. c. 3. et 4.

virginitatem post partum negarunt, per concilia multa, et ex professionibus fidei, quae ab iisdem conciliis editae fuerunt. Sic Bonosus damnatus fuit in concilio Capuano a. 389, et in concilio Thessalonicensi a. 390, eamdemque damnationem Siricius P. ratam habuit, ut patet ex ejus epistola ad Anysium Episcopum Thessalonicensem. Jovinianus pariter damnatus fuit tanquam haereticus a. 390, in concilio Romano et in concilio Mediolanensi. Patres Concilii Chalcedonensis in sermone prosphonetico ad Marcianum imperatorem celebrant Mariam Dei Genitricem propter eum, qui virginitatem ipsi etiam post conceptum largitus est, atque ut Deo dignum erat *uterum obsignavit, ut nullius injuriae pateret.* Concilium Constantinopolitanum II (generale V), nominat Mariam *semper virginem immaculatam.* [1]). Concilium Lateranense sub Martino I (a. 609) dicit: *Si quis non confitetur, proprie et vere Dei Genitricem, sanctam semper virginem immaculatam Mariam in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu sancto, et incorruptibiliter enixam esse, indissolvibili permanente et ante et post partum ejusdem virginitate, sit condemnatus.* [2]) In Concilio Constantinopolitano III (generali VI) act. 11ª laudatur Mariae illibata virginitas, quae ante partum, in partu, et post partum, est interminabilis. Unde et Ecclesia B. Virginem invocat illa prece: *Post partum virgo inviolata permansisti, Dei Genitrix intercede pro nobis.*

Haereticorum condemnatio.

96. Rationes variae, cur convenerit, ut B. Mariae virginitas post partum inviolata jugiter servaretur, jam in Patrum effatis quae attulimus continentur. Angelicus Doctor ostendit, Helvidii errorem injuriam facere tum Spiritui sancto, tum sanctissimae Virgini, tum B. Joseph. *Hic error,* inquit, *injuriam facit Spiritui sancto, cujus sacrarium fuit uterus virginalis, in quo carnem Christi formavit. Unde non decebat, quod de caetero violaretur per*

Ratio theologica.

---

[1]) Cap. 2. [2]) Can. 3.

commixtionem virilem. Derogat sanctitati et dignitati Matris Dei, quae ingratissima videretur, si tanto Filio contenta non esset, et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. Etiam ipsi Joseph esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam, quam revelante angelo de Spiritu sancto Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. [1])

Scholion.

Scholion. — 97. Certum est ex communi Patrum et theologorum doctrina, matrimonium verum et ratum inter sanctissimam Virginem et B. Joseph intercessisse. Veteres plerique jam animadverterunt, cum de hoc matrimonio agitur, saepe *desponsationis* nomen adhiberi, quemadmodum Evangelista narrat, Josephum profectum esse in civitatem Bethlehem ad nomen profitendum *cum Maria desponsata sibi uxore.* Qua nominis significatione illud intelligi volunt, non ad corporum commercium, sed ad contubernium et solatium par illud conjugum nuptiale foedus iniisse. Et quamvis nuptiale foedus ad corporum commercium jus tribuat, tamen cum matrimonio vero optime consistit, ut usui juris renuntietur. Rationes autem, cur matrem Christi voluerit Deus matrimonio jungi, s. Hieronymus breviter exponit notis illis verbis: *Quare non de simplici virgine, sed de desponsata concipitur? Primum, ut per generationem Joseph origo Mariae monstraretur: secundo, ne lapidaretur a Judaeis ut adultera: tertio, ut in Aegyptum fugiens haberet solatium. Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur a desponsata conceptus sit: Ut partus inquiens ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.* [2])

B. Virginis desponsatio.

98. Si vero quaeritur, quomodo B. Virgo, cum virginitatis votum emisisset, desponsata fuerit B. Joseph, eique nuptiali foedere juncta, generatim responderi potest, id Deo disponente factum esse. Rerum adjuncta nobis non sunt

---

[1]) S. th p. 3. q. 28. a. 3.

[2]) Comment. in cap. 1 Matth.

bene nota, sed graves theologi rationes afferunt varias, quae fundamento non carent. Atque imprimis multa suadent, B. Virginem fuisse filiam haereditariam, quam ex moribus et legibus Israëlitarum uni ex familia in matrimoniam dari oportebat, ne paterna bona ad aliam familiam transirent. Hinc desponsata fuit B. Virgo propinquo suo B. Joseph, quem ejus patruum ac proinde aetate provectiorem fuisse, ex variis argumentis conjiciunt Scripturarum interpretes.[1]) Quid porro mirum, si huic virginitatis votum aperuit, ipseque B. Joseph, quem virginem fuisse communis tenet doctrina, libentissime B. Mariae voto annuit, ita ut secura ei nubere posset. — Sed quum agatur de sanctissima illa Virgine, quam in Filii matrem Deus elegerat, etiam id supponere merito licet, divino nutu et instinctu votum virginitatis a Maria conceptum antequam Joseph desponsaretur, atque ad id eam certa fiducia et divino admonito animatam fuisse. Dein vero quum de desponsatione ac foedere cum B. Joseph ageretur, certiorem a Deo illam factam fuisse, nuncupati illius voti facilem et expeditam fore rationem ex consensu futuri conjugis.

99. Utrum vero per id tempus, quo Angelus ad Mariam venit eaque concepit, nupta jam esset, ac de tempore quo B. Virgo et B. Joseph conjugium inierunt, justa est tum inter ss. Patres tum inter theologos dubitatio. Nondum maritum illius fuisse B. Joseph cum angelus advenit, et post partum transiisse in conjugis nomen, existimat s. Hilarius canone primo in Mathaeum. S. Ambrosius censet, *desponsatam* a Luca accipi pro *uxore;*[2]) sed s. Chrysostomus B. Mariam sponsam fuisse credit, non uxorem, habitam tamen ab Josepho in domo sua, eo quod sponsas apud sponsos habitare tunc moris fuisse putat.[3]) Sic etiam s. Hieronymus existimat, sponsam fuisse B. Mariam pactamque Josepho, nondum uxorem, quando Salvatorem concepit, ac

---

[1]) Cfr. Patrizi, De Evang. l. 3. diss. 9.

[2]) De instit. virg. c. 7. [3]) Hom. 4 in Matth.

brevi post in manum ei convenisse. [1]) — Inter theologos huic sententiae adstipulatur Petavius. [2]) Sed Maldonatus [3]) et Benedictus XIV [4]) vindicant sententiam, B. Virginem jam nuptam fuisse illo tempore, et *desponsatam* eo Scripturae loco accipi pro uxore, uti etiam a Luca *desponsata uxor* appellatur, ac Joseph *vir* ejus. Contrariam sententiam iterum propugnavit cl. Patritius, qui praesertim insistit distinctioni, quam sacer textus exhibet inter tempus quo desponsata erat Maria, et quo accipitur ut conjux. Hoc accidisse putat, postquam rediit a visitatione Elisabeth. Unde vides, rem non facile dirimi. Si tenetur sententia quae statuit, B. Virginem jam nuptam fuisse, difficultas omnis cessat; Scripturae autem textus ejusmodi expositionem ferre videtur. [5]) Si altera accipitur sententia, variae

---

[1]) Libro contra Helvidium. [2]) De Incarn. l. 14, c. 3, n° 10.

[3]) Comm. in c. 1. Matth. [4]) De festis, t. 2, c. 3.

[5]) Ex verbo *desponsata* (μνηστευθεισῃ) nullo modo inferri potest, nuptias nondum intervenisse, nam Luc. 2, 5 etiam dicitur: »ut profiteretur, cum Maria *desponsata* sibi uxore praegnante,« et generatim haec vox apud antiquiores de nuptis adhibetur. Praeterea vero indoli matrimonii inter B. Virginem et Joseph optime conveniebat, ut diceretur virgo *desponsata* viro. Cfr. Kaulem; Handbuch zur Vulgata, v. desponsare. — Nec illa obstare videntur: »Noli timere *accipere* Mariam conjugem tuam« et »*accepit* conjugem suam.« Jam s. Joannes Chrysostomus ita exponit: Quid vero significat illud *accipere*? Domi retinere: jam enim illam animo dimiserat. Hanc dimissam retine, quam tibi Deus tradit... Neque quum triste quidpiam et turpe suspicabatur, illam apud se retinere voluit, neque amota suspicione illam ultra dimittere sustinuit; imo vero illam retinuit, ac totius dispensationis minister factus est. *Et accepit,* inquit, *Mariam conjugem suam.*« Hom. V. in Matth. — Haec quoque recolere juvabit. Fortasse brevi post nuptias cum B. Joseph initas annuntiatio angeli B. Virgini facta est, eademque statim abiit ad visitandam Elisabeth. Post tres menses reversa est, atque tunc praegnantem eam advertit B. Joseph ac dimittere cogitavit. Sed non diu in dubio relictus, at mox ab angelo mysterii conscius factus est. Quod si igitur B. Virgo tantum brevi tempore ut conjux apud ipsum fuerat, et revertentem post absentiam statim dimittere cogitabat, facilius etiam verbum illud *accipere* de retinenda conjuge intelligi potest.

fieri possunt suppositiones, qua ratione provisum nihilominus fuerit, ne honor B. Virginis aliquid pateretur apud concives mysterii Incarnationis ignaros, si ante nuptias eam concepisse animadverterint. [1])

Difficultates.

100. Restat, ut aliquas difficultates attingamus, quae in his de quibus egimus afferri solent; breves erimus, quum plura quae objici solent ex iis quae exposita sunt solvi facile possint. — Quaeritur itaque, quomodo cum integritate B. Virginis in conceptu et partu cohaereant verba Evangelistae: *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* [2]) Sic etiam aliqui Patres ea utuntur expressione, *vulvam B. Virginis fuisse apertam.* — Respondemus, nec Christum nec Mariam legibus purgationis ulla ratione ob-

---

[1]) Opportunum videtur hoc loco Patritii sententiam notare. »Quum inquit (apud antiquos Israelitas) ipsis sponsalibus vir et mulier conjuges fierent, congressus maritalis habitus ante nuptias, tametsi vetitus non quidem lege Mosaica sed serioribus institutis etiam indicta poena, non tamen stuprum esse putabatur; proinde congredientes minime honore periclitabantur. Tum Mariam, quae, ut haec ipsa narratio loquitur, mysterium ita silentio presserat, ut de eo etiam sponsum suum celaverit, sese quoque ne illud aperiret quantum potuit occuluisse putandum est, primoque omnium Josepho, ut narrat Hieronymus, ac familiaribus rem innotuisse, quorum e pectore suspicio curaque omnis brevi depulsa fuit, ubi ipsi Josepho somnium divinitus immissum est. — Profecto rem adhuc latuisse, ex eo colligi videtur, quod Joseph quum nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.« Cfr. reliqua ap. Patrizi De Evangeliis l. 3, disp. 15, c. 3. — Remanet tamen haec difficultas: Si congressus maritalis habitus ante nuptias inter desponsatos conjuges serioribus institutis vetitus erat, concives saltem existimassent, B. Joseph et sanctissimam Virginem illa instituta transgressos fuisse. Sed etiam talis opinio honorem sanctissimarum illarum personarum aliquatenus laesisset, ac praeposterum judicium de earum summa virtute provocasset. Hoc vero admittere durum nobis videtur. Hinc alteram sententiam praeferimus.

[2]) Luc. 2, 22.

strictos fuisse, quum a quavis macula etiam legali fuerint immunes. Illa igitur, *secundum legem Moysi* et *sicut scriptum est in lege Domini,* non idem valent ac, *quia ita lex praescribebat,* sed *sicut lex praescribebat,* ut non *causam* sed *modum* rei significent. Ex humilitate videlicet et secundum sapientem Dei dispositionem haec a B. Virgine et Domino facta sunt. Verbis deinde: *Quia omne masculinum adaperiens vulvam etc.* citatur illa lex iis constituta, quae naturali modo conciperent et parerent. Nullatenus tamen indicatur, talem fuisse et Virginis partum.

101. Quod ad ss. Patres attinet qui utuntur illa expressione, *filium purissimae Virginis vulvam aperuisse,* ipsi alludunt ad locutionem biblicam. Haec autem, licet desumpta sit ex eo quod secundum naturae leges accidit, quatenus de Christo usurpatur veritatem tantummodo nativitatis, non autem naturalem modum nativitatis significat. Et nihil aliud ss. Patres quoque exprimere volunt, nisi Christum vere natum esse ex B. Maria Virgine. Pulcherrime rem s. Amphilochius illustrat. Objicit sibi: *Si ad Dominum refertur quod scriptum est: omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur, Virgo non mansit virgo; aperta enim est Virginis vulva, si hoc ad Dominum habet relationem.* Respondet ipse: *Enimvero audi intelligenter: quod quidem attinet ad naturam virgineam, nullo prorsus modo portae virgineae fuerunt apertae per voluntatem* (omnipotentiam) *ejus qui tunc parturiebatur, juxta oraculum de ipso dictum: haec porta Domini, et ingredietur et egredietur, et porta clausa erit. Igitur quantum ad naturam virgineam nullo prorsus modo apertae sunt portae virgineae, quantum ad potentiam autem Domini qui natus est, nihil Domino est occlusum, sed omnia sunt aperta; nihil est quod impediat, nihil quod obstat; omnia enim Domino sunt aperta.* [1])

102. Contra virginitatem B. Mariae post partum ea

---

[1]) Orat in Dom. ὑπαπαντην.

opponi solent, quae jam Helvidius corrogavit, et s. Hieronymus luculentissime refutavit. Ex verbis Evangelistae, *antequam convenirent, inventa est in utero habens,* inferunt, postea modo conjugum convenisse; ex verbis, *non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*, concludunt, post partum B. Virginem a Josepho cognitam fuisse; ex eo quod quidam in Evangelio *fratres Domini* nominantur, evincere nituntur, plures fuisse Mariae filios. Vix operae pretium est, ad illas nugas respondere; quum tamen etiam nostro tempore ab incredulis repetantur, pauca dicamus.

103. Verba, *cum esset desponsata.... antequam convenirent,* a multis exponuntur ita, ut sensus sit: Post sponsalia et ante nuptias, seu antequam in unam domum ad cohabitandum convenissent.[1]) Alii tamen admittunt, agi de congressu maritali, sed animadvertunt, omnino inepte ex illa locutione inferri, eos postea convenisse. Evangelista iis verbis utitur, ut asseveret, non modo naturali ex viro, sed ex Spiritu sancto Christum conceptum esse. *Propositio »ante,«* ait s. Hieronymus, *licet saepe consequentiam indicet, tamen nonnumquam ea tantum quae prius cogitabantur ostendit.* Id pluribus dein exemplis probat.[2]) — De verbis: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*, audiemus commentarium s. Joannis Chrysostomi, quo objecta difficultas diluitur. *Illud »donec« hic posuit, non ut suspiceris, illam postea a Josepho cognitam fuisse, sed ut scias, Virginem usque ad partum intactam fuisse. Cur itaque ait: Donec peperit? Hic mos loquendi in Scripturis saepe observatur, ita ut haec vox non pro definito quodam tempore ponatur. Nam de arca loquens ait: Non reversus est corvus, donec siccaretur terra,*[3]) *etsi postea reversus non sit. Rursus pronuntians: Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec auferatur luna,*

---

[1]) Sic ex recentioribus interpretantur Patrizi de Evang. l. 3: diss. 15, n° 8, et cl. Beelen in h. l.

[2]) Contra Helvidium n° 4. [3]) Gen. 8; 7.

nullum terminum pulchro huic elemento statuit. Ita et hoc loco »donec« dixit, ut quae partum antecedebant firmaret, et quae sequebantur tibi consideranda relinqueret. Quod enim ab eo tibi dicendum erat hoc dixit, nempe Virginem usque ad partum intactam mansisse. Quod autem ex dictis consequi et in confesso esse videbatur, hoc tibi intelligendum reliquit. Nempe virum illum justum eam, quae sic mater effecta, ac tam novo et insolito puerperio dignata fuerat, tangere non ausum fuisse. [1])

104. Quod postremo ad *fratres Domini* spectat, plures Patres existimarunt, eos esse filios B. Joseph ex priori aliquo matrimonio. Sic respondent s. Epiphanius,[2]) s. Gregorius Nyssenus,[3]) s. Hilarius,[4]) et Eusebius.[5]) Sed communis et probata sententia cum s. Hieronymo statuit, B. Joseph virginitatem semper coluisse, et qui fratres Domini dicuntur fuisse consanguineos vel agnatos Salvatoris. Eum fuisse morem Israëlitis, ut etiam propinqui dicerentur *fratres*, nemo est qui ignoret. Sic Lot nominatur frater Abrahae,[6]) et Jacob frater Laban.[7]) Qua vero ratione illi Christo consanguinei vel agnati fuerint, hic fusius exponere non vacat.[8])

---

[1]) Comment. in Matth. hom. 5.

[2]) Haer. 78 et 79. — Scribit ibidem s. Epiphanius, B. Joseph fuisse octoginta annorum, quum ipsi B. Virgo desponsaretur, et vixisse usque ad annum nonagesimum secundum. Sed communior sententia tam provectam aetatem Patri nutritio Domini non adscribit.

[3]) Or. 2 de resurr. Christi.

[4]) Cap. 1, in Matth.

[5]) Hist. eccl. l. 2 c. 1.

[6]) Gen. 13, 8.

[7]) Gen. 29, 15.

[8]) Hac de re vide Patrizi de Evangeliis l. 3, diss. 9, n. 13.

CAPUT II.

DE UNIONE HYPOSTATICA EJUSQUE CONSECTARIIS.

Articulus I.

BREVIS ADUMBRATIO HAERESUM ET DOCTRINAE CATHOLICAE.

Quaestiones occurrentes.

105. Hucusque de divinitate ac de humana natura Christi disseruimus, et Christum verum Deum et verum hominem esse, demonstravimus. Nunc eo accedimus, ut ipsum Incarnationis mysterium penitius consideremus, ac de divinitatis et humanitatis conjunctione in Christo agamus. Quaeri videlicet potest, utrum alius sit Christus Deus et alius Christus homo, an vero unus idemque Christus Deus et homo, ita ut in una eademque hac persona, utraque, humana et divina natura uniantur. Atque ulterius investigandum erit, utrum supposita tali conjunctione utriusque naturae in una persona, aliquam mutationem vel confusionem naturae passae sint, an vero utraque existat perfecte et inconfuse. Cum his investigationibus variae quaestiones cohaerent, quae pariter exponi debent, ut doctrina catholica de incarnatione Verbi perspecta habeatur.

Errores.

106. Occurrit autem hac in re series haeresum, quae intime inter se se connexae sunt, quibusque per plura saecula Ecclesia vehementer turbata fuit. Opportunum erit, ejusmodi errores hoc loco breviter adumbrare. Notio enim istarum haeresum efformabitur accuratior, dum continuata expositione describuntur, simulque et ipsa doctrina catholica, cujus breve subnectemus compendium, melius perspicietur. Ne vero mireris, prius a nobis exponi errores, dein dogma catholicum. Supponimus videlicet illam dogmatis de Incarnatione cognitionem, quam unusquisque inde a pueritia ex praedicatione et doctrina Ecclesiae hausit. Haec cognitio perficietur, dum expositis erroribus distincte agnoscitur, quid doctrinam catholicam laedat; dein vero etiam

ipsum dogma accuratis terminis proponetur. Et sic via patebit, ut dogma catholicum scientifice evolvamus, demonstremus, et contra ejus adversarios vindicemus.

Nestorius.

107. Prima quae nobis consideranda est haeresis, ea est, quam Nestorius Patriarcha Constantinopolitanus proposuit. Quum videlicet initio saeculi V Ecclesia haeresi Arianorum devicta respiraret ac pace gauderet exoptata, novae ab illo excitatae sunt turbae. Germaniciae in Syriae oppido natus Nestorius prius Antiochiae monachus fuit et presbyter Antiochenus, Theodori autem Episcopi Mopsvesteni discipulus, a quo et haeresim suam hausisse creditur. Quum a. 428 ob virtutis doctrinaeque famam ad sedem Constantinopolitanam fuisset vocatus, mox pestiferos suos errores disseminare coepit, et populum custodiae suae commissum impiis doctrinis pervertere nisus est. Caput ac forma haeresis Nestorianae consistit in perversa ejus sententia *de modo unionis*, quae Verbum inter assumptamque humanam naturam obtinet. Negavit Nestorius, reali, intrinseca, et hypostatica unione a Verbo naturam humanam sibi unitam esse; sed talem ipse docuit esse unionem, qua Verbum et homo adsumptus, Jesus, moraliter tantum et extrinsece jungerentur. Proinde etiam ex tali unione non ontologica et realis unitas in Christo Deo-homine oboritur, sed inter Verbum et hominem adsumptum unitas est moralis dumtaxat et extrinseca, qua nimirum conjungitur Unigenitus cum homine secundum inhabitationem (*κατ' ἐνοίκησιν*), secundum beneplacitum et affectum dilectionis (*κατ' εὐδοκίαν*), secundum virtutem et operationem (*κατ' ἐνέργειαν*), quia Christus homo erat instrumentum, quo Verbum utebatur in admirandis operibus a Christo patratis. Hinc et Deiferum (*Θεοφόρον*) Nestorius Christum appellabat. Conjunctio autem ista moralis (*συνάφεια*) similis erat illi, qua et prophetae et sancti Deo junguntur, quamvis excellentior ac perfectior. — Ex hoc perverso errore necessaria illatione sequebatur: 1° Duas esse in Christo personas, unam divinam, alteram humanam, ac duos filios, Unigenitum qui ex Deo Patre, alterum vero filium hominis qui ex

matre Maria genitus fuit. 2° Beatam Mariam Virginem non esse vere Dei Genitricem (Θεοτοκον), quum ex ipsa tantum homo ille genitus sit, cui extrinseca et morali unione Verbum jungebatur.

108. In hisce igitur quae statuimus, summa haeresis Nestorii consistit. Quaestio inter theologos controversiae obnoxia ea est, quid docuerit Nestorius de tempore, quo conjunctio illa moralis inter Verbum et hominem Jesum facta sit. Sunt, qui propter auctoritatem aliquot ss. Patrum et imprimis s. Leonis M. [1]) tenent, Nestorium docuisse, hominem Jesum prius integrum et perfectum formatum, et posteriori tempore Verbum cum hoc homine conjunctum fuisse. Alii vero theologi ex ipsis Nestorii sententiis et Marii Mercatoris scriptoris coaevi testimonio, meliori ut videtur jure colligunt, Nestorium admisisse, hominem Jesum inde ab initio conceptionis et existentiae suae cum Verbo morali unione conjunctum fuisse. Tota autem haec quaestio non est magni momenti. Etenim capitalis haeresis Nestorii uti diximus in eo est, quod *de modo unionis* Verbum inter et humanam naturam turpissime erravit; utrum vero moralem illam unionem confictam inde ab initio existentiae Christi adfuisse statuerit, an vero seriori tempore eam incepisse docuerit, non multum interest, quum in utraque sententia haeresis summa eadem maneat. [2])

---

[1]) Epist. 23.

[2]) Opportune etiam animadvertitur: 1° In systemate Nestorii necessario hominem, cui Verbum extrinseca conjunctione adest, quamvis non tempore tamen *ratione prius* formatum et perfectum concipi debere, quam unio Verbi cum ipso. Et sic dici potest Nestorius docuisse, Verbum homini perfecto et formato fuisse unitum. 2° Moralis illa conjunctio per inhabitationem et operationem gradus admittit et augmenta perfectionis. Etsi igitur Nestorius admiserit, inde ab initio existentiae Verbum homini Jesu adfuisse ut sanctificaretur, fastigium tamen inhabitationis et sanctificationis posteriori tempori adscribebat, ita ut tum demum plene et perfecte Verbum homini morali conjunctione unitum fuerit. – Quae si prae oculis habentur, facile explicantur dicta antiquorum qui referunt, Nestorium tenuisse, Verbum homini Jesu perfecto postea junctum fuisse.

109. Mira calliditate ac versutia Nestorius, ut haeretici solent, haeresim suam dissimulare studebat, et ambiguis locutionibus eam tegere. Sic quum vehementer a catholicis urgeretur, non recusavit B. Virginem *Deiparam* dicere, sed insidioso ac plane subdolo sensu, quatenus scilicet genuerit hominem Deo conjunctum, templum quidem Dei, at non Deum ex unione substantiali et hypostatica. Pariter Christum appellare *Deum* haud recusabat, non quidem sensu catholico propter substantialem unionem, sed quia humanitas Christi nunquam fuit sine Verbo propter conjunctionem moralem, qua fit, ut Deus sit quidem hominis et homo Dei, non vero, ut Deus sit homo et homo Deus. *Unum* pariter Christum, et *unam* in ipso personam agnoscere se fingebat, verum eo sensu, quod ex duabus personis realibus una coaluerit morali nexu et voluntatum consensione, quemadmodum etiam vir et uxor unam constituunt moralem personam.

110. Contra Nestorii haeresim imprimis pugnavit s. Cyrillus Alexandrinus, qui, ut fraudes haeresiarchi redderet irritas, impiis ejus erroribus duodecim opposuit capitula seu anathematismos, quos ei subscribendos dedit, ut catholicum se probaret. Catholica enim doctrina in iisdem clare proposita erat. At Nestorius non solum iis subscribere noluit, sed etiam Cyrillo opposuit duodecim alios anathematismos, quibus impiam suam doctrinam complexus est. Romae primum, tum Ephesi a Concilio oecumenico III. a. 431 Nestorius haeresis damnatus fuit et ab episcopali sua sede depositus. — Protestantes quidem, uti Basnage, Mosheim, Neander aliique, suscepta Nestorii causa recentiore aetate affirmarunt, nihil ab isto prolatum fuisse, quod a substantia dogmatis esset alienum; hoc unum verti eidem vitio posse, quod eam ignoraverit legem, quam idiomatum communicationem vocant, quodque aestu acrioris disputationis abreptus quasdam negaverit propositiones cum ista lege consertas. Hinc latum in Nestorii causa judicium non deberi justitiae ac veritati, sed potius turbulento Cyrilli ingenio, irae asseclarum ejus, et impotenti Coelestini Romani

Pontificis tyrannidi. Hanc vero sententiam inanem non minus esse quam impiam, ex iis quae exposuimus manifestum est.

111. Quae ad historiam accuratiorem Nestorianismi pertinent, quoniam styli prolixioris foret hic referre, praetermittimus. Animadvertere sufficiat, Nestorianos versus finem saeculi V[i] ex Romano imperio omnino expulsos fuisse. Sed haeresis inde ejecta in Persidem confugit, ubi antesignanum habuit Barsumam Nisibi episcopum, qui cum aliis quibusdam ejusdem sectae episcopis impium errorem disseminavit. Ex Perside porro latius diffusa est pestifera lues; nam et Syriam, Mesopotamiam et Chaldaeam infecit, et paulo post per Aegyptum, Arabiam, Indiam usque in imperium Sinense propagata est, ita quidem, ut saeculo XIII centum circiter et quinquaginta Nestorianorum essent in Oriente episcopi. Sed subsequentibus saeculis maxima Nestorianorum pars a Muhamedanis exterminata est, et alii unionem cum Ecclesia catholica inierunt, ita ut nostro tempore in Assyria et Perside vix triginta millia christianorum qui Nestorianae haeresi addicti sunt superesse videantur.

112. Eutyches presbyter et archimandrita seu abbas celeberrimi monasterii Constantinopolitani, quum Christi unitatem contra Nestorianos defendere vellet, in haeresim oppositam non minus perniciosam lapsus est. Docuit videlicet, post unionem seu incarnationem unam tantum in Christo esse naturam; unde et *Monophysitismi* nomen ejusmodi errori datum est. Ad Flavianum Patriarcham et Synodum ab ipso coactam delatus, cum a Patribus de fide interrogaretur et urgeretur, ut suam aperiret mentem, tandem post multos flexus, quibus se involvere nitebatur, doctrinam suam his verbis proposuit: *Confiteor, ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem vero unam naturam confiteor.* Senem autem delirum, pervicacem et parum in fidei doctrina versatum, movere non potuerunt, ut distinctius suas opiniones exponeret, et errori suo renuntiaret. Unde a. 448 a suo gradu

Eutyches

dejectus et in exilium missus est. Ad exstirpandum hunc errorem etiam paulo post a. 451 convocatum fuit Concilium oecumenicum Chalcedonense, cui adfuerunt Episcopi sexcenti et triginta, a quibus iterum haeresiarcha ille damnatus fuit.

113. Capitalis error Eutychetis et eorum qui ipsum secuti sunt in eo est, quod *unam tantum in Christo naturam* esse contendunt. Cum hac haeresi autem multi alii errores erant connexi; quos singillatim hic nec enumerare nec persequi vacat. — Sed etiam in uno illo praecipuo errore exponendo non eadem erat Monophysitarum sententia. Alii enim ex duabus naturis unam factam fuisse docebant eo, quod natura humana a natura divina fuerit *absorpta,* ut si in mare fundatur mellis gutta quae statim evanescit. [1]) Alii vero per *confusionem* naturarum duarum unam existere dicebant; alii delirabant, utramque naturam esse *exstinctam* et tertiam dein exortam.

114. Post Concilium Chalcedonense, error Monophysitarum non omnino exstinctus fuit; mox tamen in plures sectas Monophysitae se diviserunt. — Commemoranda hic est secta *Theopaschitarum*, cujus auctor fuit Petrus Fullo Antiochenus patriarcha. Anathema ipse dixit Concilio Chalcedonensi et trisagio: *Sanctus Deus*, *sanctus fortis*, *sanctus immortalis,* adjecit clausulam: *qui passus es pro nobis*, *miserere nobis*. Existimavit videlicet cum suis asseclis, divinitatem carni factam consubstantialem in Christo passam fuisse, adeoque passam esse Trinitatem totam, quae a divinitate ipsa distincta non est. [2]) Alexandriae vero, cum

---

[1]) Theodoret. dial. 2.

[2]) Trisagion cum illo addito *qui passus es etc.* ex sensu obvio et ipsa Petri Fullonis intentione sensum habet haereticum, quum ad totam sanctissimam Trinitatem referatur. Unde et ss. Patres trisagium cum illo addito omnino rejecerunt. Postea tamen factum est, ut tota invocatio cum clausula ista in aliquibus regionibus toleraretur, quatenus vel ad solum Filium referri poterat, vel a verbis *sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis,* clausula separabatur, ita ut contineret distinctam Filii invocationem.

quidam Petrus Mongus sedem patriarchalem invasisset, Concilium tamen Chalcedonense cunctaretur rejicere, ab eo Eutychiani illius regionis se separarunt. Hi Acephali dicti sunt. Inter hos haereticos factio orta est duplex. Altera duce Juliano Halicarnassensi carnem Christi incorruptibilem fuisse docebat, et inde *Incorrupticolarum* sortita est nomen; altera factio duce Severo monacho tenebat, Christi carnem utpote veram carnem corruptibilem fuisse, unde *Corrupticolarum* ipsi appellatio facta est. Communis tamen illorum Acephalorum error fuit, ex duabus naturis divina et humana in Christo conjunctis unam naturam conflatam fuisse. Quum igitur Incorrupticolae tenerent, hanc Christi naturam dolori, passionibus et corruptioni non fuisse obnoxiam, incidebant in Docetismum. Corrupticolae vero illa omnia unicae Christi naturae tribuebant, adeoque divinitatem in Christo deterioratam esse, fateri cogebantur, quod non minus impium quam absurdum est. — Error Monophysitarum usque ad nostra tempora duravit; non pauci enim coetus christianorum in Syria et Armenia eodem infecti sunt, pariterque christiani in Abyssinia hac haeresi constricti tenentur.

Monotheletae.

115. Surculus quidam haereseos Eutychianorum fuit error Monotheletarum, qui licet verbotenus saltem concederent, duplicem fuisse in Christo naturam, divinam atque humanam, nihilominus unam tantum contendebant fuisse in Domino voluntatem et operationem. Exortus est error ille circa annum Christi 630, auctore Athanasio Patriarcha Eutychianorum, qui in Syria et Armenia versabantur. Deinde sub praetextu, hac doctrina unius voluntatis et operationis in Christo admissa vel saltem tolerata, facilius haereticos ad Ecclesiam reduci posse, haeresim hanc Sergius, Pyrrhus, et Paulus, patriarchae Constantinopolitani, ac Cyrus patriarcha Alexandrinus foverunt, imo et adoptarunt. Honorius autem Romanus Pontifex nullatenus quidem, quod aliqui praetenderunt, in hunc errorem lapsus est, remissius tamen hac in re fortasse egit.

116. Monotheletae varia ratione implexas suas opinio-

nes exponebant; quumque totum systema in se repugnantia contineret, mirandum non est, confusa fuisse et valde obscura eorum placita. Res generatim eo reduci potest, quod haeretici illi statuebant, Verbum secundum divinam naturam esse principium immediatum omnium volitionum et operationum Christi, humanam vero naturam in se inertem recipere actionem divinam Verbi. Verbotenus igitur concedebant, naturam humanam in Christo quoad *essentiam* non esse naturam divinam; sed eam non agnoscebant ut principium actionum. Sub hoc respectu naturam humanam Christi veluti inertem habebant, ita ut nec potentiam agendi et volendi, nec operationem et volitionem actualem videantur admisisse. Sed omnis operationis principium secundum eos fuit divina natura, ita ut *reciperetur* actio in humana natura inerte. Et hoc sensu statuebant, principium actionis esse compositum, nec Verbum ea quae fecit agere et pati potuisse, nisi in humana natura. Illam autem Christi *operationem unicam* appellabant *theandricam* seu deivirilem operationem, eo quod esset una actio proveniens a divina et humana natura, ita tamen, ut divina natura tantum active, humana plane passive sese haberet. — Damnatus fuit hic Monotheletarum error a. 680 Constantinopoli a Concilio oecumenico VI, in quo veritas catholica asserta est et proscripta haeresis cum suis auctoribus et fautoribus. Post illud Concilium magna Monotheletarum pars errorem suum abiecit, reliquiae tamen eorum usque ad saeculum XII in Syria exstiterunt.

117. Haereses quas recensuimus fuerunt praecipuae, quae relate ad conjunctionem duarum naturarum in una persona Christi exortae sunt. Remanet tamen commemoranda haeresis Adoptianorum, quae quamvis minores excitaverit turbas, catholicum dogma nihilominus maxime laedebat. Erroris Adoptianismi, qui Nestorianismo confinis est, auctores initio saeculi noni fuerunt Felix Episcopus Urgellitanus et Elipandus Archiepiscopus Toletanus. Asserebant igitur ipsi: 1° Christum hominem esse Filium Dei adoptivum. 2° Id ulterius explicabant in hunc sensum: Christus homo non

est Filius Dei naturalis, sed Filius naturalis est Deus Verbum. — Tali doctrina Nestorianismus instaurabatur. Quamvis enim non diserte duas in Christo hypostases nominarent, nec forte plane perspectum ipsis esset, hanc haeresim eorum doctrinae implicitam esse, facillime tamen patet, Nestorii errorem de duplici in Christo persona ex illis propositionibus colligi. Sequitur videlicet ex iis, alium esse Deum Verbum, Filium scilicet Dei naturalem, et alium hunc hominem Jesum Christum, qui non est Filius Dei naturalis, sed tantum filius adoptivus. — Quum Felix et Elipandus in erroribus suis ineptis persisterent eosque propagare magno studerent aestu, eorum conatibus Episcopi Italiae, Galliae et Germaniae constanter restiterunt, ac doctrinae istae damnatae fuerunt pluribus in conciliis, ex quibus hic notare sufficiat synodum Francofurdiensem a. 794 habitam, et concilium Romanum anni 799, in quo Leo III haeresim Adoptianorum iterum proscripsit.

Güntherus.

118. Nostro vero tempore errores Nestorii instaurati fuerunt a pluribus theologis, qui duce Günthero de Incarnationis mysterio quaedam docuerunt catholico dogmati omnino opposita. Ausi sunt imprimis docere, Ecclesiam tempore Nestorii duas in Christo esse personas negasse, propterea quod personae notione nondum recte constituta duas personas dicendo perperam fuisset intellecta. Sed personae notione recte constituta tenendum esse, in Christo esse duas personas, alteram divinam, humanam alteram, et Christum esse unum, unamque personam eatenus tantum, quod persona divina, utpote nobilior quam humana, principatum seu hegemoniam habeat [1]) — Ejusmodi doctrinae rejectae fuerunt damnatis Güntheri operibus. Huic damnationi etiam ea rationem praebuisse, quae traduntur de sacramento Verbi incarnati deque unitate divinae Verbi personae in duabus naturis divina et humana, declara-

[1]) Cfr. Conc. Colon. a. 1860. P. 2. c. 19.

vit S. D. N. Pius IX. P. M. litteris scriptis ad Emin. D. Joannem Cardinalem de Geissel, Archiepiscopum Colonien. d. d. 15. Junii 1857.

Doctrina catholica.

119. Modo jam catholicam doctrinam de hypostatica conjunctione naturae divinae et humanae in Christo ad quaedam capita reducamus. — Ecclesia igitur docet: 1° Unicam esse in Christo personam eamque divinam, non vero duplicem esse personam, aliam divinam, humanam alteram, quae extrinseco quodam ac morali nexu conjungantur. Secunda scilicet sanctissimae Trinitatis persona, Verbum divinum in plenitudine temporis, reali, intrinseca, personali unione assumpsit humanam naturam, ita ut haec non nisi in Verbo suam subsistentiam habeat. Natura igitur humana, quae in nobis, quia in se subsistit, est persona, in Christo persona non est, quia in Verbum refertur, ipsius est, ejusque hypostasi subsistit. — Unde 2°: Non personam humanam genuit B. Virgo Maria, cui morali conjunctione adesset Verbum, sed B. Virgo vere Dei Genitrix est, quia Deum genuit et peperit. Etenim quia unus est Christus, et quia idem qui Deus est, secundum humanam naturam ex Virgine genitus est, Maria Deum genuisse dicenda est. — 3° Christus etiam ut *hic homo* est Filius Dei naturalis per generationem paternam, non quidem ratione humanae naturae, sed ratione hypostaseos unius, quae ab aeterno generata, in tempore coepit esse hic homo. 4° Quum in una persona Christi divina et humana natura nnitae sint, nullatenus tamen propter unitionem sublata est naturarum differentia, sed duae sunt in Christo naturae integrae, distinctae, inconfusae et impermixtae. — 5° Unde etiam duplex in Christo agnoscenda est voluntas, divina et humana, haec tamen non contraria illi, sed subjecta. Quum porro natura utraque suam sibi propriam habeat formam et virtutem operandi, duplex etiam agnoscenda est operatio. Vocamus igitur Christi operationes theandricas seu deiviriles, non ob confusionem aliquam operationum seu virtutum, sed ideo, quod divina operatio

ejus utitur humana, et humana ejus operatio participat virtutem divinae operationis. [1])

120. Haec igitur sunt praecipua capita doctrinae catholicae de unione divinae et humanae naturae in una Christi persona. Ex his quidem fluunt etiam consectaria quaedam magni momenti, quae pariter ad dogma pertinent; sed ne rerum copia et gravitate animus veluti obruatur, magis opportunum erit ea ex ordine evolvere, postquam haec capita proposita scientifice vindicaverimus. Id igitur opus jam opitulante Deo aggredi suscipimus.

Articulus II.

DE UNITATE PERSONAE IN CHRISTO.

Quaestio.

121. Agendum nobis imprimis est de ontologica Christi unitate, qua videlicet in Christo una est eademque divina persona, in qua utraque natura divina atque humana unitae sunt et subsistunt. Sic removebimus errorem impium Nestorii, qui sicuti vidimus duas asserebat esse in Christo personas, scilicet personam divinam et personam humanam, morali aliqua conjunctione inhabitationis, affectuum, operationis, unitas. Ad quaestionem hanc rite intelligendam, necessarium est, notionem naturae ac personae paucis exponere; fusius vero easdem notiones inferius evolvemus. — Ut videlicet de his conceptus habeamus accuratos, maxime quae ex ipsa revelatione nobis nota sunt, inservient.

Notiones explicantur.

122. *Naturam* appellant omnes tum philosophi, tum vulgus, nec minus ss. Patres et universa Ecclesia ipsam alicujus entis essentiam, seu essentialem illam perfectionem, qua unumquodque ens in certo ordine ac specie constituitur. Synonymae igitur sunt voces *essentia* ac *natura;* naturae tamen vocabulo ipsa essentia designari solet, quatenus principium est agendi et operandi. Subjectum vero

---

[1]) S. Thomas. S, th. p. 3. q. 19. a. 1.

cui inest natura seu essentia, quodque per essentiam in certo ordine constitutum est, dicitur *hypostasis.* Unde etiam facile vides, id quod objicitur considerationi *quid* aliquid sit, esse naturam vel essentiam; illud quod objicitur considerationi *quis* sit, esse hypostasim. Hypostasis autem quae ratione praedita est, dicitur *persona.*

123. Notiones naturae et personae a rebus finitis et creatis merito sensu analogo etiam ad Deum transferimus. In Deo enim imprimis considerationi nostrae se sistit ipsum Esse infinitum ac absoluta realitas et perfectio; illudque Esse infinitum necessario unum esse unitate singularitatis, tum ratio tum revelatio nos docet. Sed ex revelatione etiam scimus, illud Esse infinitum commune esse tribus realiter distinctis, adeoque illos tres, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, esse unum Deum. Sicuti in rebus creatis ipsum esse earum dicimus *essentiam*, quatenus est principium operationis *naturam*, et si in se existit ac non alteri inhaeret *substantiam*, sic etiam merito illud *Esse* unum divinum dicemus divinam *essentiam, substantiam*, ac *naturam.* — Tres distincti, Pater, Filius, et Spiritus sanctus, constituuntur, uti vidimus in Tractatu de S^ma^ Trinitate, relationibus. Non distinguuntur realiter ab essentia ac natura divina, sed realiter distinguuntur inter se. Potest quidem dici, in Deo esse unam essentiam, substantiam vel naturam *absolutam*, et tres essentias substantias vel naturas *relativas*, sed ne difficiliori hoc loquendi modo errorum praebeatur occasio, usu Ecclesiastico factum est, ut nomen essentiae, substantiae ac naturae, illi quod in Deo unum et absolutum est reservetur, et tres distincti dicantur tres *hypostases* seu *personae.* — Qua in re iterum considerandum est, merito hanc appellationem adhibitam esse. In creatis enim si plures distinctos consideramus quae communem habent entitatem ac perfectionem specificam, hanc perfectionem quatenus communicabilis est et communis, dicimus usu loquendi tum vulgari tum scientifico naturam sive essentiam. Singulos autem ab aliis omnibus etiam ejusdem essentiae distinctos dicimus hypo-

stases, seu si agitur de natura rationali personas. Sed Pater, Filius, et Spiritus sanctus, uti ex revelatione constat, sunt tres distincti, quorum est una non specie tantum, sed numero communis absoluta perfectio, qua sunt unus Deus. Unde tres illi distincti, quatenus distincti sunt ab invicem et tamen unius absolutae perfectionis, respondent notioni, quam habemus de persona et hypostasi; una autem et communis trium absoluta perfectio seu divinitas respondet notioni, quam habemus de natura.

Vocabula ab Ecclesia consecrata.

124. Haec igitur significatio vocabulorum naturae et personae omnino ab Ecclesia consecrata fuit ac firmata decreto ecclesiastico, ut fidei dogmata rite exprimerentur. Ut ea tantum hic commemoremus quae Incarnationis mysterium spectant, revelatio nos docet, secundam personam divinam esse vere et proprie hominem factam, adeoque in tempore suam fecisse unam, singularem, et integram humanam naturam. Constat proinde ex revelatione, Deum Filium, sicuti est Deus ab aeterno, assumpta natura humana etiam factum esse hominem, atque ita *unam esse hypostasim duplicis naturae,* Jesum Christum Deum-hominem. Quum igitur Nestorius alium asserens hominem Jesum, aliud Verbum divinum, destrueret hanc ontologicam Christi unitatem, necessarium erat, ut claro et determinato modo Doctores Ecclesiae et Concilia veritatem catholicam statuerent. Ut assererent, illum ipsum qui est verus Deus Verbum, esse verum hominem, hanc fidei doctrinam expresserunt illa formula, *humanam naturam unitam esse cum Deo Verbo secundum hypostasim, et unam esse hypostasim Christi.* Pariter quando Monophysitae ex unitate hypostasis inferebant, unam etiam esse in Christo divino-humanam naturam, Ecclesia dogma fidei vindicans insistebat in declaratione *duarum naturarum unius Christi, ita ut tum divina tum humana natura inconfusae et impermixtae adessent.* — Tali ratione dogma catholicum selectis terminis aptissimis clare definitum est, ita ut qui rem iis terminis expressam negaret haereticus esset. Simul vero etiam irrefragabili auctoritate significatio termi-

norum et modus loquendi determinatus fuit, ita ut nemini ab eo discedere liceat. Praeterea autem patet, non solum verbotenus vocabula illa unius hypostasis et duarum naturarum in Christo retinenda esse, sed *secundum eum sensum*, qui ipsis in Ecclesiae definitionibus subest. Secus enim, quod recentioribus quibusdam theologis accidit, dum Ecclesiasticis illis terminis alia significatio subjicitur, falsa adstruitur doctrina.

His expositis jam doctrinam catholicam de unica Christi hypostasi contra impios Nestorii errores vindicamus.

Propositio.

125. Propositio. — *Unica est in Christo eaque divina persona; Verbum enim divinum, secunda sanctissimae Trinitatis persona, non homini unione extrinseca, accidentali et morali sese conjunxit, sed intrinseca, substantiva et hypostatica unione suam fecit humanam naturam.*

Praenotanda.

Praenotanda. — Praeter ea quae superius animadvertimus, opportunum est hic aliqua de natura *unionis* notare. Opponimus videlicet in propositione unioni seu conjunctioni *extrinsecae*, *accidentali* et *morali*, unionem *intrinsecam*, *substantivam* et *hypostaticam*. Conjunctio *extrinseca* est, si ea quae aliqua ratione conjunguntur, non tamen aliquid in se unum constituunt, sed separata manent; *intrinseca* est unio, si duo ita conjunguntur, ut unum quid entitative constituant. Conjunctio *accidentalis* dicitur, si duo quae uniuntur inter se substantia sua separata manent, per aliquid tamen accidens substantiis superveniens quadamtenus conjunguntur. Sic duo amici fiunt anima una, non per unitionem unius animae cum altera, sed per actus voluntatum et communicationem affectuum. — Unio vero *substantiva* dicitur, si non solum termini *ex quibus* fit unio substantiae sunt, sed etiam terminus *qui* unionis, i. e. ipsum illud, quod per unitionem existit, unum est substantiale. Hoc erit vel *una natura* integra ex substantiis partialibus, ut natura humana substantive una est composita ex anima et corpore; vel erit *una hypostasis*, licet naturae unitae remaneant plures distinctae et diversae. Sic res se habet in Christo, atque in hoc casu

Unionis varia ratio.

unio dicitur *hypostatica.* Quum igitur de Incarnationis mysterio agitur, unio secundum hypostasim significat, quod Deus Verbum, h. e. *illa hypostasis, una ex tribus hypostasibus, non homini jam subsistenti unitus sit, sed in utero s. Virginis ex ea sibi ipsi formavit in sua propria hypostasi carnem animatam anima rationali et intellectuali, quod est humana natura.* [1]) Seu brevius dici potest unio hypostatica *conjunctio, qua duae naturae, divina et humana, integrae et inconfusae subsistunt in una Verbi persona.* — Aliae notiones cum his cohaerentes facile intelliguntur. [2])

Demonstratio.

126. Demonstratio. — Doctrina in propositione nostra expressa imprimis in iis quae ex fontibus fidei demonstrata fuerunt, evidenter jam implicita continetur. Probavimus videlicet, unum eumdemque Jesum Christum perfectum Deum esse ab aeterno per generationem ex Patre, ac perfectum esse hominem in tempore ex generatione materna. Id omnes praedicant Scripturarum novi Testamenti paginae, eaque inde ab initio universae fuit Ecclesiae fides. Jam vero aeterna est Verbi hypostasis, nec mutari eadem potest. Proinde Verbum eatenus factum est perfectus homo, quatenus in tempore sine mutatione humanam naturam suam fecit, ita ut in hypostasi Verbi utraque divina et humana natura subsistant.

S. Scriptura.

127. Sed jam specialia quaedam *Scripturarum* consideremus testimonia, ex quibus fidei veritas de qua agimus luculentius colligitur. Dogma igitur catholicum clare traditur illis verbis s. Joannis: *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam*

---

[1]) Professio fidei Justiniani in Conc. V. edita, ap. Mansi t. 9. pag. 541.

[2]) Huc pertinet e. g. expressio unionis physicae (κατα την φυσιν), qua ss. Patres etiam frequenter utuntur relate ad Incarnationis mysterium. Significatur his verbis nullatenus, ipsas naturas ita unitas fuisse, ut ex duabus fieret una natura. Sed exprimunt, unionem esse talem, ut non ex eadem unum quid mere morale et accidentale ratione affectus et relationis existat (σχετικως), sed esse ejusmodi, ut terminus sit unum quid ontologice, et substantive (ὀντως, φυσικως).

quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.[1]) Multa s. Joannes de Verbo, secunda Trinitatis persona, praedicaverat. Hoc idem Verbum dein factum dicitur caro seu homo. Haec sane non ita intelligi possunt, ac si Verbum conversum sit in hominem; id enim absurdum est, quum Deus Ens infinitum et immutabile nequeat fieri ens finitum. Significant igitur, Verbum nascendo factum esse hominem, seu in tempore secundam personam divinam assumpsisse ac sibi univisse naturam humanam. Proinde non duplex, sed una est eademque divina persona in Christo; Christus est ipse Unigenitus Dei, cui propter assumptam humanam naturam etiam humana conveniunt. *Quod Verbum caro factum est*, ait s. Leo, *non hoc significat, quod in carnem sit Dei natura mutata, sed quod a Verbo in unitatem personae sit caro suscepta, cujus utique nomine totus homo accipitur.*[2]) — Neque de unione quadam morali per inhabitationem vel affectum illa verba intelligi possunt. Ob ejusmodi enim unionem per gratiam, Verbum dici non potest *factus caro*, vel *esse homo.* Profecto etiam Pater et Spiritus sanctus unione morali inhabitationis et affectus uniuntur justo secundum illa Domini verba: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*[3]) Sed absurdum sane foret et inauditum, propterea asserere, Patrem et Spiritum sanctum factos esse homines.

128. Verbis s. Joannis affine est et veluti parallelum illud, quod s. Paulus ad Philippenses scribit: *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. Qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.*[4]) Interpretationem hujus textus superius jam proposuimus.[5]) Docetur manifeste, unam eamdemque per-

---

1) Jo. 1, 14 sqq. 2) Serm. 7 de nativ.
3) Jo. 14, 23. 4) Philipp. 2, 6. 5) Vide n° 63.

sonam quae in forma Dei est aequalis Deo, exinanivisse se, quatenus non quidem deposuit formam Dei vel mutavit, quod absurdum est, sed quatenus formam servi accepit. Manens videlicet in forma seu natura Dei, accepit formam seu naturam hominis, et sic una eademque persona Deus est ac homo.

129. Eadem unitas subjecti et hypostaseos in qua subsistat tum divina tum humana natura, in sacris Litteris omnibus iis praedicatur, quibus eidem Domino Jesu Christo tum attributa divina ut propria tribuuntur, tum talia adscribuntur, quae non nisi ille, qui humanam naturam habet, agere et pati potest. Sed innumera hujusmodi sunt testimonia. Sic e. g. idem qui est *auctor vitae,* dicitur *interfectus a Judaeis*; [1]) idem *qui est ex Israelitis secundum carnem*, etiam *est super omnia Deus benedictus in saecula;* [2]) eumdem qui se dicit *filium hominus*, praedicat Petrus revelante Patre Christum *Filium Dei vivi*; [3]) ille qui *traditus est pro nobis*, ut nos redimeret moriens in cruce, *est proprius Dei Filius.* [4]) — Unam esse Christi Dei et hominis personam eamque divinam, ex his manifestum est. Nam uti breviter et clare s. Thomas argumentatur: *Non ea quae sunt hominis de Filio Dei praedicarentur, nisi eadem esset persona Filii Dei et hominis, quia quae uni personae conveniunt, non ex hoc ipso de altera praedicantur; sicut quae conveniunt Paulo, non ex hoc ipso praedicantur de Petro.* [5])

Traditio.

130. Si doctrinam *Traditionis et praedicationis Ecclesiasticae* consulimus, idem dogma luculentissime propositum invenimus inde a Christianismi exordiis. Symbola imprimis illud clare continent, idemque ss. Patres in sym-

---

[1]) »Petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitae interfecistis.« Act. 3, 14. 15.

[2]) Rom. 9, 5. [3]) Matth. 16, 13 et sqq.

[4]) »Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.« Rom. 8, 32.

[5]) Compend. Theol. ad Fr. Regin. c. 203.

bolorum explicationibus exponunt. Profecto in Symbolo Apostolico jam dicitur quod reliqua symbola repetunt: *Credo in Jesum Christum, Filium ejus* (Dei Patris) *unicum, Dominum nostrum; qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato etc.* Ad hanc Symboli professionem s. Irenaeus, quum dimicaret contra Gnosticos, qui Jesum alium quam Christum esse dicebant, frequenter provocat, et ontologicam Jesu Christi unitatem ut fidei christianae caput fundamentale adstruit. *Cui* (symbolo), inquit, *assentiunt multae gentes, veterem traditionem diligenter custodientes; in unum Deum credentes fabricatorem coeli et terrae,.. per Christum Jesum Dei Filium, qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quae esset ex Virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, et passus sub Pontio Pilato.*[1] Et alio loco: *Unum*, inquit, *eum et qui natus est et qui passus est Christum Jesum novit Apostolus,.. ipse est Verbum Dei, ipse Unigenitus a Patre, Christus Jesus Dominus noster.*[2] Profecto vix evidentius asseri potest, unam esse in Christo personam eamque divinam, in qua humana quoque natura subsistit. — Sic etiam s. Athanasius: *Christus*, scribit, *est Deus-homo. Unus et idem est, qui ante saecula ex Patre et in ultimis diebus ex Virgine exortus est.*[3] Vides, primis illis saeculis, quamvis usus verborum hypostasis et natura minus frequens minusque determinatus fuerit, ipsum dogma tamen catholicum perspicue proponi.

131. Eamdem veritatem de unica eaque divina Christi persona, in confessione universali christianorum ab initio fuisse, luculenter etiam ostendunt criminationes Judaeorum ac gentilium, responsiones apologetarum christianorum, et professiones martyrum. Perpetua enim erat tum Judaeorum tum gentilium contra christianam religionem objectio, impium esse atque absurdum, Deum credere natum ex muliere, passum, cruci affixum et mortuum; Deum enim im-

---

[1]) Contra haer. l. 3. c. 4. [2]) Ibid. c. 16. [3]) Orat. 4. n, 36.

mortalem et immutabilem nec nasci posse ex femina, nec mori. Sicut haec objectio eadem fuit, quam postea Nestorius impie effutiit, ita etiam eadem fuit ss. Doctorum responsio. Nullatenus videlicet negant, verum esse, quod Christianos confiteri hostes eorum objiciebant, sed vindicant hanc doctrinam ut piam, sanctam atque verissimam, et illa vere de Deo propter assumptam humanam naturam tenenda et dicenda esse, confirmant. Pariter vero ss. Martyres hanc veritatem in suis fidei professionibus coram judicibus et tyrannis expresse et constanter testantur. Sic e. g. s. Achatius profitetur *Filium Dei, Verbum veritatis, qui vocatur Jesus Christus*; s. Justinus *Jesum Christum, cujus adventus praedictus a prophetis, cujus divinitas infinita;* s. Ignatius *Christum Deum crucifixum*; s. Epipodius *sempiternum Dominum nostrum crucifixum et qui resurrexit, qui ineffabili mysterio homo pariter et Deus famulis suis tramitem immortalitatis instituit.*[1])

132. Ipsis etiam terminis, qui post turbas excitatas a Nestorio in Ecclesia consecrati fuerunt, nonnulli ex Patribus jam ante illos errores exortos doctrinam catholicam exponunt. Sic ut duos tantum citemus, unum Graecum s. Chrysostomum, Latinum alterum s. Augustinum, prior: *Etsi duplex,* scribit, *sit in ipso* (Christo) *natura, est indivisibilis et indissipabilis unitio in una filiationis confitenda persona et una subsistentia.*[2]) Alter vero: *Christus Jesus,* inquit, *Dei Filius, Deus est et homo. Deus ante omnia saecula, homo in nostro saeculo. Deus enim erat Verbum. Homo autem, quia in unitatem personae accessit Verbo anima rationalis et caro. — Unus Dei Filius, idemque hominis filius. Non duo filii Dei, Deus et homo, sed unus Filius Dei; Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Jesus Christus.*[3]) Sic etiam in concilio

---

[1]) Cfr. Franzelin: De Verbo incarn. Thes. XVIII. et Maran. de divinit. etc. l. 2, c. 4.

[2]) Ad Caesar. Monachos. [3]) Enchirid. c. 35.

Romano a. 378 habito clare doctrina catholica illis verbis expressa est: *Anathematizamus eos, qui duos filios asserunt, unum ante saecula, et alterum post assumptionem carnis ex Virgine.*

Concilia. 133. Quando vero Nestorius haeresim suam proposuit, ejus doctrina ut plane inaudita ab universa Ecclesia rejecta fuit. Ipsum vulgus christianum Constantinopoli quum talia praedicari audiret, exsurrexit contra perfidum patriarcham, et episcopi clarissimi tum Orientis tum Occidentis, Romanusque Pontifex s. Coelestinus I, ejus errores illico condemnarunt. Jam diximus, s. Cyrillum Alexandrinum patriarcham Nestorii doctrinis duodecim opposuisse anathematismos, quorum secundus his continetur: *Si quis non confitetur, Dei Patris Verbum carni secundum hypostasim unitum, et unum una cum sua carne esse Christum, eumdem nimirum Deum simul et hominem, anathema sit.* Tertius vero sic habet: *Si quis in uno Christo dividit substantias (ὑποστασεις), post unitionem sola eas connexione conjungens, quae secundum dignitatem fit vel etiam auctoritatem et potestatem, ac non potius conventu (συνοδῳ), qui per unitatem factus est naturalem, anathema sit.* Et quintus: *Si quis audeat dicere, hominem Christum theophorum, id est Deum ferentem; ac non potius Deum esse veraciter dixerit, tanquam filium per naturam, secundum quod Verbum factum est caro et communicavit similiter ut nos carni et sanguini, anathema sit.* Anathematismos s. Cyrilli Concilium oecumenicum Ephesinum ita approbavit, ut iisdem definitio fidei catholicae constituatur.

134. In eodem Concilio oblatum fuit a Charisio presbytero symbolum, quod a Theodoro fortasse Mopsuesteno compositum et haeresi omnino infectum erat, ut condemnaretur. In eo symbolo statuebatur: *Unum filium dicimus et Dominum nostrum Jesum Christum per quem omnia facta sunt, principaliter quidem Deum Verbum intelligentes substantialiter Filium Dei et Dominum, cointelligentes autem assumptum Jesum a Nazareth, quem unxit Deus spiritu et virtute, sicut in Verbi Dei copulatione filiationis*

et dominationis participantem. Hanc fidei expositionem, qua fraus haeretica proponebatur, rejecerunt et damnarunt Patres Ephesini hac sententia: *Si qui inventi fuerint vel episcopi vel clerici vel laici sive sentire sive docere ea, quae continentur in expositione, oblata a Charisio presbytero de Unigeniti Filii Dei Incarnatione, sive scelerata et perversa Nestorii dogmata quae et subnexa sunt, subjaceant sententiae sanctae hujus et universalis Synodi.* Eadem haeretica fidei professio pariter damnata est in Concilio oecumenico Chalcedonensi. Idem vero actione V solemniter profitetur *Christum non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium et unigenitum Deum Verbum, Dominum Jesum Christum.*

Güntheri error.

135. Facile patet nec probatione ulteriori indiget, cum Scripturarum ac Patrum doctrina et Conciliorum definitionibus etiam omnino pugnare doctrinam theologorum, qui scholae Güntherianae addicti erant. Ex fontibus enim fidei et Ecclesiae definitionibus ut dogma catholicum stabilitur ea veritas, unam numero esse personam in Christo eamque divinam, unum videlicet subjectum quod Deus est, et propter naturam assumptam simul et homo. Illi autem statuerunt diserte, hypostases duas et duas personas in se consistentes esse in Christo, Deum Verbum et hominem Jesum Nazarenum. Has tamen duas personas inde a prima conceptione hominis Jesu in utero matris ita esse conjunctas, ut persona humana subjecta intelligatur et ordinata ad superiorem hypostasim divinam. Vides, purum et putidum Nestorianismum hic nobis proponi. — Ulterius animadvertunt, postquam homo sui conscius est, unam personam se scire conjunctam cum altera, et unam agere et influere in alteram. Ex hac conjunctione non existere quidem *unitatem numerico-realem* personae, sed *dynamicam et formalem.* Formam enim seu rationem hypostaseos sitam esse aiunt in conscientia sui; unde quum utraque persona sciat, se inseparabiliter conjungi cum altera, una exoritur composita conscientia sui, cum subordinatione perfecta conscientiae hominis Jesu ad conscientiam

Verbi. Et sic habetur, inquiunt, unitas quaedam dynamica ac formalis inter duas in se subsistentes hypostases, et eo sensu una personalitas Christi affirmari potest.

Falsam esse notionem personae, quam viri illi finxerunt, inferius videbimus; modo sufficiat recolere, haec directe opponi dogmati a nobis demonstrato et in Conciliis definito de *unitate reali et numerica* personae Christi.

Rationes theologicae. 136. Quod ad rationes theologicas attinet, quae contra Nestorii haeresim afferri solent, multiplices sunt, et ex multis capitibus peti possunt. Tota enim doctrina catholica de incarnatione Verbi illo errore penitus evertitur, tum quatenus ipsa natura hujus mysterii consideratur, tum quatenus spectatur incarnationis finis, qui fuit, ut adaequata exhiberetur Deo satisfactio et copiosa esset hominum redemptio. Quoad primum breviter s. Thomas: *Nec etiam,* scribit, *ad incarnationis rationem sufficit, si Verbum Dei aut Deus pleniori gratia habitavit in illo homine, quia magis et minus speciem non diversificant unionis. Cum igitur christiana religio in fide incarnationis fundetur, evidenter apparet, quod praedicta positio fundamentum christianae religionis tollit.* [1]) Quod vero ad alterum attinet, profecto si duae sunt in Christo personae, divina una, altera humana, nulla potest cogitari Deo digna satisfactio. Illa enim persona divina, quae pretium infiniti valoris offere potuisset, nec dolori nec morti fuisset obnoxia; illa autem persona humana, quae pati potuit et mortem subiit pro nobis, peccatis parem satisfactionem praestare nunquam potuisset.

Accuratior explicatio hypostasis. 137. Dogmate catholico demonstrato et explicato opportunum jam erit, hoc loco *ipsam hypostasis notionem accuratius evolvere.* Ex una enim parte ea quae ex revelatione scimus necessario prae oculis habenda sunt, ut recta et completa hypostasis notio efformetur; ex altera parte accurata haec notio conferet, ut incarnationis mysterium melius intelligatur. — Dicimus igitur, naturam esse ipsam rei essentiam et perfectionem, qua in certo ordine

[1]) Summa c. gent. l. 4. c. 34.

certaque specie constituitur; hypostasim vero, seu si agitur de natura rationali personam, ipsum subjectum, cui essentia et natura inest. Hanc notionem ut secundum sanam doctrinam exponamus, imprimis manifestum est, hypostases esse *substantias*; accidentia enim non sunt subjectum, sed inhaerent subjecto. Substantiae porro quaedam habent rationem partis, quatenus ad aliud perficiendum ordinantur et ad alterum accedendo complentur, ut est v. g. manus relate ad hominem; quaedam vero aliae partis rationem non habent, quia non sunt addictae alteri perficiendo, nec ab altero complentur, sed sibi relictae sunt aliquid integrum et completum, ut est e. g. homo totus. *Substantiae* autem *singulares,* in quibus haec integritatis et proprietatis ratio invenitur, supposita dicuntur et graeco nomine hypostases. Est igitur hypostasis: *Substantia singularis*, *quae per se integrum quoddam est atque completum in ratione substantiae seu existentiae in se ipso*, videlicet *quae nec alterius pars est, neque uti pars spectari potest*, *nec communis est pluribus inter se distinctis.* — Modus hic existendi abstracte consideratus dicitur *subsistentia.* — *Persona* autem est hypostasis rationalis, adeoque *substantia singularis, quae per se integrum quoddam est atque completum*, *quaeque ratione pollet.*[1]) Differentia igitur veluti specifica, qua *hypostasis* generatim sumta constituitur persona, est dignitas naturae intellectualis. In eo, quod rationales hypostases solae possunt saltem aliquatenus habere rationem finis pro aliis, fundatur ultimatim, quod illae solae possunt esse *subjectum juris*, et haec hypostaseon rationalium eminentia prae aliis significatur appellatione speciali *personae.* Cum vero ad rationem personae imprimis jam pertineant ea omnia, quibus constituitur generatim hypostasis, patet, in errore versari eos, qui definitionem personae notione vel naturae *intellectualis*, vel naturae *sui consciae* absolvi arbitrantur. Quamvis enim rationalitas sit ultima ratio cur aliqua *hypostasis* sit subjectum juris et dicatur persona, tamen ea non per se efficit ut aliqua natura singularis sit hypostatis.

---

[1]) Eadem est personae definitio, quae juxta Boëtium dari solet:

138. Animadvertendum est, sola ratione investigante non aliter quidem intelligi aliquam substantiam perfectam et singularem, quam in se consistentem ac sibi propriam. Unde antiquis philosophis gentilibus idem erat substantia perfecta et singularis, ac hypostasis in se consistens et incommunicabilis, ita ut ipsam singularitatem vel ut identicam, vel ut necessario nexam cum substantiae consistentia in se ipsa seu ejus subsistentia haberent. Sed hic conceptus *inadaequatus* erat, quia applicari non potest substantiae divinae, et restringitur ad substantias finitas connaturali modo existentes. Ad pleniorem vero et universalem conceptum de hypostasi efformandum ea consideranda sunt, quae ex revelatione de sanctissima Trinitate ac de incarnationis mysterio nobis constant. Ex revelatione enim scimus, naturam ac substantiam divinam, quamvis una sit et singularis, non tamem unam esse hypostasim, sed subsistere in tribus personis realiter distinctis; et naturam humanam Christi, licet integram et singularem, non esse hypostasim, sed esse naturam hypostaseos superioris, scilicet Verbi. Proinde definitio hypostasis, ut completa sit et universalis, exigenda est ad has fidei veritates, quas ratio sibi relicta non cognosceret; et sic expolitus conceptus hypostaseos partim rationalis est, partim derivatur ex veritatibus supernaturalibus. Est autem ille conceptus quem dicimus, videlicet ut hypostasis dicatur, *substantia singularis integra et tota in se, ita ut non sit alterius totius et perfecti in se, nec communis pluribus inter se distinctis.* [1])

Naturae rationalis individua substantia. Voces tamen *substantia individua* non significant simpliciter substantiam physice unam, sed substantiam completam quae per se ac seorsim cohaeret.

[1]) Ex his manifestum est, philosophiam non posse sibi vindicare plenam independentiam in constituenda hypostasis et naturae notione *adaequata,* quae non restringatur ad solum modum existendi connaturalem creaturarum, sed sit uti oportet ita universalis, ut comprehendat sub se notiones analogas divinae ac creatae hypostasis et naturae,

Unio hypostatica illustratur

139. Juxta ea quae diximus inca natio seu unio hypostatica Verbi cum humana natura illustrari jam potest. Repugnat sane, Verbum divinum in incarnatione desinere esse personam; Deus enim, substantia infinite perfecta, immutabilis est, nec unquam potest carere eo, quod substantiam in suo genere facit maxime perfectam. Si vero finita substantia ad personam infinitae perfectionis accedit ac illius propria fit, hoc ipso suppositum seu persona non erit; idque factum est in incarnatione, in qua natura singularis humana facta est propria secundae personac divinae. Persona secunda divina seu Verbum, cum perfici non possit nec suam amittere integritatem, personae dignitatem in unitione hac non amisit, sed assumptam naturam ad suam traxit personalitatem. Quare in Christo personae ratio non exurgit ab utraque natura, ut quum binae substantiae finitae, e. g. in homine anima et corpus componuntur, sed a solo assumente, ita ut servata duplicis naturae distinctione unica sit persona, videlicet divina assumentis. [1])

---

et extendatur etiam ad supernaturalem existendi modum. — Ecclesia quidem merito censuit, notiones naturae et hypostasis analogice a creatis ad divina transferri, simul vero judicavit, in definitione absoluta hypostasis et naturae ea prae oculis habenda esse, quae de divinis nos revelatio docet. Si quis enim sibi vindicat notionem absolutam et universalem naturae et personae unice ex philosophia constituendam, et juxta conceptus ita constitutos ea exigit, quae de divinis statuenda sunt, in perniciosissimos incidet errores.

[1]) »Quia, inquit s. Thomas, persona, hypostasis, et suppositum, designant aliquid integrum, si divina natura in Christo esset ut pars et non ut aliquid integrum, sicut anima in compositione hominis, una persona Christi non se teneret tantum ex parte naturae divinae, sed esset quoddam constitutum ex tribus, sicut et in homine persona, hypostasis et suppositum est quod ex anima et corpore constituitur. Sed quia divina natura est aliquid integrum, quod sibi assumpsit per quamdam ineffabilem unionem humanam naturam, persona se tenet ex parte divinae naturae, et similiter hypostasis et suppositum; anima vero et corpus trahuntur ad personalitatem personae divinae, ut sit una et eadem persona Filii Dei, sicut etiam persona filii hominis et hypostasis et suppositum. Potest autem hujusmodi exem-

Schola Güntheri.

140. Manifestum est iis quae exposuimus, omnem naturae et hypostasis definitionem, qua dogma catholicum de Trinitatis et Incarnationis mysterio laeditur, esse falsam et rejiciendam. Unde in maximos errores illi scholae Güntherianae philosophi inciderunt eo, quod statuebant, subjectum in se subsistens seu personam formaliter constitui *conscientia sui*, vel etiam *dignitate naturae intellectualis*. Sequebatur videlicet ex hac sententia, in Christo, quum tum humanitas ejus tum divinitas esset natura intellectualis et conscia sui, etiam adesse duo subjecta in se subsistentia, seu duas numero personas. Nec ipsi hoc negarunt, sed praetenderunt, dogmati catholico id non opponi. At fidem Ecclesiae tali opinione maxime laedi, jam ostendimus. — Facile etiam vides, controversiam cum illis non esse tantum de vocibus, quatenus verbis aliam significationem subjecerint, sed de ipsa re; duo enim *subjecta subsistentia* in Christo esse, docuerunt. Sententias suas illi viri, ut justificarent, contenderunt, Ecclesiam a philosophis accepisse notiones imperfectas et incompletas personae ac naturae, adeoque etiam ipsum dogma non in sua integritate et perfectione propositum fuisse; modo autem, accurato et vero personae conceptu constituto, dogma quoque accuratius et perfectius exponendum esse. Sed multum abest, ut ipsi dogma tantum evolvant et accuratius determinent. Etenim id quod constitutum est et definitum, in Christo videlicet esse unum numero subjectum in se subsistens, seu unam personam, ut falsum proclamant, et errores verae doctrinae substituunt. — Dein falsum est, Ecclesiam notiones incompletas et minus accuratas personae et naturae

---

plum aliquale in creaturis inveniri. Subjectum enim et accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquod tertium constituatur; unde subjectum in tali unione non se habet ut pars, sed ut integrum quoddam, quod est persona, hypostasis et suppositum. Accidens autem trahitur ad personalitatem subjecti, ut sit persona eadem hominis et albi... Sic igitur secundum similitudinem quamdam persona, hypostasis et suppositum humanae naturae in Christo.« (Compend. theol c. 211.)

suscepisse, et sic ipsam doctrinam esse obscuram. Nam Pastores et Doctores Ecclesiae ex verbo revelato imprimis declaraverunt, unum et eumdem, Deum-Verbum, esse et Deum et hominem, vera divinitate et vera humanitate. Ad hoc deinde dogma definitum exprimendum sumpserunt nomina unius personae et duarum naturarum, sed ita, ut significationem, quam apud philosophos illae voces habebant, secundum dogma revelatum expolirent, complerent et determinarent. Atque hac ratione etiam *sensum* dogmatis de duplici natura et una persona in Christo, accurate declaraverunt, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiae specie et nomine recedere licet. [1])

Distinctio inter naturam et hypostasim.

141. His postremo pauca addimus de *ratione distinctionis inter naturam et hypostasim.* Quum enim ex dictis

---

[1]) Praeclare Concilium Vaticanum in Constitutione dogmatica *de fide catholica:* »Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita fideliter custodienda et infalibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum.« Cap. IV. De fide. — Et: »Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.« De fide et ratione can. 3. — Vide de his fusius Franzelin S. J. De Verbo Incarn. Thesis XXIV. et sqq. — Quantum doctrina scholae Güntherianae Nestorianismo affinis sit, ex dictis colliditur, et ex facto quodam l. c. apud Franzelin commemorato plane patet. Theologus videlicet illius scholae prae caeteris famigeratus (Baltzer), ut sententiam suam plane orthodoxam esse probaret, scriptis suis (Novae epistolae theologicae ad Antonium Günther. p. 162.), citavit symbolum quoddam saeculi V, cum quo doctrinam suam plane convenire ostendit. Sed miro errore lapsus selegit symbolum Theodori Mopsuesteni, quod Charisius obtulit synodo Ephesinae, quodque erroribus Nestorianis plenum ab illo Concilio damnatum est. Existimavit vir eruditus singulari quadam hallucinatione, illud symbolum esse catholicum; error tamen ejus id habuit utilitatis, ut ex eo plane evidens fieret, doctrinas ipsius cum antiquis illis erroribus apprime convenire.

constet, non idem esse naturam atque hypostasim, controvertitur inter theologos, utrum distinctio inter naturam et hypostasim sit *realis*, an tantum *rationis*, i. e. utrum, si naturam subsistentem seu personam consideres, a natura hac singulari ipsa persona propter realitatem aliquam additam, an ratione tantum et conceptu distinguatur. Non pauci igitur cum Suaresio [1]) existimant, hypostasim a natura singulari realiter distingui; subsistentiam scilicet seu personalitatem esse modum substantialem et intrinsecum naturae superadditum, quo fiat, ut substantia sit in se seorsim, et non in alio ut pars, vel communis natura. — Alii vero cum Claudio Tiphano [2]) tenent, sola ratione conceptuque mentis hypostasim et naturam differre. Atque haec sententia nobis tum ex ratione et auctoritate magis probari, tum facilius intelligi videtur. Personalitas videlicet non addit naturae existenti aliquam novam realitatem, sed statum solummodo quemdam seu modum existendi. Et quum suppositum seu naturam in se subsistentem consideras, conceptus naturae praescindit ab integritatis et proprietatis seu totalitatis conceptu; conceptus autem suppositi hunc continet. Ut hoc illustretur adverte, generatim loquendo unam eamdemque substantiam posse esse suppositum, et non esse. Erit suppositum, si seorsum ac per se cohaereat; non erit, si tanquam pars alteri uniatur. Hinc substantiae quaedam cessant esse supposita sola additione. Sic binae aquae guttae, quae duo supposita sunt, si conjungantur, quin alterutri aliquod accidens reale dematur, unum constituunt suppositum. Ex eadem ratione sola divisione ex uno supposito plura fiunt, dummodo quae divisa sunt ordinem ad aliud non habeant. Sic tabula marmorea in duas partes dissecta, in duo dividitur supposita, non quia alterutri modus quidam substantialis intrinsecus ac-

---

[1]) Suarez, Metaph. disp. 34.

[2]) Scripsit C. Tiphanus S. J. hac de re opus classicum, cui titulus est: Declaratio ac defensio scholastica doctrinae ss. Patrum Doctorisque Angelici de hypostasi et persona.

crescit, sed quia, ut ait s. Thomas, *separatio dat utrique partium totalitatem.*[1]) Est tamen hic status totalitatis et in se subsistendi, qui facit substantiam in suo genere maxime perfectam, et sic esse hypostasim praesertim vero personam, est vera perfectio.[2])

Difficultates.

142. Quod ad difficultates attinet, quae ex Scripturis et Patribus contra doctrinam de una in Christo persona ac de unione hypostatica afferuntur, paucis dissolvi possunt. Ex sacris Litteris objiciuntur quaedam effata, quibus humanitas Christi dicitur e. g. *templum*[3]) ac *tabernaculum.*[4]) Sed nemo est qui non videt, ejusmodi locutiones figuratas esse, et cum perspicua doctrina de unitate personae Christi optime componi. Etiam corpus nostrum tum in Scripturis, tum usu loquendi communi, relate ad animam domus et tabernaculum interdum appellatur. Qui vero inde inferret, moralem tantummodo esse unionem inter corpus et animam, turpiter erraret.

Ex s. Scriptura.

143. Ex ss. Patribus pariter quaedam afferuntur effata, quibus dicunt, Verbum *assumpsisse hominem*, Christum nominant *hominem deificum, dominicum, deificatum*, et ejus humanitatem *instrumentum*, *organum*, *templum*, *vestem* divinitatis. At ss. Patrum doctrina de una Christi persona ac de hypostatica unione omnino manifesta est; nec aliud illis verbis exprimere voluerunt, nisi hypostaticam unionem Verbi et humanae naturae factam esse, et Verbum uti humana natura ab ipso per hypostaticam hanc unionem assumpta. Ante Nestorii haeresim usus loquendi non tam

Ex Patribus.

---

[1]) In 3 Sent. d. 5. q. 3. a. 3. ad 3.

[2]) Cfr. de his Tongiorgi Inst. ph. Ontol. n. 165 et sqq.

[3]) »Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.« Jo. 2. 19.

[4]) »Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.« Hebr. 9. 11. *Tabernaculi* voce hoc loco humanitatem vel corpus Christi significari, multi existimant. Cfr. Estium in h. l.

determinatus erat, nec proinde tanta sollicitudine vigilabant ss. Patres, ne qua uterentur expressione, quam in falsum quis sensum trahere posset. Si igitur effatum aliquod minus castigatum videtur, inde nihil contra Patrum doctrinam inferri potest, sed ea tantum quaestio agitari, an talis expressio apta sit nec ne. Exemplum ejusmodi haesitationis habes in s. Augustino, qui quum dixisset Christum *hominem dominicum,* postea agnovit, minus apte ejusmodi verbum adhiberi. *Sed non video,* scribit, *utrum recte dicatur homo dominicus, qui est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, quum sit utique Dominus: dominicus autem homo quis in ejus sancta familia non potest dici? Et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi tractatores catholicos divinorum eloquiorum. Sed ubique hoc dixi, dixisse me nollem; postea quippe vidi, non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi.* [1])

Hoc loco etiam notandum est, voce hypostaseos (ὑπόστασις) interdum ab antiquis intelligi simpliciter substantiam. Significatio ad exprimendam nonnisi personam in se subsistentem posterius determinata fuit, ut omne erroris periculum averteretur. In ipsis s. Cyrilli anathematismis, in quibus tam luculenter unitas ontologica Christi asseritur, invenimus verbum hypostaseos ita quoque adhibitum, ut simpliciter substantiae seu naturae exprimantur. Legimus enim anathematismo secundo: *Si quis in uno Christo dividit substantias (ὑποτασεις) post unitionem, sola eas connexione conjungens, quae secundum dignitatem fit, vel etiam auctoritatem et potestatem, ac non potius conventu qui per unitatem factus est naturalem, anathema sit.* Vox ὑποστασεις significat hoc loco substantias seu naturas, quae dicuntur in uno Christo unitae conventu qui per unitatem fit naturalem, ut unitas ontologica Christi sic statuatur.

Ex ratione. 144. Ea quae ex ratione objici solent solventur facili

[1]) Retract. l. 1. c. 19, n. 8,

negotio, dummodo notiones personae ac naturae bene intelligantur. Ex variis objectionibus unam seligimus. Personalitas seu substantia, inquiunt, est vera perfectio. Itaque si Christus humanam naturam integram et perfectam assumpsit, eamdem et subsistere seu personam esse oportebat; secus enim hujus naturae dignitati ac perfectioni aliquid defuisset. — Respondemus, subsistentiam seu totalitatem in se non esse ulteriorem gradum realitatis seu perfectionis quoad ipsam *entitatem* alicujus naturae, et hanc, etiam si non in se subsistat, complete omnia quae ad eam pertinent habere. Sic igitur humana natura in Christo perfectissimo modo omnia ea habebat, quae ad rationem naturae humanae pertinent. Est tamen personalitas seu subsistentia in se gradus perfectior quoad *modum* existendi, seu quoad *statum* alicujus substantiae; sed pro naturis finitis *non simpliciter*, at *quadamtenus* tantum ille status existendi perfectior est. Videlicet perfectius est pro substantia aliqua existere in se, quam esse partem alicujus substantiae *ejusdem ordinis*. Sed si agitur de assumptione naturae finitae humanae a persona divina, ita ut ipsa personalitate Verbi subsistat, infinite nobilior ac perfectior est talis subsistentia pro ejusmodi natura, quam esset propria subsistentia. Et quidquid perfectionis et dignitatis in subsistentia naturae finitae in se invenitur, etiam continetur, non quidem formaliter sed eminentissimo modo, in ejus subsistentia in persona divina. Praeclare ad rem s. Thomas: *Personalitas*, inquit, *in tantum pertinet ad dignitatem alicujus rei et perfectionem, in quantum ad dignitatem et perfectionem ejus pertinet, quod per se existat; quod in nomine personae intelligitur. Dignius autem est alicui, quod existat in aliquo se digniori, quam quod existat per se. Et ideo ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo, quam in nobis, quod in nobis quasi per se existens propriam personalitatem habet, in Christo autem existit in persona Verbi; sicut etiam esse completivum speciei pertinet ad dignitatem formae, tamen sensitivum nobilius est in homine propter conjunctionem ad nobilio-*

rem formam completivam, quam sit in bruto animali, in quo est forma completiva. [1])

Principia quaedam.

145. Corollarium. — Ex iis quae de notione hypostasis exposuimus, facile intelliguntur quaedam principia de hypostaseos proprietatibus, quae a philosophis quidem fusius evolvi solent, nobis autem breviter innuenda sunt, eo quod in hoc Tractatu usuvenient. Itaque: *a/* Esse convenit hypostasi primo ac per se, quia totum est id, quod est; partes vero sunt id, quo aliquid est. Est quidem et partibus suum esse, sed ordinatum ad esse totius, quod etiam de natura suppositi dicendum. *Esse*, ait s. Thomas, *pertinet et ad naturam et ad hypostasim: ad hypostasim quidem sicut ad id, quod habet esse: ad naturam autem sicut ad id, quo aliquid habet esse.*[2]) — *b/* Hypostasis igitur habet naturam, et quidquid naturae inest sive necessario sive contingenter. Id enim in ente caetera habet, quod dignissimum est et praestantissimum in composito; reliqua habentur. Jamvero totum est dignius partibus; totum ergo habet, partes habentur. Hypostasis autem est totum; ergo. — Sic dicimus, hominem habere naturam humanam, animam, corpus, facultates, scientiam, haec autem haberi ab homine. — *c/* Hypostasis est sui juris, non alteri addicta, nec res alterius. Hoc enim est proprium partis, quae non sibi est, sed toti, non sua est, sed totius. [3]) — Hypostasis etiam est *id quod agit.* Ejus enim est agere, cujus est esse; esse autem est proprie totius. Pars vel natura non est id quod agit, sed *id quo* hypostasis agit. *d/* Hinc fluit receptissimum axioma: *Actiones sunt suppositorum.* Quia videlicet suppositum est principium quod agit, natura vero, quae est suppositi, principium quo actiones fiunt, actiones suppositorum esse dicuntur. Hinc actiones suppo-

---

[1]) S. th. p. 3. q. 2. a 12. ad 2.

[2]) S. th. p. 1. q. 17. a. 2.

[3]) Quomodo persona sit *subjectum juris*, habes expositum superius n. 137.

sitis imputantur ab iisque denominantur, adeoque homini tribuuntur actiones mentis et manus, et Deo Verbo actiones humanae naturae Christi. [1])

Articulus III.

DE BEATA VIRGINE VERE DEI GENITRICE.

Veritas haec tessera fidei.

146. Quemadmodum contra Arianorum de sanctissima Trinitate errorem catholici orthodoxae fidei doctrinam colligebant in professione, *consubstantiale* (ὁμοουσιον) Verbum esse Patri, sic contra Nestorii errorem a Patribus et a populo catholico tessera verae fidei constituta fuit in professione, B. Virginem vere et proprie esse *Dei Genitricem* (θεοτοκον). Ipse Nestorius haeresim suam primum manifestavit eo, quod publico sermone populum monuit, Mariam non esse dicendam Dei Genitricem. Tali autem assertione fideles, qui inde haereticum hominem illico dignoverunt, vehementissime in se excitavit. Sed etiam ipsa veritas catholica qua statuitur, unum esse ontologice Christum, Verbum videlicet incarnatum, personam secundam divinam quae per generationem ex matre suam fecit humanam naturam, veluti compendio exprimitur, dum profitemur, B. Virginem vere et proprie Dei Genitricem esse. *Dei* videlicet Genitrix est, quia persona genita est Verbum; *genitrix* autem dici vere et proprie non posset, nisi in unitatem personae Verbum sibi univisset humanam naturam materna generatione ex Maria derivatam.

Nestorii doctrina.

147. Nestorius docebat, B. Virginem genuisse personam humanam, cui fuerit Verbum morali conjunctione unitum, adeoque eam non nisi genitricem hominis (*ανθρωποτοκον*) esse. Recte etiam s. Mariam dici Christi genitricem (*Χριστοτοκον*), quum homo Jesus quatenus est cum Verbo inhabitante unitus dicatur et sit Christus. Sed Mariam Dei Genitricem esse, initio omnino negavit; dein vero

---

[1]) Vide haec. ap. Tongiorgi, Inst. phil. Ontol. n° 168.

subdole id dici permisit, sed sensu plane improprio, quatenus Maria genuerit hominem, cui inhabitatione tanquam templo Verbum conjunctum erat. Ei opposuerunt Patres Concilii Ephesini doctrinam ac fidem catholicam, qua B. Virginem Mariam veraciter et proprie Dei Genitricem esse profitemur. Hoc Ecclesiae dogma jam breviter vindicabimus.

Propositio.

148. Propositio. — *Fidei veritas est atque Ecclesiae dogma solemne, Beatam Virginem Mariam proprie et veraciter esse Dei Genitricem.*

Praenotanda.

Praenotanda. — Rationem ex natura rei desumptam, propter quam B. Virgo Maria Dei Genitrix est, infra fusius evolvemus; primum enim ex Scriptura et Traditione veritas haec demonstranda est. Attamen ut notio clara dogmatis concipiatur, animadverti haec possunt ad propositionis declarationem. B. Virginem esse Dei Genitricem, manifeste non id sibi vult, eam communicasse Verbo generatione divinam naturam. Sed significat, Virginem e sua substantia, supernaturaliter, operante Spiritu sancto, communicasse naturam humanam hypostasi divinae. Atque ita is, qui est Deus Verbum subsistens in humana natura, non quidem secundum suam naturam divinam, sed secundum suam naturam humanam et quatenus homo est, vitali subministratione materna in similitudinem naturae ac matri consubstantialis est productus. Hinc B. Virgo etiam *veraciter* genuit, quum quod ad generationem maternam pertinet praestitum sit ab ea; ac *proprie* Deum genuit, quia terminus productus est ipse Deus Verbum in humana natura, non vero persona humana, quae propter inhabitationem Verbi improprie Deus nominaretur.

Explicatio.

S. Scriptura.

149. Demonstratio. — In *sacris Scripturis* imprimis ea continentur, quae B. Virginem Dei Genitricem esse atque ita appellari debere, omnino demonstrant. Ex iis enim discimus, unum eumdemque esse, qui ab aeterno genitus fuit ex Patre, et qui in tempore aliam subiit generationem ex matre. Sic idem qui est Filius Dei est ille, *qui factus*

est ei ex semine David secundum carnem,[1]) ac Deus *misit Filium suum factum* (*γεννώμενον* generatum) *ex muliere, factum sub lege*[2]). Qui vero ab aeterno genitus fuit a Patre, est Deus Verbum; idem igitur in tempore genitus est ex matre, adeoque vere et proprie B. Maria Dei est Genitrix et Mater. Hinc etiam Angelus Incarnationem B. Virgini annuntiat illis verbis: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur ... Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.*[3]) Juxta usum s. Scripturae et ex contextu patet, verbo *vocari* hic exprimi, quid ille sit, qui nasciturus erat, cujusque B. Maria Genitrix foret. Est autem *Filius Altissimi, Filius Dei,* adeoque Deus. Ergo etiam Dei Genitrix est Maria. — Unde et Elisabeth repleta Spiritu sancto, quum visitaretur a B. Virgine, eam salutat illis verbis: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*[4]) Matrem *Domini* igitur Elisabeth mota a Spiritu sancto Mariam appellat, quod perinde est ac matrem Dei. Dominum enim dicit benedictum illum fructum ventris virginei, quia Deus erat.

Traditio.

150. Ut jam *de Traditione* loquamur, manifestum imprimis est, in symbolis ipsum Filium Dei, ipsum Deum Verbum, dici genitum ac natum ex Maria Virgine. Credimus enim juxta symbolum Apostolicum *in Jesum Christum, Filium ejus* (Dei Patris) *unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Et in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano profitemur fidem in *unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero* etc. Idem vero dicitur *incarnatus de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus.* Profitemur proinde, ipsum Verbum, secundam divinam personam, ex Maria genitum esse, adeoque Mariam esse Dei Genitricem. — Sym-

---

[1]) Rom. 1, 3. [2]) Gal. 4, 4. [3]) Luc. 1, 31. sqq.
[4]) Ibid. 1, 43.

bolo fidei consona sunt antiquissimorum Patrum effata, quibus ipsum Verbum secundam generationem ex Maria subiisse testantur. *Deus noster*, scribit s. Ignatius M., *Jesus Christus, parturiebatur a Maria, ex semine David, Spiritu autem sancto, ... qui generatus est et baptizatus.*[1] Vides, Deum ipsum genitum dici et natum. S. Irenaeus frequenter de generatione Dei Verbi ex Virgine loquitur. *Quoniam*, scribit e g., *praeclaram praeter omnes habuit in se eam, quae est ab altissimo Patre genituram, praeclara autem functus est et ea, quae est ex Virgine generatione, utraque de eo Scripturae divinae testificantur: et quoniam homo indecorus et passibilis, ... et quoniam Dominus sanctus, mirabilis, consiliarius et decorus specie, et Deus fortis.*[2] Eadem igitur persona divina, quae ab aeterno genita est ex Patre, Deus Verbum, genita etiam est in tempore ex Virgine matre, et sic unus et idem Deus est atque homo. S. Athanasius pariter: *Qui existit,* inquit, *ante saecula Deus, ex Nazaretho homo conspectus est genitus ex Maria Virgine et Spiritu sancto*[3] Manifestum igitur est, inde ab initio eam fuisse Ecclesiae doctrinam, Divinum Verbum praeter aeternam ex Patre generationem, qua divinitate communicata Deus est, nova in tempore generatione functum hominis substantiam et nomen ex matre femina sumpsisse. Hoc autem omnino est, B. Virginem esse Dei Genitricem.

151. Ex quo apparet, hanc doctrinam, etiam si nomen *Dei Genitricis* non semper in usu fuisset, indubiam esse. Sed ipsum quoque nomen jam ante Nestorii tempora in tota Ecclesia erat frequentatum, et a Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis adhibitum. Id non solum urget contra Nestorium s. Cyrillus, sed etiam Joannes Antiochenus Nestorii amicus et fautor eum hortatur, ut *deposita contentione illud nomen* (*θεοτοκον*) *impugnare desinat, quod*

---

[1]) Ep. ad Ephes. n⁰ 7.

[2]) C. haer. l. 3. c. 13. n⁰ 6.

[3]) Libro de salutari adventu Christi.

a permultis Patribus compositum, scriptum et pronuntiatum est. Tum ita pergit: *Hoc enim nomen nemo Doctorum ecclesiasticorum repudiavit. Nam et plures eo usi sunt iique celebres, et qui usi non sunt utentes non reprehenderunt.* [1]) Sic etiam Theodoretus, qui initio pariter amicus Nestorii erat, scribit, *antiquissimos catholicae fidei praecones ex Apostolica traditione docuisse, matrem Domini nominandam credendamque esse Dei genitricem* (*θεοτοκον*). [2]) Julianus Apostata blasphemans Christum Deum non esse, id ipsum teste s. Cyrillo christianis exprobrabat, *quod Mariam θεοτοκον appellare non cessarent* [3]); et quantopere omnes Constantinopoli fideles commoti fuerint, quando Nestorius patriarcha illud nomen adhiberi prohibuit, superius jam animadvertimus. — Ex antiquis Patribus nominatim citari possunt, Origenes, Dionysius Alexandrinus, Athanasius, Eusebius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, qui hanc appellationem frequentarunt. [4]) Dionysius Alexandrinus, ut unum saltem testimonium afferamus, contra Paulum Samosatenum scribit: *Una sola virgo filia vitae genuit vivens Verbum et subsistens ... Quomodo ais tu, hominem esse eximium Christum et non revera Deum, et ab omni creatura cum Patre et Spiritu sancto adorandum, incarnatum ex s. Virgine et Deipara Maria?* [5])

152. Ecclesia dein solemniter contra impiam Nestorii haeresim hanc appellationem B. Virgini vindicavit. Concilium videlicet Ephesinum definivit can. 1: *Si quis non confitetur, Emmanuelem vere Deum esse, et ob id s. Virginem Deiparam, (genuit enim illa incarnatum Patris Verbum secundum carnem), anathema sit.* Hoc decretum synodale incredibili fidelium applausu et gratulatione exceptum est. — Concilium CPtanum II, generale V, can. 6.

---

[1]) Joann. Ant. in Ephes. Synodo. [2]) De haer. Nestor. l. 4. c. 12.

[3]) »Atqui vos, inquit, Mariam non cessatis vocare Θεοτοκον, id est Dei genitricem.« Lib. 8. c. Julian.

[4]) Cfr. Petav. de Incarn. l. 5. c. 15. n. 9.

[5]) In epistola synodica.

dicit: *Si quis abusive et non vere Dei Genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, vel secundum relationem* (*κατα σχεσιν*), *quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo incarnato et nato ex ipsa, anathema sit.* Et Concilium Nicaenum II action. 7. ait: *Confitemur autem et Dominam nostram sanctam Mariam proprie et veraciter Dei genitricem, quoniam peperit carne unum ex sancta Trinitate, Christum Deum nostrum.*

Veritatis explicatio. 153. Ut postremo melius intelligatur, quare B. Virgo vere Genitrix Dei sit, jam paucis *rationem* hujus veritatis exponamus. In generatione itaque distinguendus est terminus *completus* et integer generationis, ac terminus *formalis.* Terminus *completus* est ille, seu illa hypostasis, quae generatur; terminus autem *formalis,* seu id quo persona generatur, est natura, quatenus communicatur a generante in personam, quae hac ipsa communicatione generatur.[1]) Non requiritur autem ad generationem e. g. humanam, ut totum id, ex quo natura humana constat, ex substantia generantis derivetur, sed ut sit talis derivatio, ex qua secundum legem a Deo institutam oriatur natura humana. In generatione igitur humana terminus completus generationis est filius qui generatur, terminus formalis natura humana, quae derivari recte dicitur ex parentibus, quamvis ex iis sit tantum corpus, cui anima a Deo creatione infunditur. Natura autem illa singularis humana si sibi permittitur, eo ipso habet rationem totius, et est persona.

In generatione vero Christi Domini ex Virgine, terminus completus qui generatur est Deus Verbum in humana natura; terminus formalis est humana natura, Verbo ministratione materna ex matris substantia communicata. Profecto Verbum in hac generatione non simpliciter producitur, est enim aeternum; sed Filius Dei praeexistens in

[1]) Terminus completus ac integer est hypostasis et non natura, quia hypostasi convenit esse primo ac per se, ipsa est totum, ac natura ordinatur ad eam. Cfr. n⁰ 145.

divina natura, subit secundam generationem et nativitatem in altera natura. Per hanc generationem natura humana fit ejus propria; et ita materna generatione Virginis non fit quidem, ut haec hypostasis, Deus Verbum, simpliciter existat, sed ut eadem sit homo. Terminus formalis in generatione virginea est sicut in aliis generationibus natura humana propagata ex matre, quae hic ordinata est, ut inde a primo instante existentiae suae assumatur a Verbo; terminus autem completus est Deus Verbum in humana natura. Sicut igitur Verbum vere et proprie factum est homo, sic etiam Maria vere et proprie est Dei Genitrix.

154. Haec si prae oculis habentur, objectiones Nestorii facile solvuntur. Ad hoc illae objectiones reduci possunt. Maria non genuit Divinitatem ipsi priorem atque aeternam, sed genuit hominem. Proinde ipsa non Dei Genitrix, sed mater hominis, vel ad summum mater Christi dicenda est. — Respondetur ad hoc: Certe Maria non produxit nec Verbo communicavit divinitatem, neque Verbum ita produxit, ut primum existere inciperet. Sed Maria Virgo dedit Verbo divino, hypostasi praeexistenti in forma Dei, ut ex sua substantia verissima generatione pariter in forma servi seu humana natura existeret. Ipsa proinde Verbum divinum non quidem simpliciter, sed in humana natura vere genuit, adeoque vere Genitrix Dei est. Genitum ab ea fuisse hominem, falsum est, si intelligitur genita persona humana, uti intellexit Nestorius; quatenus vero Verbum divinum ac persona divina in assumpta humana natura homo quoque est ac dicitur, etiam Maria genitrix hominis dici posset. Cavendum tamen est, ne talis expressio intelligatur in oppositione ad doctrinam, a Maria Deum genitum esse. Christi genitrix pariter per se recte dicitur B. Virgo, quum Christus sit ipsum Verbum divinum in humana natura assumpta; Nestorius autem, uti vidimus, falso sensu hac appellatione utebatur.

Scholion.

Scholion. — 155. Maternitas divina constituit veluti centrum ac plenitudinem summae excellentiae B. Virginis

Mariae; eademque est ratio intima totius abundantiae gratiarum et gloriae, quibus ipsa a Deo donata est. Dignitas haec matris Dei potest imprimis *in se* considerari, seu in sua *formali et ontologica ratione,* ut est *maternitas divina.* Sic spectata in eo consistit, quod operante Spiritu sancto pars substantiae virgineae Matris generatione derivata est, ut fieret natura hypostatice unita et propria Dei Verbi. Inde adest affinitas intima et physica B. Virginis cum Christo, Deo-homine, plane sicuti quivis filius intimam affinitatem physicam habet cum propria matre. In suo genere, hoc est sub ratione maternitatis, haec dignitas est infinita. Dignitas enim matris formaliter ut mater est, pendet a dignitate filii. Jam vero Filius B. Virginis est ipse Deus summus; ergo sub respectu formali maternitatis dignitas Mariae est infinita. *Humanitas Christi,* ait Angelicus Doctor, *ex hoc quod est unita Deo, et beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei, et beata Virgo, ex hoc quod est mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito quod est Deus; et ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid esse melius Deo.* [1]) — Cohaeret cum hac intima conjunctione cum Filio, ut relatio specialis etiam adsit quoad Deum Patrem, qui Verbum ab aeterno genuit, et quoad Spiritum sanctum, cui per appropriationem incarnatio attribuitur, utque B. Virgo sit mediatrix nostra, atque angelorum, coeli, ac terrae regina.

Dignitas Matris Dei.

156. Secundo autem maternitas ista divina spectari potest relate ad sanctificationem cum ipsa conjunctam. Maternitas videlicet in se est potius donum gratis datum in ordine ontologico; sed cum ea nexa est summa copia gratiarum in ordine sanctificationis et glorificationis, quibus B. Virgo, ut digna mater Dei, super omnes puras creaturas ornata est. Ex electione ejus aeterna in matrem Dei fluit proportionata huic dignitati gratiae et

---

[1]) S. th. p. 1. q. 25. a. 6. ad. 4.

gloriae amplitudo, immaculata ipsius conceptio, et abundantia supereffluens reliquarum gratiarum, cum quibus cooperans et thesaurum ineffabilem meritorum et glorificationem incomprehensibilem mater Dei consecuta est. Sic patet, maternitatem divinam radicem, fundamentum, centrum ac plenitudinem esse excellentiae et gloriae B. Mariae super omnes creaturas puras.

Articulus IV.

DE ADOPTIANISMO.

Erroris indoles.

157. Quum haeresi Nestorii plane affinis sit Adoptianorum error, quo doctrina Ecclesiae de una Christi persona pariter evertitur, opportune etiam hunc errorem hoc loco refutabimus. Quid docuerint Felix et Elipandus superius jam indicavimus; statuebant, Christum hominem non esse Filium naturalem Dei sed adoptivum, Verbum vero esse Filium Dei naturalem. — Nomine Christi hominis certe exprimitur persona Christi, quamvis designata ex natura humana assumpta; [1]) Verbum pariter designat secundam personam divinam. Quum proinde statuerent, Verbum esse Filium Dei naturalem, Christum hominem vero nullatenus, sed Filium Dei adoptivum, eo ipso sequebatur, non eamdem esse personam Verbi et personam Christi hominis; proinde duas personas et duos filios esse. Sic ex Adoptianorum errore sequebatur Nestoriana haeresis, quamvis Adoptiani non expresse duas personas et duos filios in Christo assererent. Refutatio hujus haeresis iisdem fere argumentis fieri potest, quibus Nestorianismus refellitur; simul vero dum positive dogma catholicum vindicabimus, plura venient explicanda, quibus distinctius in-

---

[1]) »Hoc nomen *homo*, ait s. Thomas, significat humanam naturam, prout nata est in supposito esse, quia ut dicit Damascenus l. 3. orth. fidei c. 4. et 11, sicut hoc nomen *Deus* significat eum, qui habet divinam naturam, ita hoc nomen *homo* significat eum, qui habet naturam humanam.« S. th. q. 41. a. 2.

telligetur, quomodo etiam cum natura humana Christus sit naturalis Filius Dei.

Propositio.

158. Propositio. — *Doctrina est Scripturarum, Symbolorum, Patrum et Conciliorum auctoritati innixa, Christum hominem, seu Christum ut hic homo est, esse Filium Dei naturalem.*

Praenotanda.

Praenotanda. — Dum dicimus Christum hominem, seu *Christum ut hic homo est*, esse Filium Dei naturalem, illo addito explicativo clare exprimimus, sermonem esse de supposito et persona hac subsistente in humana natura. Designatur videlicet haec hypostasis etiam in humana natura, hic habens naturam humanam adeoque hic homo ut subjectum, cui convenit praedicatum *Filius Dei naturalis.* Sed nullatenus dicimus, rationem, cur hoc praedicatum Christo homini conveniat, sitam esse in humana natura assumpta. Propositio igitur: Christus homo, seu Christus ut hic homo, est Filius Deus naturalis, debet sumi in sensu *specificativo,* non in sensu *reduplicativo formali.* [1]) — Ex his facile intelligitur, quo sensu verae, et quo sensu falsae sint, propositiones quaedam per se ambiguae, quibus non rite intellectis confusio notionum necessario oritur. Propositiones ejusmodi sunt: *Christus quatenus homo, est Filius Dei naturalis*; *Christus in quantum homo, est Filius Dei naturalis; Christus secundum humanitatem est Filius Dei naturalis.* Si ejusmodi propositiones sumuntur sensu reduplicativo formali naturae humanae, ita ut intelligatur in iis asseri, rationem, cur Christus sit Filius Dei natura-

Expositio quarumdam propositionum.

---

[1]) Specificativae et reduplicativae propositiones in eo conveniunt, quod continent aliquam particulam geminantem, ut est e. g. quatenus, secundum quod etc., quae particulae geminantes dicuntur, quia subjectum propositionis replicant, ut in hoc exemplo: Homo, quatenus intelligens, est liber. Hoc autem inter se differunt, quod reduplicativa notat in subjecto id quod est causa praedicati, ut in allato exemplo videre est. Specificativa autem notat solum, subjectum sub certo quodam respectu considerari, et sic considerato praedicatum attribui, quamvis ratio, cur conveniat praedicatum, non ex illo respectu desumatur.

lis, esse in ipsa natura humana assumpta, falsae sunt. Sin autem sumuntur simpliciter sensu specificativo, ut iisdem tantum exprimatur, Christum, etiam in quantum vel quatenus est haec hypostasis, hic unus subsistens, in humana quoque natura, esse Filium Dei naturalem, verae sunt. Et hoc sensu frequenter adhibentur hae propositiones, dum de errore Nestorii et Adoptianorum agitur. Clarius autem doctrina catholica proponitur eo modo loquendi quo usi sumus, videlicet *Christus*, *etiam ut hic homo est, Filius est Dei naturalis.* Patet enim statim ob particulam demonstrativam (ut *hic* homo), asseri, *personam* Christi etiam in humana natura assumpta, Filium Dei naturalem esse.

159. Demonstratio. — Christum, ut hic homo est, Filium Dei naturalem esse, ex multis *sacrae Scripturae* testimoniis facili negotio ostenditur. Sic s. Paulus ad Romanos scribit: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit* [1]. Apostolus hic illum, qui traditus est in passionem et mortem, videlicet Christum ut est hic homo in humana natura, Filium Dei *proprium* appellat. At filius proprius non est adoptivus, sed naturalis. — *Verbum,* ait s. Joannes, *caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* [2] Ille, cujus gloriam vidimus, est Verbum caro factum quod habitavit in nobis, hic homo Jesus Christus, Salvator noster. Idem vero dicitur *unigenitus* Patris, quo effato certe non filius adoptivus, sed proprius significatur. — Apostolus vero ad Hebraeos: *Novissime,* scribit, *diebus istis, locutus est nobis* (Deus) *in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula, qui quum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem*

S. Scriptura.

---

1) Rom. 8, 31. 32. 2) Jo. 1, 14.

peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis. [1]. Hoc loco Apostolus Jesum in humana natura sua, qui Evangelium mundo annuntiavit, dicit Filium Dei, simulque ea ipsi tribuit, quae tantum Filio naturali conveniunt. [2]) Ipse igitur Jesus, seu Christus ut hic homo, est Filius Dei naturalis. — Itaque generatim, quemadmodum etiam Adrianus P. et Patres Francofurdienses contra Adoptianos argumentantur: Non modo Verbum secundum divinam tantum naturam spectatum, sed Verbum etiam secundum humanam naturam assumptam spectatum, seu hic homo Christus dicitur in Scriptura proprius et naturalis Dei Filius.

Traditio. 160. Luculenter dein *Symbola* fidem proponunt in *Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, Dominum nostrum, qui natus est ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato etc.* Ergo ipse Jesus, hic homo Christus, est Filius Dei unigenitus et naturalis. — Patres vero tum ante Nestorii haeresim, tum postea idem docuerunt. Praedicant enim, uti superius jam vidimus, constanter eam doctrinam, unam esse Christi personam, unum eumdemque Dei et hominis Filium esse Jesum Christum; hanc vero unam personam, sive consideretur ante incarnationen, sive spectetur in carne, proprium esse ac naturalem Filium Dei. Ex variis eorum testimoniis superius citatis id jam satis patet; hinc pauca adjungere sufficit. S. Hilarius de Christo incarnato jam morituro ait: *Hic et verus et proprius est Filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione* [3]. S. Augustinus loquens de Christo Domino baptizato a Joanne: *Perhibuit,* inquit, *Joannes testimonium, quia vidit. Quale testimonium perhibuit? Quia ipse est Filius Dei. Oportebat ergo, ut ille baptizaret, qui est Fi-*

---

[1]) Hebr. 1, 2 et sqq.

[2]) Cfr. n. 23. ubi et plura alia testimonia habentur, ex quibus patet, hunc hominem Jesum Deum ac Filium Dei proprium et naturalem esse.

[3]) De Trinit. 1, 3.

lius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt unici: unicus habet potestatem, adoptati ministerium [1]. In Concilio vero Chalcedonensi Patres in fidei professione declarant: *Sequentes igitur sanctos Patres, unum et eumdem confiteri Filium et Dominum nostrum Jesum Christum, communi omnes consensu docemus.*

161. Quando vero Felix et Elipandus suos errores disseminarunt, multi episcopi et doctores contra eos surrexerunt; inter quos Etherius episcopus Uxamiensis, et Paulinus Aquilejensis, necnon Beatus et Alcuinus presbyteri doctissimis scriptis haeresim istam refutarunt. Hadrianus Papa epistolam scripsit ad episcopos Hispaniae eos admonens, *ut sibi ab Elipandi errore caventes constanter perseverarent in avita doctrina, quae confitetur, Christum esse proprium et unigenitum Dei Filium, ita ut idem sit Filius Dei, qui Filius hominis.* Synodus vero Francofurdiensis pariter errorem istum omnino rejecit, et auctorem ejus ita compellat: *Tu vero, quisquis es, qui Christum praedicas adoptivum, unde tibi iste sensus venisset, voluissem scire, ubi hoc nomen didicisses, ostende. Patriarchae nescierunt, Prophetae non dixerunt, Apostoli non praedicaverunt, sancti tractatores hoc nomen tacuerunt, doctores fidei nostrae non docuerunt.* [2]

Rationes theologicae.

162. Rationes theologicae variae afferri possunt et a Patribus Concilii Francofurdiensis etiam afferuntur, quibus probatur, Christum hominem Filium Dei naturalem, nullatenus vero tantum Filium Dei adoptivum esse. — Ratio filiationis sequitur personam, non naturam; filiatio vel filietas est proprietas ontologica personae, ac nomen filii est nomen personae, non naturae. Sane Verbum, secunda hypostasis divina, Filius Dei naturalis est et vocatur, et hac filiatione ipsa persona constituitur. Hanc hypostasim incarnatione mutatam esse, ut desineret esse Filius Dei naturalis, plane absurdum est; proinde qui contendit, Christum

---

[1]) In Jo. tract. 7. nº 4. Cfr. etiam Enchirid. nº 35.
[2]) In epist synodica.

hominem non esse Filium Dei naturalem, sed tantum adoptivum, necessario alteram personam introducit a Verbo Filio Dei naturali distinctam, et ita Nestorii haeresim instaurat. — Idem sequi etiam ex *natura adoptionis*, ordine inverso ostendi potest. Adoptio videlicet supponit, personam quae adoptatur non esse Filium proprium, sed personam extraneam. Includit enim adoptio affectum tanquam inter patrem et filium quoad tales, qui natura pater et filius non sunt. Itaque si Christus homo est filius Dei adoptivus, alius est a persona, quae filius Dei naturalis, et sic ex Patre genita est. Idque eo evidentius sequebatur, quod Adoptiani dicerent, Christum hominem esse *tantum* Filium Dei adoptivum. — Ratio porro intima, cur Christus ut hic homo sit Filius Dei naturalis, ea est, *quod vere et proprie haec persona, etiam dum est homo, generatur a Patre aeterno per communicationem naturae, non quidem humanae, sed divinae.*

Quaestiones aliquae.

163. Hisce doctrinam fidei catholicae quantum sufficit exposuimus; sed cum dogmate connexae sunt *quaestiones aliquae* jam breviter tractandae. — Fuerunt imprimis aliquot Doctores Scholastici, qui cum Durando statuebant, vel cum Scoto saltem probabile censebant, Christum hominem Filium Dei naturalem, secundum humanam naturam *etiam* Filium adoptivum dici posse, ut sit *simul* Filius Dei *naturalis*, et *simul* sub quodam respectu secundum humanam naturam Filius *adoptivus.* Fundamentum hujus adoptionis existimabant haberi in gratia sanctificante, quae pro nobis est adoptionis gratia, et qua etiam humana Christi natura ornata fuit.

An Chr. simul fil. nat et adopt.

164. Theologi igitur generatim imprimis tenent, hanc sententiam ita explicatam non fuisse ut haereticam proscriptam in controversia cum Adoptianis,[1]) qui negabant Christum hominem esse Filium Dei naturalem, et eum nonnisi Filium adoptivum esse statuebant. Sed nihilominus

---

[1]) Vasquez existimat quidem (disp. 89), hunc ipsum fuisse errorem Felicis et Elipandi damnatum; sed merito Theologi aliter censent.

etiam illa Durandi sententia theologice falsa dicenda est. Negative. Nunquam in ss. Scripturis, a Patribus et Conciliis, Christus Filius Dei adoptivus appellatus est, et quemadmodum hoc argumento negativo Patres Francofurdienses errorem Adoptianorum rejiciunt (v. nº 161), sic eodem etiam haec sententia refellitur. — Dein adoptio in suo conceptu includit, personam adoptatam per se alienam et extraneam esse; adeoque aliquis non simul filius adoptatus et naturalis esse potest. Idem etiam patet, si conceptus filii naturalis consideratur. Etenim qui jam per se filius est et dicitur ob generationem, non potest amplius per adoptionem filius fieri et dici, quum haec non sit nisi filiatio per quamdam similitudinem ad filiationem naturalem. *Filiatio,* ait s. Thomas, *proprie convenit hypostasi vel personae, non autem naturae... In Christo autem non est alia persona vel hypostasis quam increata, cui convenit esse filium per naturam. Sed filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis. Non autem recipitur aliquid participative, quod per se dicitur. Et ideo Christus qui est Filius Dei naturalis, nullo modo dici potest filius adoptivus.* [1]) Idem Angelicus Doctor etiam praeclare exponit in quaestione, utrum Spiritus sanctus dici debeat pater Christi. *Est autem,* inquit, *considerandum, quod illud quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum de eo secundum rationem imperfectam: sicut quia Socrates dicitur naturaliter homo secundum propriam rationem hominis, nunquam dicitur homo secundum illam significationem, qua pictura hominis dicitur homo, licet forte ipse assimiletur alteri homini. Christus autem est filius Dei secundum perfectam rationem filiationis, unde quamvis secundum humanam naturam sit creatus et justificatus, non tamen debet dici Filius Dei neque ratione creationis, neque ratione justificationis, sed solum ratione generationis aeternae, secundum quam est filius Patris solius.* [2]) Nos igitur per gratiae sanctificantis claritatem

---

1) S. th. p. 3. q. 23. a. 4. 2) S. th. p. 3. q. 32. a. 3.

assimilamur splendori aeterni Filii, et ideo filii adoptivi dicimur et sumus, sed qui est Filius proprius et naturalis, quamvis humana ejus natura gratia ornata sit, inde Filius adoptivus dici nequit. [1])

Ratio filiationis nat. non est in natura hum.

165. Commemoranda est dein hoc loco plurium theologorum doctrina, qua statuerunt, generationem aeternam esse quidem sine dubio rationem, propter quam Christus homo sit Filius Dei naturalis, sed praeterea in ipsa hu-

---

[1]) Posset hic aliqua difficultas oboriri ex verbis Angeli ad Virginem: »Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Ideoque* et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.« Videtur hic, uti Maldonatus exponit, Christus Filius Dei dici, quia non a viro, sed a Deo seu virtute Spiritus sancti generabitur. Proinde praeter generationem aeternam, ex qua Christus est Filius Dei naturalis, et aliae admitti possunt rationes, ob quas sensu quodam analogo Christus Filius Dei sit et dicatur. — Respondemus, solida esse argumenta, ex quibus omnino juxta Angelici Doctoris doctrinam sequitur, solum ratione generationis aeternae Christum Filium Dei dici debere, adeoque expositionem allatam hujus textus admitti non posse. Sed duplex alia adest expositio. Si quis censet, illo *ideoque* rationem formalem exprimi, cur Christus sit et dicatur *Filius Dei*, verba *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, intelligenda erunt juxta sententiam plurium Patrum de Verbo ipso nascente, ita ut Angelus dicat: Virtus Altissimi, Verbum aeternum Patris, obumbrabit tibi, et propterea quod nascetur ex te Sanctum erit Filius Dei. — Altera expositio pariter aptissima haec est. Angelus jam in antecedentibus verbis nasciturum puerum exhibuerat characteribus Messiae a prophetis praenuntiatis, ut Filium Altissimi, successorem Davidis, regem aeternum. Virgini, exprimenti voluntatem perpetuae virginitatis, et interroganti de modo conceptus et partus, respondet dein, puerum concipiendum esse modo virgineo, qui solus modus Filium Dei nasciturum decebat, quique modus annuntiatus erat a Propheta Virginem parituram praedicente. Inde *consequentia logica* Virgini ostendit, quem paritura erat esse ipsum Filium Dei. Ac si dicat: Uti Deo nascituro convenit, et propheta de Emmanuele (Deus nobiscum) nascituro praedixit, Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque (i. e. et consequenter, unde vides) quod nascetur ex te Sanctum vocabitur (erit) Filius Dei. Verbo *ideo* proinde non ratio formalis, sed *ratio logica* editur, ad ostendendum Virgini, prolem nascituram Filium Dei proprium esse.

mana natura jure rationem assignari aliam, propter quam Christus homo Filius Dei naturalis sit et nominetur. Ejusmodi rationem Suarez [1]) et Vasquez [2]), magni sane theologi, esse statuunt sanctificationem, qua Christus jus habet ad haereditatem divinam. Propter illam sanctificationem et jus ad haereditatem divinam, advertunt, Christum secundum humanam naturam etiam Filium Dei naturalem esse; hanc vero filiationem aliam esse quam filiationem ex generatione aeterna, et propter eam Christum hominem ad Deum unum et trinum referri, ejusque Filium naturalem dici posse. — Sed, pace illorum virorum dictum sit, sententia haec solidum fundamentum non habet, et inferior illa ratio Filii non est inducenda. Tum sacrae Scripturae, tum ss. Patres non nisi ex generatione, qua Pater aeternus communicat Filio divinam naturam, et ex eo, quod Christus in natura humana assumpta sit eadem persona, rationem repetunt, cur Christus homo sit naturalis Dei Filius. Dein vero illa filiatio, quam dicunt Suarez et Vasquez naturalem, reapse non minus impropria et analogica est, quam filiatio per adoptionem. Jam vero, uti vidimus, filiatio propria et absoluta excludit omnem filiationem impropriam et participatam. Sanctificatio igitur illa et jus ad haereditatem divinam sunt quidem propria Christo, sed filiationem aliquam non constituunt.

Objectiones ex Scriptura.

166. Jam de iis pauca dicamus, quae doctrinae quam probavimus, Christum hominem Filium Dei naturalem esse, non vero adoptivum, opponi possunt. Nullo negotio ea difficultas solvi potest, quae inde petitur, quod Christus vocatur *primogenitus in multis fratribus*,[3]) ac nos dicimur *haeredes Dei et cohaeredes Christi*; [4]) ex quibus infertur, Christum sicut nos, filium esse adoptivum Dei. Sane Christus est primogenitus in multis fratribus, quia assumpta natura humana per unionem hypostaticam communicavit carni et sanguini, ac frater noster fieri dignatus est, nullatenus vero,

---

[1]) In 3. p. Disp. 49. [2]) In 3. p. Disp. 89. c. 14.
[3]) Rom. 8, 29. [4]) Ibid. 8, 17.

ac si ipse adoptivus filius Dei sit. Sic etiam cohaeredes Christi dicimur, quia per gratiam participes effecti sumus illius haereditatis, quae Christo ut Filio Dei naturali convenit.

167. Alia difficultas peti potest ex verbis Apostoli, qui de Christo scribit: *Qui factus est ei* (Deo) *ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri.* [1]) Dicitur itaque Christus praedestinatus, ut esset Filius Dei, quod supponit eum non fuisse, quod fieri praedestinatus erat. Hinc ejusmodi praedestinatio intelligenda est de filiatione adoptiva per gratiam Christo homini collata. Saltem potest inferri ex verbis Apostoli, Christum hominem tum Filium Dei naturalem tum adoptivum secundum naturam humanam dici posse. — Hoc confirmatur ex eo, quod Christus etiam in Scripturis et a Patribus *servus Dei* dicitur. Sic legimus e. g. apud Isaiam: *In scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit.* [2]) Itaque si Christus propter naturam humanam assumptam dici potest servus, videtur etiam dici posse filius Dei adoptivus. — Utraque haec quaestio, quomodo Christus dicatur praedestinatus Filius Dei, et quo sensu ipse servus dici possit, a theologis fusius tractari solet; nos hoc loco paucis ea comprehendemus, quae hac in re dicenda videntur.

Diluuntur. 168. Animadvertendum igitur est, verba Vulgatae: *qui praedestinatus est Filius Dei*, in textu graeco esse ambigua, scilicet: *του ὁρισθεντος ὑιου θεου*. Id graeci Patres post s. Chrysostomum explicant: *Qui definitus seu demonstratus est Filius Dei;* et versio Syriaca pariter habet: *Et cognitus est Filius Dei.* S. Joannes Chrysostomus: *Quid sibi vult*, scribit, *illud ὁρισθεντος? Ostensus, declaratus, indicatus, confessus omnium judicio et calculo, a*

---

[1]) Ibid. 1, 4.
[2]) Isai. 53, 11. Cfr. Isai. 42, 1. — 49, 5. — Ezech. 34, 23.

prophetis, ab inexspectato ortu secundum carnem, a potentia signorum, a Spiritu per quem sanctificationem dedit, a resurrectione, qua mortis tyrannidem solvit. [1]) Juxta hanc s. Doctoris expositionem sensus omnino planus est, omnisque difficultas evanescit. — Sed jam videamus, quid de praedestinatione Christi tenendum sit. Praedestinatio est aeterna praeordinatio operis supernaturalis, ac praesertim beneficii supernaturalis, in mente divina. Itaque sicuti totum redemptionis opus, sic etiam praedestinata erat incarnatio et unio hypostatica Verbi divini cum humana natura, qua fit, ut Christus homo sit Filius Dei naturalis. Proinde praedestinatum est, uti dici solet, opus incarnationis in complexu, ut Filius Dei naturalis sit homo, et hic homo sit naturalis Filius Dei; praedestinata est gratia unionis hypostaticae illi humanae naturae; praedestinata etiam recte dicitur natura humana ad unionem hypostaticam, et sicuti dici potest Christus factus in tempore, sic dici quoque potest praedestinatus ab aeterno. — Verba porro Apostoli: *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute,* [2]) non nimium urgenda sunt juxta strictam constructionem grammaticalem, sed explicanda secundum exposita. Videlicet non ita intelligi possunt, ac si menti divinae obversata esse dicatur haec persona Christus, cui destinaretur filiatio divina. Sed Apostolus iis exprimit, praedestinatum esse opus incarnationis in complexu, videlicet praedestinatum esse, ut per unionem hypostaticam Filius Dei sit homo Jesus, et hic homo Jesus naturalis Filius Dei. [3]) — Quod si vero quis censet, juxta Apostolum *ho-*

Praedestinatio Christi.

---

[1]) In epist. ad Romanos hom. 1.

[2]) In textu Graeco: *Περι του ὑιου αὐτου, του γενομενου ἐκ σπερματος Δαυιδ κατα σαρκα, του ὁρισθεντος ὑιου Θεου ἐν δυναμει.*

[3]) »Praedestinatio, ait s. Thomas, proprie accepta est quaedam divina praeordinatio ab aeterno de his, quae per gratiam Dei sunt fienda in tempore. Est autem hoc in tempore factum per gratiam unionis a Deo, ut homo esset Deus et Deus esset homo... Et ideo oportet dicere, quod ipsa unio naturarum in persona Christi cadat sub

minem debere dici praedestinatum, ut sit Filius Dei, necesse est accipi nomen *hominis* sine adsignificatione hypostasis divinae. Videlicet dicitur homo, veluti praescindendo ab hypostasi in qua subsistebat, destinatus, ut non sit homo in se subsistens, sed natura humana subsistens in Verbo adeoque homo-Deus. — Vides, sic etiam juxta Vulgatae versionem verba Apostoli aptissime exponi, quin admittatur, Christum adoptivum Dei Filium esse dicendum. Verba dein quae sequuntur: *in virtute*, *secundum spiritum sanctificationis*, *ex resurrectione mortuorum*, etiam si textus Vulgatae tenetur, juxta s. Chrysostomi interpretationem apte intelliguntur ut signa et argumenta, quibus ostensum fuit, Christum esse verum Filium Dei.

An Christus servus.

169. Ut solvatur altera quaestio, utrum Christus dici possit *servus* et quo sensu, animadvertendum est, sicut nomen *filii* est semper nomen hypostaticum, quo ex indole sua directe persona designatur, sic etiam verbum *servi* saepe adhiberi ad designandam directe personam, quae dicitur non esse filius sed servus. Tali igitur sensu si nomen servi sumitur *hypostatice*, Christus servus dici nequit, quia est filius. Quum vero Nestoriani et Adoptiani nomen servi hoc modo Christo applicarent, illud plures Patres et Concilia eo sensu rejecerunt. — Sed vocabulum servi etiam *adjective* sumi potest, ut exprimatur qualitas, quam quis vel ex jure vel ex natura sua habet. Porro omnis creatura, eo ipso quod a Deo creata est, prae Deo, Domino absoluto, est essentialiter serva. Servitus autem duo includit, 1° ut quis sit in familia extraneus et alienus, qui nullum jus ad haereditatem habet; 2° ut sit inferioris conditionis et dependens. Prima ratio servitutis aufertur per gratiam sanctificantem, qua reddimur filii adoptivi, Dei amici et cohaeredes Christi.[1]) Sed alterum non aufertur

aeterna Dei praedestinatione, et ratione hujus Christus dicitur praedestinatus.« S. th. p. 3. q. 24. a. 1.

[1]) »Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.« Jo. 15, 15.

per adoptionem, et sic etiam justi et sancti saepe dicuntur servi Dei; idque titulo honorifico, ut eorum obsequium et reverentia in Deum exprimantur. — Simili modo de Christo Domino dicendum est, quamvis nulla adoptio quoad ipsum admittenda sit. Christus homo, quum esset Filius Dei naturalis, certe nullo modo servus erat *stricto illo sensu*, quo servitus includit, ut quis sit alienus jureque haereditatis privatus. Sed natura ejus humana utpote creata, si per se et secundum suam essentiam spectatur, dependens est et *natura serva.* Si igitur nomen servi sumitur *sensu lato* ad significandam inferiorem naturam, et Christi secundum hanc naturam submissionem et obedientiam, potest nomen servi de Christo adhiberi. Adsignificatur tum tantum hypostasis, quatenus nomen *servus* exhibet concretum, nec exprimitur ratio inaequalitatis personae. Hoc igitur sensu Christus dicitur *Servus Dei* (Patris) ad significandam Christi hominis reverentiam et submissionem erga Patrem, et Patris amorem et complacentiam in Christo homine. Generatim tamen usu ecclesiastico et theologico haec locutio, Christum esse servum, non est sine explicatione adhibenda, quia solemus servum opponere filio.

Objectiones ex s. Patribus.

170. Quae ex Patribus objiciuntur effata ad probandum, Christum adoptione Filium Dei esse, ex accurata verborum et contextus consideratione facile solvuntur. Sic afferuntur illa s. Hilarii: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*; [1]) et illa s. Augustini: *Ea gratia fit ab initio fidei suae homo christianus, qua gratia homo ille ab initio factus est Christus.* [2]). — In textu s. Hilarii sermo est de assumptione humanae naturae, et *carnis humilitas adoptatur* significat: *carnis humilitas assumitur.* Haec igitur nil faciunt ad rem. Vasquez [3]) et Germonius [4]) censuerunt, loco *adoptatur* legen-

---

[1]) De Trin. l. 1. [2]) De praedest. sanctorum c. 15. n. 31.

[3]) In 3. p. s. Thomae disp. 89. c. 15.

[4]) De veteribus haereticis ecclesiastic. codicum corruptoribus p. 478.

dum esse *adoratur*, alii id negant; sed etiam retenta lectione *adoptatur*, textus nullam praebet difficultatem. — S. Augustinus in eo est, ut gratuitam ostendat esse gratiam. Unio hypostatica certe gratia erat atque gratuita, et sub hoc respectu comparatur cum gratia, qua homines fiunt christiani. Nullatenus vero s. Augustinus docet, gratia factum esse Jesum filium Dei adoptivum, sed diserte asserit, gratia unionis hypostaticae factum esse, ut Christus homo Filius Dei unicus esset. *Nonne,* inquit, *faciente et suscipiente Verbo, ipse homo ex quo esse coepit, Filius Dei unicus esse coepit?* Vides etiam ex his verbis, s. Doctorem non supponere prius hominem existentem et deinde assumptum, sed sensum verborum ipsius esse: Gratia gratuita unionis hypostaticae factum est, ut homo esset Christus, et Filius naturalis Dei.

Scholion. An Christus creatura.

171. Scholion. — Hoc loco etiam disputari solet, utrum Christus apte dicatur *creatus* et *creatura*, quod apud unum alterumve Patrem dictum invenitur. — Respondetur, hanc expressionem valde idoneam non esse, ab illis tamen Patribus sano sensu adhibitam. Creata sane dici nequit formaliter ipsa persona divina, quae in assumpta humana natura dicitur Christus. Neque bene diceretur Christus creatus, quatenus creari significat produci ex nihilo; quamvis enim natura humana Christi (quoad corpus mediate) sit ex nihilo producta, tamen dum *Christus* ex nihilo productus dicitur, sensus praeposterus est. Si vero creatus dicitur, non quatenus per aliquam actionem coeperit esse simpliciter hypostasis Verbi, sed quatenus in tempore per unitionem humanae naturae, eadem persona facta est Christus, homo-Deus, talis expressio per se non est falsa. Hoc modo facile explicantur effata Patrum, quibus Christus creatus vel creatura dicitur; istum tamen loquendi modum minus opportunum esse, patet.

Articulus V.

DE DUABUS IN CHRISTO NATURIS.

172. Monophysitae duce Eutychete, uti jam exposuimus, errorem propugnaverunt Nestorii quidem placitis plane oppositum, sed non minus funestum et veri dogmatis eversivum. In Christo videlicet post unionem unam tantum proclamarunt fuisse naturam. Quamvis ejusmodi error jam concidat ex iis, quibus probavimus, unam fuisse personam Christi, simul autem Christum fuisse vere Deum et vere hominem, adeoque in utraque subsistentem natura: nihilominus, ne quid desit tractationi nostrae, etiam explicita probatione veritatem catholicam contra illam haeresim vindicemus.

Monophysitae.

173. Qua ratione una fuerit natura in Christo, diximus variis modis ab haereticis expositum fuisse. Ne vero nunc in incertum evagetur disputatio nostra, breviter recolamus, tribus modis effici posse, ut ex duabus una res conficiatur; atque ad istos modos proponendos etiam reapse haeretici confugerunt. Videlicet aut una re pereunte et in alteram velut absorpta, incolumis et sola haec ultima remanet; aut ex duabus plane mutatis fit aliqua tertia dissimilis ambarum; aut ex duabus salvis et integris tertia itidem et diversa componitur. Primi generis exemplum habes in aquae stilla, quae in vini amphoram projecta veluti absorbetur, naturam mutat, et in vinum vertitur. Secundum genus in elementis apparet, ex quibus mixtorum corporum substantia ita conflatur, ut quae exoritur substantia plane dissimilis appareat iis, ex quibus ipsa efficitur. Tertii denique generis exemplum inest in anima et corpore, ex quibus, salvis utriusque proprietatibus, hominis natura constat. [1]) Anima videlicet et corpus sunt sub-

[1]) Proponimus hos tres unionis modos, ut facilius concipiantur haereticorum variae opiniones, et secundum diversitatem illam, quae

stantiae, ex quibus per modum partium humana natura componitur, ita quidem ut in hac unione utraque pars suas retineat proprietates, quamvis per unionem eaedem aliquantisper modificentur. Varios igitur hos unionis modos haeretici monophysitae, ut unam Christi naturam assererent, proposuere; catholicum vero dogma est, in Christo Domino non unam, sed duas esse naturas impermixtas et inconfusas.

Propositio.

174. Propositio. — *Duae sunt in Christo naturae, divina et humana, in una Verbi persona ita unitae, ut utraque distincta permanserit et integra.*

S.Scriptura.

Demonstratio. — Duas esse distinctas et integras in Christo naturas, iis probatur *Scripturarum* testimoniis, quibus divinitatem Christi et veritatem humanae ejus naturae demonstravimus; eadem hic iterum fusius exponere longum esset, sed sufficiat breviter dicta resumere et praesenti materiae applicare. Et Deum igitur esse Christum pleraque testimonia persuadent, et hominem esse simul luculentissime praedicant. *Quem verum hominem novit Joannes*, (verba sunt s. Fulgentii), *audiens eum dicentem*: *Quaeritis me interficere hominem*, *qui veritatem vobis locutus sum, eumdem verum Deum monstrat dicens*: *Hic est verus Deus et vita aeterna.*[1]) Sed Christus non potest verus Deus esse sine integra et inconfusa natura divina, et non potest homo esse sine integra et inconfusa natura humana, quia deficiente rei essentia et ipsa res deficit. — Vidimus etiam in Scripturis attributa divina de Christo praedicari; sed quodlibet attributum divinum in se est ipsa natura et essentia divina. Vidimus pariter, in Christo inveniri omnia substantialia hominis, nempe corpus et animam humanam ratione et voluntate praeditam, atque ideo etiam ipsi competere attributa humana, quae sine natura humana existere non possunt. Est proinde in Christo utraque natura in-

---

primo intuitu sese oculis offert. Non ingredimur quaestionem, utrum et quomodo in se differant illi modi unitionis.

[1]) Ad Trasimund. c. 16.

tegre et inconfuse. — Christus Dominus ipse ait: *Ego et Pater unum sumus;*[1]) quibus verbis docet, se unam cum Patre essentiam habere. Non potest enim unum cum Patre dici, nisi una eademque sit ipsi essentia ac natura divina. Sed idem Christus etiam dicit: *Pater major me est.*[2]) Ergo ipsi etiam est natura inferior, videlicet humana. Secundum hanc naturam certe Christus non potest esse unum cum Patre, sicuti secundum divinam naturam non potest esse minor Patre; utraque igitur natura in ipso agnoscenda est. — Id unum addamus, cum Scripturarum effatis etiam non conciliari, ex duabus naturis, uti ex hominis corpore et anima, unam compositam esse exortam, cui dein proprietates utriusque conveniant. In Scripturis enim non solum de Christo divina et humana praedicantur, sed etiam *Deus* dicitur esse et *homo*. Id clare ostendit, utramque naturam distinctam adesse. Certe homo compositus ex anima et corpore non est nec dici potest anima vel corpus, quia tertium quid ipse est ex utraque substantia coalescens. Sed Christus non est tertium quid ex homine et Deo coalescens, quod nec Deus esset nec homo; et quia utraque natura integra permanet et distincta, propter divinam naturam Deus, propter humanam vere homo est atque dicitur. Sic etiam verba Evangelii: *Et Verbum caro factum est*, ostendunt, non tertium quid ex Verbo et homine, sed vere hominem Verbum factum esse. Quod quum sane fieri non potuerit conversione immutabilis divinitatis in hominem, sequitur, Verbum in natura divina manens etiam humanam naturam assumpsisse, adeoque in Christo esse tum naturam divinam, tum humanam.[3])

---

[1]) Jo. 10, 30. [2]) Jo. 14, 15.

[3]) Facile vides, idem argumentum deduci ex celebri loco s. Pauli ad Philippenses 2, 6: Qui quum in forma Dei i. e. in essentia seu natura Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, non quidem amittens naturam Dei quod impossibile erat, sed formam servi, i. e. humanam naturam accipiens,

Traditio.

175. Ad argumentum ex *Traditione* conficiendum hic omnia ea repetenda forent, quibus juxta Symbolorum professionem et Patrum doctrinam, Christum perfectum Deum et perfectum hominem esse, probatum est. Sed inutilis iste labor videtur. Sufficiat igitur nobis citare diserta illa verba s. Ambrosii: *Servemus distinctionem divinitatis et carnis. Unus in utroque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque est natura.* [1]) Et s. Augustinus: *Agnoscamus*, ait, *geminam substantiam Christi: divinam scilicet, qua aequalis est Patri, humanam, qua major est Pater.* [2]) In Symbolo, quod s. Athanasii inscribitur, doctrina catholica clarissime his verbis proponitur: *Qui* (Christus) *licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiae, sed unitate personae.* Concilium vero Chalcedonense stolidam Eutychetis haeresim solemniter damnavit, et dogma catholicum illis verbis proposuit: *Unum eumdemque confiteri Filium et D. N. J. Christum consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in deitate et eumdem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, eumdem ex anima rationali et corpore consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eumdem secundum humanitatem, eumdemque Christum in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem et in unam personam atque subsistentiam concurrente.*

Rationes theologicae.

176. Postremo ex rationibus theologicis impietas et absurditas haeresis Monophysitarum plane evidens fit. Infinitae enim perfectioni et immutabilitati divinae naturae, ac veritati humanae naturae in Christo, omnis unius naturae absorptio, in alteram mutatio, vel naturarum immediata unio et in tertiam compositio plane repugnat. *Qui*

---

in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Christus igitur est in utraque natura, Deus et homo.

[1]) De fide l. 2. c. 4. [2]) In Jo. Tr. 78.

ex duabus naturis, ait Ferrandus diaconus, *in Domino Jesu Christo unam factam fatetur, dicat mihi, quae harum perierit, ut una fieret ex duabus: divina perire non potuit, humana non debuit. Aut si nullius audet asserere perditionem, dicat, utrum sit altera in alteram commutata, et si alteram in alteram potuisse commutari suspicatur, dicat rursus, utrum divinitas in carnem, an in divinitatem caro conversa sit. Si enim divinitas ad inferiorem redacta est qualitatem, deteriorata cognoscitur* (quod manifeste absonum), *et jam sibi creator bonus miseriam procuravit, quam nobis misericorditer praestitit. Si vero permanens inviolata divinitas absorbuit substantiam carnis, ut hoc esset incipere caro quod Verbum, quis tolerabiliter audiat, creaturam prius omnia accidentia recipientem pervenisse ad genus et potentiam creatoris, ut esset subito sine qualitate, sine quantitate, sine tempore, sine loco, sine situ, sine passionibus, sine habitu, perdita conditione facturae solo faciendi vigore subnixa?* [1]) — Novam vero quamdam ex duabus compositam naturam in Christo esse, pariter repugnat. Tunc enim imprimis, uti superius jam advertimus, Christus neque Deus esset neque homo, sed tertium quid ex utroque mixtum et novo nomine nominandum; quo vero nomine illud nominandum sit, nemo hactenus ne somniavit quidem. Praeclare Ferrandus: *Si ex duabus facta esse asseritur una, quae facta sit, debet primitus dici. Quoties ex duobus fit unum, nova res fit. Et si nova res fit, novum necessario naturae nomen existendo noviter sumit. Verbi gratia, alia est in nobis natura animae, alia corporis: illa spiritualis, ista terrena; illa invisibilis, ista visibilis. Et quia ex his duabus una est facta natura, novae naturae nomen adepta est, ut diceretur homo. Proinde si divina natura et humana confirmantur unam fecisse naturam, inveniatur nomen. At nunquam natura invenietur, quae nec divina appellatur nec humana, sed sicut nova, ita novo nomine nuncupata.* [2]) — Praeterea

---

[1]) Epist. ad Anatol. [2]) Ibidem.

vero quae tanquam partes concurrunt ad aliqnid tertium componendum, ut in homine corpus et anima, ejusmodi sunt, ut neutra pars in se perfecta sit in ratione naturae, sed ut se invicem per compositionem perficiant. Ad hoc enim ordinatae sunt, ut in unum conjungantur, et hac ordinatioue per unionem expleta tertium quid in ratione naturae perfectum inde efflorescit. Jam vero divina natura sane talis est, ut perfici nequeat; est enim in se infinitae perfectionis, nec ordinata ad ullam creatam substantiam. Neque humana natura ad hoc ordinata est, ut tertium quid cum divina natura unita constituat, sed etiam ipsa est in ratione naturae completa. Repugnat proinde in Christo unio naturarum immediata per compositionem.

Quaedam doctrinae capita illustrantur.

177. Rejecimus igitur haeresim monophysitarum, et vindicavimus doctrinam Ecclesiae quae statuit, in Christo non unam sed duas esse naturas, divinam et humanam, in una Verbi persona ita unitas, ut utraque distincta permanserit et integra. Modo opportunum erit, illustrare quaedam doctrinae catholicae capita; quae magnam lucem dogmati de Incarnatione Domini afferunt.

Unio facta in persona.

178. Imprimis breviter exponenda est communis illa Patrum et theologorum doctrina, qua statuitur *unio humanae naturae facta immediate in persona, et per hanc cum natura divina.* In Deo igitur una summa res sub alia ratione est natura absoluta et una tribus communis, sub alia ratione eadem res est Pater, Filius, et Spiritus sanctus, tres personae. Hae tres personae sunt subsistentes in divina natura, seu habentes naturam divinam. Et quamvis personae realiter cum natura divina identificentur, tamen sub formali ratione relativorum seu personarum inter se realiter distinguuntur. — Fieri unionem substantialem naturae creatae *immediate* cum natura divina, seu cum Deo sub formali ratione quatenus natura est et essentia, idem est, ac contendere, ipsi quidditali divinae in se aliquid accrescere, vel eam mutari. Id vero absolute repugnat. Fieri autem unionem substantialem naturae creatae cum Deo, quatenus est formaliter hyposta-

sis divina secunda, significat, hypostasim, quatenus est hic distinctus habens naturam divinam, incipere habere etiam naturam creatam humanam. Id quidem comprehendere ratione non possumus, sed repugnantiam hac in re pariter non videmus. Porro dum fit ejusmodi unio substantialis naturae humanae immediate per personam, *mediate* etiam natura humana cum divina conjungitur, quatenus utraque natura subsistit in eadem hypostasi.

Nulla Verbi mutatio.

179. Jam videamus, quomodo juxta haec *solum Verbum sine mutatione sui sibi propriam habeat naturam humanam.* — In Deo quidem essentia est communis, sed personae habentes naturam distinguuntur realiter. Dum dicimus, Verbum assumere naturam humanam, possumus spectare: 1° Illud quod fit operatione ad extra, sive dum producitur, sive dum conservatur, sive dum unitur humana natura cum Verbo. Et tota haec operatio seu *incarnatio efficienter spectata* est opus Dei unius et trini. Sed 2° potest considerari, quis sit habens naturam humanam ut suam. Atque hoc non est operatio aliqua, sed conditio quaedam habentis antea tantum divinam naturam, seu extensio aliqua modi subsistendi, qui proprius est distinctae personae. Unde vides, unam solam personam divinam jam inde habere ut suam humanam naturam, seu *terminative incarnationem esse solius Verbi.* — Si vero ulterius investigatur, quomodo Verbum sine sui mutatione habeat humanam naturam, responderi haec possunt. Verbum habet, uti exposuimus, naturam humanam secundum formalem rationem subsistendi, quam possumus dicere vim hypostaticam seu actum terminandi naturam. Illa vis hypostatica sicuti ipsa persona est infinitae perfectionis, et propterea potest eadem, quin mutetur, etiam extendi ad habendam naturam creatam humanam, et persona Verbi sic eamdem elevare ad suum esse personale eamque habere ut suam. Quemadmodum autem Deus non mutatur, dum libera voluntate novas creaturas producit, sic etiam hoc in casu. Tota mutatio erit in natura assumpta et elevata; persona autem assumens tota in se remanet in sua infinita immutabili perfectione.

Id quidem ratione comprehendi nequit, quia mysterium est, sed rem aliquatenus saltem praeclara expositione Leonardi Lessii illustremus. *Hoc maxime*, scribit, *admirabile et incomprehensibile in hoc mysterio, quomodo Verbum divinum absque ulla nova habitudine ad humanam naturam possit eam ita sibi adstringere, ut ratione illius unionis vere dicatur et sit homo. Sed provenit hoc ex infinitate Verbi, quod sicut in aliis, ita etiam in ratione hypostasis vim infinitam habet, qua substantiarum omnium existentias per modum hypostasis possit terminare, naturas ipsas actuales per se formaliter hypostatice sustentando. Sicut enim intellectio divina propter suam infinitatem in ratione intellectionis ad futura contingentia, et volitio divina propter infinitatem in ratione volitionis ad omnia existentia, quorum ipsa est causa, se extendit, idque absque accessione alicujus habitudinis realis ad illas: ita quaevis hypostasis divina ob infinitam vim hypostasis talis est, ut possit se ad quamlibet naturam terminandam et sustentandam absque ulla sui mutatione, vel habitudinis intrinsecae accessione, extendere et proferre. Sufficit enim illa habitudo virtualis eminentissima, quam ratione suae infinitatis habet, ratione cujus non minus perfecte unitur, quam si formalem, intrinsecam et novam habitudinem, ad naturam humanam in assumptione acquireret. Recipit igitur ad se et in se Verbum divinum humanam naturam, fitque ejus hypostasis absque ulla sui mutatione, sola mutatione humanitatis, qua trahitur ad Verbum, et extensione seu habitudine virtuali Verbi, qua recipit et terminat humanitatem.* [1])

Comparatio cum unitate physica hominis.

180. Monophysitae, ut confictam suam divinitatis et humanitatis in Christo confusionem confirmarent, frequenter commemorabant, a Patribus unitionem naturae humanae cum Verbo illustrari similitudine deprompta ex concursu animae et corporis humani. Quae similitudo etiam in symbolo Athanasiano illis verbis proponitur: *Sicut anima rationalis et caro unus est homo: ita Deus et homo unus est*

---

[1]) De div. perfect. l. 12. c. 5. n. 23.

Christus. Inferebant igitur Monophysitae, illa comparatione indicari, ex unione divinitatis et humanitatis in Christo unam existere naturam, quemadmodum ex unione corporis et animae etiam una existit natura humana. Ut haereticorum fallacia repellatur, et intelligatur, quo sensu in doctrina catholica illa comparatio adhibeatur, eam jam accuratius determinabimus. Juverit ad hoc similitudinis juxta et dissimilitudinis capita definire; sic enim vera significatio illius effati melius patebit. — Ut a dissimilitudinibus ordiamur, primum dissimilitudinis caput inde prodit, quod anima et corpus ad mutuam unionem natura ordinantur. Id vero in Verbo prae carne locum non habet. Inde etiam anima et corpus se mutuo excipiunt ut verissimae partes unius compositae naturae, et sicut corpus perficitur anima, ita vicissim etiam anima perficitur corpore. Sed ab infinita Verbi dignitate et perfectione ratio partis omnino abhorret, nec Verbum ex assumpta natura humana perfici potest. — Succedit aliud discrimen inde profectum, quod, cum Christus sit vereque dicatur tam Deus quam homo, aut etiam Deus-homo, contra homo neque est neque vere dicitur anima rationalis vel corpus, vel anima-corpus. — Dissimilitudine sic constituta jam determinemus, in quo similitudo sita sit, propter quam comparatio illa adhibetur. Itaque imprimis quemadmodum unio animae et corporis non moralis et accidentalis, sed ontologica est et substantialis, ita etiam unio Verbi cum humana natura intima est et ontologica. Hinc etiam Christus est unum numero et ontologice subjectum, sicuti pariter ex unione animae et corporis unum subjectum existit. Atque ad hanc unionem non moralem sed ontologicam, et unitatem personae exprimendam, potissimum a ss. Patribus et in symbolo Athanasiano illa comparatio adhibetur. Praeterea vero quemadmodum in homine substantiae ontologice unitae non confunduntur, ita in Christo divina natura, quamquam ab humana non divisa, est tamen manetque sine confusione distincta. Et sicut anima corpore, praeterquam quod in eo est ut forma in materia, utitur simul ut instrumento proprio, ita Verbum

natura humana, licet tamen ejus non sit forma, utitur ut instrumento assumpto arctissimeque conjuncto, quod quidem vita sibi propria pollet. Ex his itaque sequitur, optimo jure illam comparationem adhiberi, nullatenus autem sensu monophysitico eam esse accipiendam.

S. Cyrilli effatum: *Μια φυσις κ. τ. λ.*

181. Pauca jam dicenda sunt de effato quodam a s. Cyrillo et aliis Patribus saepe adhibito, ex quo pariter Monophysitae argumentum pro suo errore haurire studuerunt. S. Cyrillus igitur et alii Patres frequenter opposuerunt divisioni Nestorianae illud effatum: *Una natura Dei Verbi incarnata*, *μια φυσις του Θεου Λογου σεσαρκωμενη*. *Unum*, ait s. Cyrillus, *dicimus Filium*, *et sicuti Patres dixerunt unam naturam Dei Verbi incarnatam.* [1] Unde intulerunt Monophysitae, s. Cyrillum docere, post incarnationem unam esse Christi naturam, ac proinde se antiquam fidei doctrinam tenere ac vindicare.

182. Sed significatio illius effati a s. Cyrillo ipso explicata est. Nestorianis idem erat natura et persona, et dum urgebant duas in Christo naturas, intelligebant naturas divisas, in se consistentes et subsistentes, seu duas personas. Declarat s. Cyrillus, se suam formulam huic doctrinae opponere, et ideo urgeri a se unam naturam Verbi incarnatam, quia, quamvis in Emmanuele humanitatis natura et divinitatis dicatur, ipsa tamen humanitas propria facta est Verbi, et unus intelligitur Filius etiam cum ipsa. Ejus sententia igitur huc redit, non esse duas naturas per se consistentes divisim et seorsim, Deum et hominem, sed esse unum per se consistens substantiale, scilicet Deum Verbum unum Filium etiam in carne assumpta. Carnem seu humanitatem esse integram in suis proprietatibus; ne tamen Nestoriani invehant duas naturas in se consistentes, consultius esse, ut natura humana exprimatur in obliquo (incarnata), quatenus propria facta Verbi principatum tenentis, quam ut duae naturae exprimantur in recto. —

---

[1]) Ep. 1. ad Success.

Ut vero ulterius illud effatum explanemus, animadvertendum est, *φυσιν* seu naturam esse apud s. Cyrillum ipsam naturam divinam in concreto. Nomen *φυσις* per se consideratum non significat hanc illamve hypostasim, sed exprimi eo potest, sicut nomine *Deus*, tum Deus trinus, tum indeterminate quaevis persona, tum Deus unus in confuso adsignificata subsistentia. Verum quando additur *Dei Verbi*, ut dicatur *natura Dei Verbi*, eo ipso determinatur significatio ad unam divinam personam Verbi, adeoque natura Verbi idem est, ac natura divina identificata cum Verbo, subsistens in Verbo, sive natura divina sub formali ratione Verbi. Itaque in illa formula: *Una natura Dei Verbi incarnata*, in recto exhibetur ipsum Verbum unum manens et unus Filius, et in obliquo indicatur natura humana velut accessio ei propria facta. Sic illud effatum celebre, uti ab ipso s. Cyrillo explicatur, sensum habet omnino orthodoxum. — Antiocheni quidem propter naturarum in Christo differentiam noluerunt hanc formulam admittere. Quum vero ipsi pariter unum Christum, unum Filium et unum Dominum profiterentur, s. Cyrillus nullatenus ab iis divisus est, sed aliis offensis eorum vindicias suscepit, judicans, fidem eorum et professionem eamdem esse, quam ipse ista formula expresserat.

Deificatio naturae humanae in Christo.

183. Natura humana Christi etiam haud raro a Patribus dicitur *deificata*. Id sane non sensu monophysitico intelligendum est, ac si mutata esset in divinam naturam, vel ab ea absorpta. Sed deificata nominatur 1°, quia divinae personae propria facta est. Ex hac vero deificatione formali consequitur 2°, naturam humanam ultra omnem naturalem ejus excellentiam elevatam et ornatam esse donis praecellentissimis. Atque etiam ob hanc rationem saepe *deificata* a Patribus appellatur, divinae videlicet naturae similior reddita, atque hoc sensu propter dona collata ab ea veluti absorpta. Interdum etiam ss. Patres, praesertim post resurrectionem Christi naturam ejus humanam deificatam esse dicunt, quia videlicet post resurrectionem haec

praecellentia naturae etiam in corpus vim suam exercuit, in quo gloriae dona tunc manifestius visa sunt.

184. Ex his igitur facile explicantur Patrum effata de deificatione humanae Christi naturae, neque ex eo, quod ejusmodi deificationem extollunt, eos ad monophysitismum accedere, inferendum est. Inter alios s. Hilarius et s. Gregorius Nyssenus illam humanae naturae deificationem multum celebrant, eorumque sententiis haeretici abusi sunt. De s. Hilario alibi sermo recurret; quod vero ad s. Gregorium attinet, pauca de ipsius effatis hoc loco dicere opportunum est. Hypostaticam igitur divinae humanaeque naturae in Christo unionem interdum commixtionem seu mixturam (*μιξιν*, *συμμιξιν*, *συγκρασιν*) vocat, humanam naturam dicit divinae participasse virtutem, et veluti absorptam esse sicuti aceti guttam in pelago. Scribit e. g. *naturam corruptibilem, ex qua cum Deo conjuncta est mixtione reformatam, divinitatis participasse virtutem. Quemadmodum si quis dicat, aceti guttam pelago immixtam mare esse mixtione factam, quod non amplius naturalis qualitas in praevalentis immensitate maneat.*[1]) — Haec verba si per se spectantur, in sensum quidem erroneum trahi possunt; sed juxta ea quae diximus omnino orthodoxam explanationem admittunt. Hoc autem sensu ea revera intelligenda esse, demonstrant tum s. Gregorii ex aliis locis manifesta doctrina, qua salvam esse et integram utramque in Christo naturam diserte affirmat,[2]) tum testificatio aliorum Patrum, qui contra Monophysitas ad s. Gregorii auctoritatem appellarunt, et difficiliora ejus effata apte explanarunt. Nomine mixtionis igitur s. Gregorius intimam duarum naturarum in una persona conjunctionem designat,

---

[1]) Contr. Eunom. l. IV. opp. tom 2. p. 162.

[2]) Scribit e. g. in epistola ad Theophil. Alexandr.: »Nos enim salvam esse humanam naturam Verbo unitam ex mysterio ipso didicimus et credimus, Dei vero Filii carnem separatim consideratam neque didicimus, neque consequentiae illius necessitate cogimur intelligere.«

quatenus etiam mixtio plura elementa conjungit; nullatenus vero confusionem naturarum voluit significare. Reliqua pertinent ad eam naturae humanae deificationem, de qua locuti sumus. Ob arctam videlicet cum divinitate conjunctionem infinitus dignitatis, elevationis, et excellentiae splendor, et ineffabilis gratiarum abundantia in naturam humanam redundat, ut summam praestantiam acquirat, iis tamen reservatis quae humanitati propria sunt. Quum vero ejusmodi humanae naturae elevatio et excellentia difficilius intelligatur, ad eam adumbrandam ss. Patres frequenter similitudinibus utuntur. Sic alii adhibent comparationem ferri igniti, adeoque conservantis quidem suam naturam, sed igni similis facti, alii similitudinem aëris, qui luce perfusus est. Atque eadem intentione illa comparatio a. s. Gregorio abhibita est, qua humanam naturam dicit veluti guttulam aceti divinitatis pelago immixtam. Id jam antiqui Doctores animadverterunt. *Divinus Gregorius*, ait Anastasius Sinaita, *mentionem fecit pelagi et aceti, non ut res ipsas confunderet, sed ut exemplo aliquo tenuitatem et parvitatem nostrae naturae cum infinito et incomprehenso illo divinitatis pelago compararet ac demonstraret.* [1])

185. Difficultates praecipuae, quae contra doctrinam de duabus naturis in Christo inconfusis et impermixtis proponi possent, iis quae exposuimus jam praeoccupatae et solutae sunt. Scripturarum videlicet testimonia quibus Monophysitae abutebantur, uti v. g. textus ille s. Joannis: *Et Verbum caro factum est*, satis sunt explanata. Pariter solutio earum difficultatum, quae ex comparatione incarnationis cum unione corporis et animae, et aliis Patrum doctrinis petebantur, ex iis quae modo exposuimus per se consequitur.

186. Scholion. — Verbum sane in se consideratum est persona simplex omnino, nec perficitur assumpta natura humana. Attamen quum Verbum incarnatum seu Christus

Scholion. An Christus compositus.

[1]) Odego cap. 13.

subsistat in divina atque humana natura, adeoque sit una persona in duplici natura, Christus recte vocari potest *compositus*, pariterque persona Christi, quatenus duas complectitur naturas.

Articulus VI.

DE DUPLICI IN CHRISTO VOLUNTATE ET OPERATIONE.

Monotheletae.

187. Monophysitis successerunt Monotheletae haeretici, qui illorum opiniones verbotenus quidem reliquerunt, simul tamen talia statuebant, quae tum in se erronea erant, tum necessaria consequentia ipsum monophysitismum instaurabant. Admiserunt igitur Monotheletae, in Christo duas esse essentias, et conveniebant etiam cum catholicis, Chritsum esse unam personam operantem. Sed falso statuerunt, unicam quoque esse tantum in Christo operationem et unicam voluntatem, videlicet divinam. Humanam enim naturam veluti inertem habuerunt, ita ut unice divina natura esset principium operationis, quae in humanam naturam inertem nonnisi passive reciperetur. [1]) — Animadvertendum porro est, considerari posse *operandi virtutem* (ἐνεργητικὴν δύναμιν), et ipsam *operationem actualem* (ἐνέργειαν). Quidam exstimarunt, a Monotheletis admissam fuisse duplicem virtutem operandi, sed unam tantum operationem; at ex eorum scriptis et Patrum expositione patet, eos tum unicam operandi vim, tum unicam operationem in Christo statuisse. Sic humanam essentiam non agnoverunt ut principium operandi, sub quo respectu proprie natura denominatur.

Eorum doctrinae.

---

[1]) »Posuerunt, scribit s. Thomas, in Christo unam voluntatem, quamvis ponerent duas naturas in Christo secundum hypostasim unitas, quia opinabantur, quod humana natura in Christo nunquam movebatur proprio motu, sed solum secundum quod erat mota a divinitate.« S. th. p. 3. q. 18. a. 1.

188. Pariter unam tantum voluntatem isti haeretici admiserunt, tum quatenus voluntas facultas est, tum quatenus est actualis volitio. Atque opportune hoc loco, ut quaestiones melius intelligantur, haec notantur. Voluntatis nomine imprimis designatur ipsa *facultas* volendi; dein vero *naturalis* ille in bonum *appetitus* elicitus, quo voluntas bono proposito et agnito statim in illud tendentia sua fertur; postremo ipsa *electio libera* et deliberata, qua aliquod bonum voluntas eligit. Haec omnia Monotheletae naturae humanae Christi denegabant. Sed quum, negata facultate volendi et naturali voluntatis tendentia, nimis apertum esset, negari ipsam naturam humanam, subdole studebant evitare hanc quaestionem, et disserebant praecipue de voluntate actuali electiva et libera. Hanc *personalem* denominabant, et unam esse in Christo magna cum contentione asserebant. — Qua quidem in re haeretici illi, qui reapse monophysitismo addicti erant, magna cum calliditate procedebant. Etenim quum in Christo Domino electiva voluntas humana plane consentiat divinae voluntati, et sic divina voluntas et humana una sit consensione, facilius erat hominibus istis haeresim suam tegere ambigua locutione, qua catholicos studebant decipere. Fraudulenter enim rem ita repraesentabant, ut catholici credere possent, ab iis defendi unam voluntatem utriusque naturae consentientem atque concordem. — Propterea etiam continuo clamabant, ab iis qui duplicem voluntatem esse statuebant, eo ipso invehi voluntatem a divina voluntate dissentientem eique repugnantem. Relate ad homines videlicet saepe fit, ut voluntas libera sequatur appetitum sensitivum et naturalem tendentiam in bona, etiam quando illicita sunt, atque eo casu voluntas libera repugnat legi, et a voluntate divina dissentit. Talem igitur voluntatem rebellem, quae certo in Christo non erat, proclamabant Monotheletae ab iis adstrui, qui duplicem in Christo voluntatem esse dicebant, ac duas voluntates dicere perinde esse contendebant, ac statuere aliquam in Christo voluntatam divinae voluntati contradicentem. — Postremo non unam operatio-

nem simpliciter se statuere Monotheletae animadvertebant, sed unam operationem theandricam seu deivirilem; non tamen hoc profitebantur, ac si humana natura active in operationem influeret, sed quatenus esset organum iners, in quod recipiebatur operatio proveniens a natura divina.

Doctrina catholica.

189. Contra hos errores doctrina catholica statuit, duplicem esse in Christo Domino operandi virtutem ac duplicem operationem, et nominatim duplicem voluntatem ac volitionem. Utrique videlicet naturae sua est agendi vis, et ex utraque tanquam *ex principio quo* operationes procedunt. Alterae sunt a divina natura elicitae, adeoque formaliter divinae, alterae vero sunt elicitae a natura humana, ac proinde formaliter humanae, et quantum ad substantiam actuum similes nostris.

Ut vero doctrina haec melius perspiciatur, et subdola confusio cavillationesque, quibus Monotheletae suos errores promovebant, funditus auferantur, juvabit inde ab initio accuratiorem praemittere explicationem proprietatum humanae naturae in Christo, nec non operationum, affectionum, passionum, et motuum voluntatis in ipso.

Proprietates naturae humanae Christi.

190. Itaque quum Christus Dominus perfectam et integram haberet naturam humanam, corpore constantem et anima rationali, etiam facultates huic naturae insitae ipsi erant, operationesque eis respondentes. Proinde vita, motus, facultas sentiendi, intelligendi, appetendi harumque facultatum functiones humanae Christi naturae inerant, et sic generatim humana Christi natura *sibi propria* operabatur.

An defectus assumpti.

191. Assumpsit Christus Dominus etiam infirmitatem defectusque, qui humanae naturae inhaerent; attamen non omnes defectus a Christo suscepti fuerunt. Suscepit videlicet eos, qui sequuntur ex natura et peccato totius naturae, nec tamen perfectioni gratiae et scientiae, quae debebant naturae humanae Salvatoris inesse, repugnant. Tales defectus, qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur, sunt e. g. fames, sitis, defatigatio, dolores ex laesionibus, mors et alia hujusmodi. Non tamen hos defectus

Christus proprie contraxit, quia iidem in praesenti statu naturae lapsae non contrahuntur, nisi ex peccato, quo Christus penitus caruit. Sed quum Christus libera voluntate elegisset, assumere humanam naturam, nec impedire, quod sane potuisset, connaturales ipsi imperfectiones, illi defectus ex conditione corporis atque materiae connaturali necessitate consequebantur.

192. Non assumpsit autem Christus Dominus ignorantiam, nec proclivitatem ad malum, vel difficultatem ad bonum; haec enim dedecuissent Christum et impedivissent opus redemptionis, ac repugnabant perfectioni, quam ex hypostatica unione et gratia natura Christi humana habebat. Nec assumpsit Christus defectus *personales*, qui nascuntur in aliquibus hominibus ex quibusdam particularibus causis, ut sunt lepra, caecitas et generatim omnes morbi. Nam hujusmodi defectus oriuntur quandoque ex defectu virtutis formativae corporis, quandoque vero ex culpa hominis, e. g. ex inordinato victu. Neutrum vero accidere poterat quoad Christum. Nam ex una parte caro ejus concepta erat de Spiritu sancto, qui cum sit infinitae virtutis et sapientiae in opere suo deficere non potest; ex altera vero parte profecto Christus, qui impeccabilis erat, nihil inordinatum in vitae suae regimine admittere poterat.

Nulla concupiscentia.

193. Ex dictis jam vides, in Christo *nullo modo fuisse inordinatam concupiscentiam vel fomitem peccati;* is excluditur eo, quod humana Christi natura hypostatice unita erat Verbo, quodque Christus perfectissime habebat gratiam omnesque virtutes.[1]) Nomine fomitis peccati intelligitur inordinata inclinatio appetitus sensitivi, et aliarum quoque facultatum animae, quae de libertate participant, ut intellectus, voluntatis, imaginationis, ac motus praeter vel contra legem rationis. Haec inclinatio de facto provenit immediate ex privatione justitiae originalis, mediate vero ex peccato originali protoparentis, et est illa virium

[1]) Cfr. s. Thomam, Summa theol. p 3. q. 15. a. 2.

animae imperfectio, qua saepe rationem praeveniunt et praeter vel contra ejus dictamen moventur. De fide igitur est, in Christo fomitem peccati non fuisse. — Sane fomes hic ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Christus autem non est conceptus in peccato, nec ullam inclinationem ad peccatum habere potuit. Per unionem hypostaticam hujusmodi defectus necessario excluditur tanquam dedecens personam Verbi, imo illi, qui est Deus sanctissimus, omnino repugnans. *Deus*, inquit s. Gregorius M., *qui in utero Virginis incarnatus in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat.* [1])

Manifestum proinde etiam est, in Christi Domini humana operatione omne id excludendum esse, quod cum fomite peccati cohaeret, vel cum illis naturae defectibus, qui a Christo suscepti non fuerunt.

De affectibus.

194. His praestitutis jam facile est de passionibus ac de affectionibus, quibus Christi anima obnoxia fuit, et de motibus voluntatis ipsius judicium ferre. — De motibus facultatis sentiendi, seu de appetitu sensitivo et passionibus affectionibusque cum ipso connexis, quid tenendum sit, praeclare exponitur a s. Thoma. *Anima Christi*, statuit, *passibilis fuit corporali passione; animales vero passiones habuit quidem, sed non ut caeteri homines. Nam neque ad illicita ferebantur, neque rationis judicium praeveniebant, sed secundum illud sequebantur, neque rationem ullo modo impediebant.* Id dein ita fere evolvit: Animae passiones sunt duplicis generis. Aliae sunt corporales, quibus anima patitur ad corporis laesionem: cum enim illa sit corporis forma, consequens est, quod unum sit esse animae et corporis, et ideo corpore perturbato per aliquam corpoream laesionem, necesse est, ut etiam anima quatenus corpus informat perturbetur, seu dolorem sentiat. Aliae sunt animales, quae vel solam animam, vel principalius animam, quam corpus, afficiunt; videlicet illi affectus appetitus sen-

---

[1]) Homil. 16, in Evang. — Cfr. de his Schouppe, Inst. theol. De Incarn. c. 2. Quaest. 4. 5. 6.

sitivi, qui sensu maxime proprio et philosophico passiones dicuntur, ut tristitia, metus, ira. Anima igitur Christi tum corporalibus, tum animalibus obnoxia fuit passionibus, quia non solum laesiones corporis vere sensit et inde dolorem percepit, sed etiam tristitia, metu, ira aliisque hujusmodi passionibus affici potuit. Notandum vero est, hos animae Christi affectus et passiones, quoad substantiam quidem nostris similes, quoad modum vero dissimiles fuisse. *Sciendum tamen est*, ait s. Doctor, *quod hujusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quam in nobis, quantum ad tria. Primo quidem quantum ad objectum: quia in nobis plerumque passiones feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. Secundo quantum ad principium: quia hujusmodi passiones frequenter in nobis praeveniunt judicium rationis, sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. Unde Augustinus dicit* (de Civit. Dei l. XIV. c. 9), *quod hos motus certissimae dispensationis gratia ita cum voluit suscepit animo humano, sicut cum voluit factus est homo. Tertio quantum ad effectum: quia in nobis quandoque hujusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem, quod in Christo non fuit, quia motus naturaliter humanae carni convenientes, sic ex ejus dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere, quae conveniebant.* [1])

195. Id tamen non ita intelligendum est, ac si appetitus superior seu rationalis nullo modo affectibus illis participaverit. Sed etiam in appetitu rationali seu voluntate proprie dicta, quantum id sine ulla imperfectione fieri potuit, et ipse Christus libera dispositione elegit, affectus ejusmodi fuisse existimandum est. Sic v. g. tristitia Christi censenda est non tantum fuisse in appetitu sensitivo, sed quum Dominus praevideret innumera hominum peccata et

[1]) S. th. p. 3. q. 15. a. 4. — A quibusdam illi affectus et passiones in Christo, ut ejus perfectum dominium in ea exprimatur, *propassiones* dictae fuerunt.

crimina, ingentem eorum ingratitudinem erga ipsum Salvatorem, et summam quam tot homines sibi comparabant sua culpa miseriam, inde etiam simul maxime contristatus est in parte animae superiore seu voluntate rationali. Admissio hujus tristitiae sicut caeterorum affectuum, eorumque modus atque mensura certe omnino suberant rationi ac libertati ipsius, ita ut nullo modo, sicuti in nobis fit, inde rationalis voluntas abriperetur vel impediretur.

196. Jam ad voluntatem ipsam quod spectat, uti diximus, distinguenda est facultas volendi, hujus facultatis naturalis appetitus et tendentia in bonum, ac volitio libera et electiva. Volitio haec libera et electiva humanae naturae semper concors erat et consentiens in Christo cum voluntate divina ipsi plane nota, neque uti in nobis accidit eadem per passiones abripi, turbari, titubare, vel Deo rebellis esse poterat. Appetitus vero naturalis, tum uti est in parte sensitivo, tum uti est in parte rationali, fertur natura sua in bonum apprehensum ut tale, e. g. in vitam, et abhorret a malo, e. g. a doloribus et morte. Sic etiam in Christo naturalis affectus erat, quamvis libertati subjectus, tendens in bonum naturae, et abhorrens a malo. Atque Dominus tum naturalem affectionem carnis seu appetitus sensitivi, tum desiderium inefficax et conditionatum voluntatis rationalis exhibuit, quum deprecaretur diram passionem; sed libera simul voluntatis electione efficaci, voluntate Dei plane concordi, eam suscepit. — His praemissis jam facillime dogma catholicum stabiliemus, erroresque Monotheletarum refutabimus.

Propositio. 197. Propositio. — *Secus ac Monotheletis visum est, cum duabus in Christo distinctis impermixtisque naturis juncta est tum duplex operandi virtus ac duplex operatio, tum nominatim duplex voluntas atque volitio.*

S. Scriptura. Demonstratio. — Quemadmodum in *sacris Scripturis* habetur duplex testimoniorum series, quorum altera Christo tribuitur natura divina, altera vero humana: ita etiam duplex est testimoniorum classis, quorum altera Christo tribuuntur operationes divinae, altera operationes humanae.

Operationibus autem respondet virtus operandi, ac proinde duplici illi operationum ordini, duplex etiam respondet operandi virtus, divina videlicet et humana. Operationes illae quae praetergrediuntur humanas omnes facultates ac vires tribuendae erunt vi operandi divinae naturae, operationes autem hominibus convenientes atque communes referendae erunt ad naturam et virtutem operandi humanam. — Sane Christo attribuuntur operationes divinae. Dicitur enim operari quae et quemadmodum Pater operatur, vaticinia edit, solo voluntatis nutu sanat aegrotos, solo jussu suo suscitat mortuos. Ex altera parte legimus, Christum esuriisse et sitiisse, cibo et potu esse refectum, lassatum fuisse et lacrimatum, timore ac tristitia affectum, dolorem sensisse, passum fuisse, et spiritum reddidisse. Atque hae sunt sane operationes humanae. Proinde duplex operatio et operandi virtus, humana atque divina, Christo est tribuenda.

198. Christo autem etiam duplicem voluntatem fuisse, divinam atque humanam, generatim jam sequitur ex eo, quod sicut divinam naturam, ita et humanam cum omnibus facultatibus et viribus habebat. Divinam ipsi fuisse voluntatem, hic non probabimus particularibus textibus, quum id haeretici non negaverint; quod vero ad humanam attinet, juvabit diserta quaedam citare Scripturarum testimonia. Celeberrima igitur est illa Domini oratio: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu,* [1]) vel: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* [2]) Illa oratione Christus Dominus exprimit naturalem affectionem appetitus sensitivi a passione et a morte refugientem, et desiderium naturale, conditionatum *(si possibile est)* atque inefficax voluntatis, vitandi passionem et mortem. Haec colliguntur maxime ex illis verbis: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.* Sed deinde diserte exhibet plenam consensionem ac conformitatem humanae voluntatis electivae et efficacis cum divina

---

1) Matth. 16, 39. 2) Luc. 22, 42.

voluntate Patris, dum dicit: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Conformitas haec, quae istis verbis exprimitur, profecto respicit Christi humanam voluntatem; divina enim ejus voluntas una eademque est numero cum voluntate Patris. Verba Christi igitur ut plene intelligantur sic exponi possunt: Pater peto a te voluntate humana efficaci et electiva, ut non fiat secundam meam inclinationem naturalem appetitus sensitivi, et voluntatis desiderium naturale atque inefficax quod deprecatur mortem, sed ut fiat secundum tuae voluntatis decretum. — Voluntas Christi humana proinde hoc textu perspicue exhibetur.

199. Posset hac in re obscurum videri, quomodo Christus potuerit orare: *Pater*, *si fieri potest* (i. e. si vis), *transeat calix iste*, quum ipsi notum esset, Patris beneplacitum esse, ut non transiret calix. Respondemus ad hoc, Christum Dominum, ut humanae naturae veritatem ostenderet, locutum fuisse secundum ea, ad quae natura haec indole sua tendit. Manifestavit hac ratione hominibus, quanto amore eos dilexerit, quum durissimas illas passiones humanae naturae vehementer repugnantes susceperit; exemplum dedit hominibus, ut divinae voluntati se subjiciant etiam in rebus, quae summam habent difficultatem; et illis qui in mortis horrore constituuntur atque anguntur motivum dedit fiduciae atque spei, dum recordantur, etiam ipsum Jesum Christum Dominum nostrum illas angustias mortis sensisse, et naturam ejus humanam ab iis refugisse easdemque desiderio naturali deprecatam fuisse. In illis igitur verbis Christus veluti praescindit ab illa scientia, quam de Dei placito habebat, et sic conditionate desiderium exprimit inefficax, evitandae passionis et mortis juxta naturae humanae inclinationem. [1]).

200. Gemina huic testimonia sunt illa: *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*; [2]) atque: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* [3]) In utroque textu quum Do-

---

[1]) Vide Maldonatum in Matth. 26, 38. [2]) Jo. 5, 30. [3]) Jo. 6, 36.

minus dicit, se quaerere voluntatem Patris, id se spectare, ut faciat voluntatem Patris, ostendit, se conformare voluntatem suam humanam voluntati Patris. Dum vero ait: *non ut faciam voluntatem meam*, pariter distinctam a divina voluntatem ostendit. Haec humana voluntas, quantum a Christo permittitur, per se naturali tendentia posset tendere non quidem in illicita, sed in talia, quae a beneplacito Patris diversa sunt, quamvis in se honesta; at eo casu Christus libera et efficaci electione se conformare ostendit voluntatem suam beneplacito Patris.[1]) — Evangelia praeterea quam plurimas nobis exhibent Christi actiones, quae a voluntate ejus humana necessario proficiscuntur. Sic frequenter commemoratur Christi ad Patrem oratio, deprecatio, gratiarum actio, ejus humilitas, spes ac fiducia, reverentia, obedientia. Haec omnia vero manifeste voluntatem humanam supponunt.

Traditio. 201. In oppugnatione Monotheletismi Doctores catholici, uti s. Agatho P., s. Sophronius, s. Joannes Damascenus, imprimis usi sunt illis Scripturarum textibus, quos modo commemoravimus, indeque errorem illorum haereticorum rejecerunt. Dein ex doctrina praecedentium Patrum adductis eorum testimoniis ostenderunt, Monotheletarum sententiam ab orthodoxa fide omnino deviare. Sic adducit s. Agatho in Epistola ad Imperatores, lecta in Concilio VI, verba s. Augustini, qui Maximinum Arianum oppugnans scribit: *Ubi dixit Filius Patri: Verum non quod ego volo, sed quod tu vis: quid te adjuvat, quod tua verba subjungis et dicis: Ostendit vere, voluntatem suam subjectam suo Genitori. Quasi nos negemus, hominis voluntatem voluntati Dei debere esse subjectam? Nam ex na-*

---

[1]) Videntur textus illi etiam sic posse exponi: »Non ego sum talis, qui habeam voluntatem, quae se ipsam quaerat et suam utilitatem, et quae faciat quod ipsi placuerit; sed voluntas mea semper dirigitur ad voluntatem Patris, eique conformis est atque consentiens.« Manifestum est, in hac quoque explicatione Christum sibi attribuere voluntatem humanam. Cfr. s. Chrysostomum in h. l.

tura hominis hoc dixisse Dominum cito videt, qui locum ipsum sancti Evangelii paulo attentius intuetur. Ibi enim dixit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Numquid ex natura unici Verbi posset hoc dici... Non ait: Tristis sum; quamvis etiam si hoc dixisset, non nisi ex natura hominis oporteret intelligi; sed ait: Tristis est anima mea; quam sicut homo utique habebat humanam. Quamquam et in hoc quod ait: Non quod ego volo; aliud se ostendit voluisse, quam Pater: quod nisi humano corde non potuisset, quum infirmitatem nostram in suum non divinum, sed humanum transfiguraret affectum. Homine quippe non assumpto nullo modo Patri diceret unicum Verbum: Non quod ego volo. Numquam enim posset immutabilis illa natura aliud velle, quam Pater. [1]) Addit s. Agatho testimonium s. Ambrosii, qui inter alia haec habet: *Aequalis ergo* (Christus) *in Dei forma, minor in susceptione carnis et hominis passione. Nam quomodo eadem posset minor esse aequalisque natura? Quomodo autem si minor est, eadem similiter facit, quae Pater facit? Nam quemadmodum eadem operatio diversae esset potestatis? Numquid sic potest minor, quemadmodum major, operari? aut una operatio potest esse, ubi diversa substantia est?* [2]) Postrema haec verba s. Ambrosii securim infligunt Monotheletarum haeresi, et explicite statuunt, ubi diversae sunt naturae, necessario etiam diversas esse operationes. Alii Patres varii a s. Agathone producuntur; satis sit, addere hic duorum Patrum Graecorum disertam doctrinam. S. Athanasius in illa verba: *Pater, si fieri potest* etc. ita disserit: *Duas hic voluntates ostendit* (Christus), *unam videlicet humanam quae est carnis propria, alteram divinam. Nam humana propter carnis imbecillitatem deprecatur passionem; divina vero ipsius prompta est.* [3]) Et s. Gregorius Nyssenus: *Quoniam igitur*, inquit, *alia est voluntas divina, alia humana, loquitur quidem ut*

---

[1]) Contr. Maximinum Arianum l. 2. c. 20. n° 2.

[2]) De fide ad Gratianum l. 3. c. 2. [3]) Contra Arianos n° 21,

homo quod infirmitati carnis congruit, qui nostras passiones suscepit. [1])

Rationis theologicae Patrum.

202. Variis dein argumentis ss. Patres Monotheletarum errores refellunt. Argumentantur ex illo principio, nullam posse dari naturam sine propria operandi virtute et propria actione. Nihil aliud enim est vis agendi, nisi ipsa natura, non solum in sua entitate, sed ratione virium suarum considerata; adeoque facultas operandi necessario ita conserta est cum natura, ut tantum secundum rationem ab eadem distinguatur. Est videlicet operandi vis et operatio cujusvis substantiae virtus et motio, qua id solum caret, quod non est. *Quis non videat*, ait s. Agatho, *quia impossibile et contra ordinem naturae est, posse esse naturam, et operationem non habere naturae.* [2]) — Aliud axioma ex quo ss. Patres argumentantur illud est, unius tantum operationis esse, quae unius tantum naturae sunt, ubi vero non una natura, ibi nec unam esse operationem. Id exemplo illustrant. In divinitate tres quidem sunt personae, sed una operatio tantum, quia una tantum est natura. Operationes igitur non sequuntur rationem hypostasium, sed naturarum. Proinde falso inferunt Monotheletae ex unitate personae Christi unitatem operationis ejus; sed ex duplici ejus natura necessario inferenda est duplex ejus operatio.

203. Argumentantur postremo ss. Patres ex praeposteris consectariis necessario admittendis, si una tantum Christi Domini naturalis operandi virtus, naturalisque operatio dicatur. Haec enim vel divina, vel humana, vel composita esset. Si dicitur divina, quum divina operatio sit totius Trinitatis, jam admittendum erit, quod Theopaschitae impie sed consequenter statuebant, totam Trinitatem passionem et mortem suscepisse. Humana dici nequit. Christus enim plurima fecit, uti e. g. maxima miracula,

---

[1]) Verba citata in Syn. 6. act. 4.

[2]) Ap. Harduin coll. Conc. t. III. col. 125.

quae excedunt omnem humanam naturam et operationem. Nec potest dici composita ex operationibus utriusque naturae. Sicuti enim repugnat, ut humana natura et divina sub formali ratione naturae uniantur et confundantur in unam naturam, sic etiam repugnat, ut operationes confundantur. Talis operatio simul divina et humana, foret increata simul et producta, infinita atque finita. Haec certe contradictionem involvunt. — Talibus igitur argumentis tum theologicis, tum philosophicis Doctores catholici ineptos Monothelatarum errores refutarunt. Concilio vero Cptano III, generali VI (680), Monotheletae, quorum dux eo tempore erat Macarius Antiochenus, solemniter damnati sunt, et doctrina catholica his verbis proposita: *Duas naturales voluntates in eo* (Christo) *et duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum ss. Patrum doctrinam aeque praedicamus, non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt haeretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem et non resistentem vel reluctantem, sed potius et subjectam divinae ejus atque omnipotenti voluntati.*

Concil. oecum. VI.

Operatio Christi theandrica.

204. Monotheletee plerique, uti animadvertimus, suum errorem eo tegere studuerunt, quod assererent, non unam simpliciter, sed unam *theandricam* seu *deivirilem* esse Christi Domini operationem. Hanc vero sententiam comprobabant ex Dionysio vulgo Areopagita, qui in *epistola ad Cajum haec* scribit: *Caeterum divina non ut Deus* (tandummodo) *patrabat, neque humana ut* (merus) *homo, sed quoniam est Deus factus homo, novam quamdam deivirilem operationem nobis dispensabat.* — Catholici Doctores imprimis peremptorie refutarunt illam unicam compositam et confusam operationem, quam nomine deivirilis operationis haeretici designabant, eamque cum fide orthodoxa et sana ratione pugnare demonstrabant. Dein vero luculenter ostenderunt, quomodo operationes, quae procedebant inconfuse ab utraque Christi natura, optimo jure *deiviriles* denominari possint. Quamvis enim nullatenus ex duabus Christi operationibus componatur una, ambae

tamen manentes cum suis proprietatibus inconfusae uniuntur, quatenus unus est operans, et ambae sunt operationes unius hypostasis, licet secundum duplicem naturam editae. Operans vero est Deus-homo (Θεάνθρωπος, Θεανδρος), et propterea omnis Christi operatio tum edita secundum humanam naturam, tum post incarnationem praestita secundum divinam naturam cum aliqua subministratione naturae humanae, dici potest deivirilis.

205. Certe quaevis operatio Christi facta secundum humanam naturam dici potest deivirilis, tum quia est operatio personae divinae, (principium quod), elicita per assumptam humanam naturam, (principium quo), tum quia Verbum spectatum secundum naturam divinam omnes actiones Christi humanas ut principium dirigens moderabatur et disponebat. Utebatur videlicet hac ratione Verbum natura humana tanquam organo, quod tamen intellectu et libertate praeditum erat. — Fuerunt porro multae actiones Christi divinae, in quibus natura humana ex voluntate ejus aliquod ministerium exhibebat, v. g. quando Christus ambulabat super aquas, tactu manus suae sanabat aegrotos, verbo suo suscitabat mortuos. In his operibus intervenit duplex operatio, alia divina toti Trinitati communis, videlicet voluntas divina legibus naturae imperans, alia humana solius Verbi incarnati, uti est tactus manus, vox emissa. [1]) Atque sic complexa actio ex duabus operationibus constans merito deivirilis nominatur. — Omnia ea igitur, quae Christus ut Verbum incarnatum fecit, recte operationes deiviriles nominantur, ut indicetur, unam esse hypostasim quae divina et humana operatur, et propter hanc personae unitatem in operibus Christi etiam actiones divi-

---

[1]) Notetur hoc loco, operationes Christi quae eliciuntur humana natura, esse solius Verbi et non aliarum personarum divinarum, quia solum Verbum per unionem hypostaticam habet humanam naturam ut suam. Operatio vero divina, e. g. in edendis miraculis, communis est Patri et Spiritui sancto, sicuti ipsa natura divina.

nas atque humanas operationes non quidem confundi, sed intima unione conjungi. [1])

Objectio. 206. Monotheletae contendebant, Scripturarum effata, quae attulimus ad probandam duplicem in Christo voluntatem, sensu litterali accipi non posse, eo quod ex illis sic acceptis sequeretur, in Christo fuisse voluntatem rebellem et divinae voluntati oppositam. Sed hanc objectionem nostra expositione jam diluimus. Vidimus enim, exhibuisse Christum quidem illis effatis inclinationem naturae et inefficax ac conditionatum desiderium voluntatis, vitandi passionem et mortem, sed simul eum ostendisse consensum actualis volitionis liberae et electivae cum voluntate Patris. Praeterea timorem illum, taedium atque angorem, in tantum admisit, quantum voluit, nec ullatenus hisce affectibus libera ejus voluntas fluctuans facta est, vel tardior ad beneplacitum Patris exequendum.

Difficultates ex s. Hilario. 207. Inter Patres s. Hilarius, uti superius jam innuimus, plura habet, ex quibus primo intuitu dubium oriri potest, utrum recte ipse de natura Christi humana senserit. Difficultatem ea movere possent, quae de deificatione naturae humanae Christi s. Doctor scribit, ac si ea absorpta sit in Christi glorificatione per divinam naturam. *Subjectio*, inquit, *ea est, quae est ex natura in naturam concessio*, *dum a se secundum quod est desinens ei subjicitur*, *cujus concedit in formam.* [2]) Sed nihil aliud s. Doctor his significare vult, nisi naturam humanam summum acquirere splendorem et excellentiam per dona glorificationis et proprietatis gloriosi corporis. Cum his vero proprietates et qualitates essentiales naturae humanae consistunt, ita ut haec integra permaneat. Ipse s. Hilarius

---

[1]) Eae igitur actiones divinae, quas Verbum operatur mere ut Deus unus cum Patre et Spiritu sancto sine subministratione aliqua humanitatis assumptae, ut creatio et conservatio mundi, non dicuntur operationes deiviriles, sed illae, quas modo exposito cum subministratione aliqua humanitatis operatur Verbum incarnatum.

[2]) De Trinit. l. XI. n° 35.

statim subdit: *Desinit autem non ut non sit, sed ut proficiat,* [1]) h. e. ut excellentior, perfectior, aliud conditione sit.

208. Difficiliora autem sunt quaedam s. Hilarii effata, quibus humanae naturae Christi denegare videtur humanas qualitates, affectiones, passiones atque dolores, et doctrinam statuere, quae Monotheletarum placitis, imo Docetarum opinionibus affinis esse apparet. Inter alia s. Doctor scribit: *Homo itaque Jesus Christus, unigenitus Deus, per carnem et Verbum ut hominis filius ita et Dei Filius, hominem verum secundum similitudinem nostri hominis non deficiens a se Deo sumpsit: in quem* (Christum) *quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, quidem haec impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans. Omnes quidem has passiones naturae suae infert, ut perforet, ut compungat, ut vulneret: sed naturam suam in haec passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aërem vulnerari, quamvis natura teli sit vulnerare, et compungere et forare. Passus quidem Dominus Jesus Christus, dum caeditur, dum crucifigitur, dum moritur, sed in corpus Domini irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exseruit: quum in poenali ministerio illa desaeviit, et virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit.* [2]) Quod si haec et similia s. Hilarii effata abrupta ex contextu et ex tota doctrina s. Doctoris spectantur, revera sano sensu explicari non posse videntur, ac non defuerunt theologi, qui censuerunt, B. Hilarium hac in re errasse. Quum tamen in aliis libris aperte doceat, humanam Christi naturam humanis affectibus et dolori subjectam fuisse, opinati sunt,

---

[1]) Ibidem. — Cfr. ea quae superius diximus de s. Gregorio Nysseno.

[2]) De Trinit. l. X. n° 23.

ipsum illis scriptis errorem hunc retractasse. Atque in hanc sententiam Petavius doctissimus vir declinat. [1])

209. Sed plura obstant, quominus huic opinioni assentiamur. Vix inter ss. Patres aliquis ob orthodoxiam universim tantis laudibus effertur, quam s. Hilarius. Nota sunt verba Hieronymi, ad Laetam de Paulae filiae educatione scribentis: *Cypriani opuscula semper in manu teneat. Athanasii epistolas et Hilarii libros inoffenso decurrat pede.* Eum pariter maximis laudibus s. Augustinus celebrat, et Gelasius I ponit inter eos, quos orthodoxos Doctores habet Ecclesia. Porro ipse s. Hilarius in libris de Trinitate, et frequentius in Commentariis in Psalmos, data opera demonstrat veram humanitatem Christi ex eo, quod revera Christus passus sit, fleverit, tristis fuerit. Sed qui haec ut doctrinam omnibus notam proponit, non potest haberi ut talis, qui simul contrariam sententiam tenuerit. Hos vero textus habere ut retractationem quamdam erroris, nimis arbitrarium est, et eo tantum casu id statuendum esset, si falsa sententia in illis testimoniis plane indubia foret. Sed si s. Hilarii doctrina accurate examinatur, apparet quidem, ejus modum loquendi interdum insolitum esse; attento autem scopo ipsius et peculiari loquendi ratione, illa effata sensu plane orthodoxo explicari possunt.[2])

210. Paucis complectamur aliqua, quae prae oculis habenda sunt ad explicanda s. Hilarii effata. 1° Scopus s. Doctoris est, ut refellat Arianos qui statuebant, ipsam divinitatem in Christo passam esse, unde inferebant, Christum non esse proprio sensu Deum. Ipse igitur totus in eo est ut probet, Christum non esse passum in *natura* sua (divina), sed secundum *dispensationem.* 2° Quod ad modum loquendi spectat, *Christus* s. Hilario plerumque est

---

[1]) De Incarn. l. X. c. 5.

[2]) Praestitit id P. Coustant O. S. B. in doctissima dissertatione, quam praemisit editioni operum s. Hilarii. Editio Maurinorum, Parisiis 1693.

Verbum secundum divinam naturam spectatum.[1]) Nomine *naturae* porro s. Doctor significat *naturam divinam*; naturam humanam nomine *dispensationis* et *assumptionis* exprimit, et sic proprietates Christi dividit in naturales et assumptas. Nomine *Virtutis* pariter, ut alii veteres, divinitatem Christi exprimit, et sic *Virtus corporis* ipsi est Verbum quod corpus assumpsit. 3° Distinguit inter *dolorem ac naturam passionis*, et inter *passionem* simpliciter. Passio ipsi est illata perpessio, ex qua denominatur Verbum passum. Dolor et natura passionis ipsi est necessitas passionis et afflictio, qua ipsa natura patientis mutatur. — Si haec considerantur, s. Hilarii effata facile explicantur. Ostendit in textu allato, divinitatem, *naturam* Christi, haud affectam fuisse doloribus et infirmitate, sicuti natura aquae non afficitur ictibus. Dein: *In corpus Domini irruens passio,* ait, *nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis exseruit, dum et poenali ministerio desaeviit, et Virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit.* Si hoc loco Virtus corporis intelligitur Verbum quod corpus assumpsit, haec significant, passionem qua caesus est Christus, veram quidem fuisse passionem, quatenus et corpus Christi affecit, et Christus (Verbum) inde passus dicitur; tamen in ipsum Verbum quoad naturam divinam, secus ac statuebant Ariani, vim passionis et poenam non esse exsertam. Verbum videlicet (Virtus corporis) eadem passione non fuit afflictum, nec ejus natura divina immutata. — Nulla igitur hinc disceptandi causa, quum nemo catholicus ambigat, quin Filius Dei postquam factus est filius hominis, sine sensu poenae in sua divina natura vim poenae in se desaevientis exceperit, hoc est quod in carne absque ulla demutatione divinae naturae perpessus sit.[2])

---

[1]) Sic scribit: »Evacuatio eo proficit, ut proficiat forma servi, non ut Christus qui in forma Dei erat, Christus esse non maneat; cum formam servi non nisi Christus acceperit.« De Trinit. 9. n. 14.

[2]) His quae diximus non continetur completa explanatio eorum,

De Honorio R. P.

211. Scholion I. *De Honorio R. P.* — Opportunum erit, hoc loco aliquanto fusius de iis disserere, quae relate ad errorem Monotheletarum facta sunt ab Honorio R. P. Ipsum videlicet auctoritate sua haeresim Monotheletarum approbasse, et a vera doctrina deflexisse, aliqui eorum qui infallibilitatem Romani Pontificis impugnant, usque ad hodiernum diem praetendunt. Quamvis autem quaestio de Honorio potius exponenda videatur in Tractatu de Romano Pontifice, facilius tamen ea quae huc pertinent modo intelliguntur, quum Monotheletarum errores expositi fuerint. — Nuntiavit igitur Sergius Patriarcha Cptanus Honorio, ortam esse inter Cyrum Alexandrinum et Sophronium monachum ac deinde Episcopum Hierosolymarum magnam contentionem de una vel duabus Christi operationibus. Sergio approbante Cyrum, ut Monophysitae facilius cum Ecclesia reconciliarentur, praedicasse unam Christi operationem; dein vero ipsum Sergium cum Cyro convenisse, ut omnino abstineretur a praedicatione unius vel duplicis operationis. Hac ratione agendi jam maximam partem Monophysitarum Aegypti cum Ecclesia reconciliatam fuisse. Sed Cyro obstitisse narrat Sophronium, eo quod professionem unius operationis in Christo nullatenus approbaverit; ac non nisi difficultur ab ipso Sergio eo tandem hunc adductum fuisse, ut consentiret, nec unam, nec duplicem Christi operationem commemorare.

212. Rationem, cur ejusmodi silentium de una vel duplici operatione opportunum sit, Sergius, qui reapse Monotheletismo addictus erat, inde promit: *Quod unius quidem operationis vox, quamquam a quibusdam sanctis dicta est Patribus, tamen peregrina videatur et perturbare aures quorumdam, suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfuse atque secundum subsistentiam unitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum: quod non est unquam*

---

quae in re de qua agimus difficiliora apud s. Hilarium inveniuntur. Sed satis ex iis apparet, doctrinam s. Doctoris omnino orthodoxam esse, et considerato ejus scopo et modo loquendi aptissime explicari. Accurata vero expositio habetur in laudata Coustantii dissertatione.

nec fiat. Similiter autem et duarum operationum dictio multos scandalizet, utpote a nullo sanctorum et probabilium Ecclesiae institutorum edita: insuper et consequens ei sit, praedicare duas voluntates contrarietates circa invicem habentes, tanquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate vero ejus obsistente ejus voluntati et resistente, et perinde duo contraria volentes introducantur, quod impium est. Vides, Sergium more Monotheletarum insistere in eo, quod repugnet in Christo existentia voluntatis carnalis et rebellis, et veluti rem indubiam ab ipso statui, duas voluntates in Christo non esse dicendas, ut inde concludatur, nec duas esse operationes. Alia dein argumenta quae potius pro una operatione militant, ex unitate personae et ex suppositis Patrum effatis studet insinuare; commendat tamen oeconomiam silentii, pro qua et Honorii suffragium petit. Ingentia simul in epistola exponit bona, quae ex reconciliatione Monophysitarum Aegypti hac ratione obtenta pro Ecclesia consequantur.

213. Honorius P. duplicem ad Sergium hac in re dedit epistolam. Ea quae in his epistolis quoad rem nostram majoris momenti inveniuntur, ad haec possumus reducere capita. — a/ Quod ad *doctrinam* attinet, imprimis Honorii expositio identica est cum fide Chalcedonensi, cum epistola s. Leonis ad Flavianum et epistola synodica s. Sophronii data ad Sergium.[1]) Dein vero Honorius etiam diserte statuit talia, ex quibus perspicuum est, eum a Monotheletarum sententia omnino abfuisse, et tum divinae Christi naturae, tum humanae *propriam* attribuisse operationem. Scribit e. g. in epistola 1a: *Eumdemque* (confitentes) *operatum humana ineffabiliter atque singulariter assumpta carne, discrete, inconfuse atque inconvertibiliter plena divinitate; et qui coruscavit in carne plena divinis miraculis, ipse est et carneus effectus plene Deus et homo* (graece: *perfectus Deus et homo*). — Clarius dein in altera epistola;

---

[1]) Cfr. Penacchi, De Honorii I causa c. VII.

Quantum, scribit, *ad dogma ecclesiasticum pertinet*, *utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus*; *et divinam quidem quae Dei sunt operantem, et humanam quae carnis sunt exequentem, non divise, non confuse, aut convertibiliter Dei naturam in hominem, et nec humanam in Deum cvnversam edocentes.* Et post pauca affirmat, *duas naturas, id est divinitatis et carnis assumptae*, *in una persona Unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise, et inconvertibiliter propria operari.*[1]) Quum profiteatur, Christum esse plane (perfecte) Deum et hominem, utrasque naturas esse operantes et operatrices, duas naturas, id est divinitatis et carnis assumptae *inconfuse operari propria,* manifeste omnino abfuit a Monotheletarum errore.

214. b/ Quoad *modum loquendi* Honorius comprobavit consilium Sergii. Non perspexit, quanti momenti esset haec quaestio de *professione* unius vel duplicis operationis in Christo, nec Sergii fraudes agnovit: sed considerans magna illa bona, quae teste Sergio ex silentio de una vel duplici operatione Christi eventura erant, hortatur et monet, ut abstineant a *vocabulis* istis unius vel duplicis operationis, et persistant in sana doctrina a Concilio Chalcedonensi proposita. Controversiam de expressione unius vel duplicis operationis habet ut quaestionem de vocabulis, inutilem ac grammaticam, rhetoricis relinquendam. Argumenta, quae Sergius pro una operatione insinuaverat, Pontifex non singillatim expendit, nec ea recipit, nec, sicuti Sergius, huic expressioni unius operationis favet. In tota hac re manifeste Honorius veluti *materialem usum* formularum et verborum considerat; unde etiam animadvertit, in Scripturis *multiplices operationes* commemorari, adeoque non satis apte de una vel duabus disputari. *Nos enim non secundum unam operationem vel duas Dominum Je-*

[1]) Honorii epp. ad Sergium citatae in Concil. VI. act. XII. et XIII. — Acta Concil. ed. Harduini, tom III. col. 1351.

sum Christum ejusque s. Spiritum sacris Litteris percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum. Scriptum est: Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Si enim divisiones operationum sunt multae, et has omnes in membris omnibus pleni corporis operatur, quanto magis capiti nostro Christo Domino haec possunt plenissime coaptari? [1])

215. c/ *Scopus* epistolarum Honorii nullatenus erat, aliquam doctrinae definitionem de una vel duplici Christi operatione exhibere, nec ulla doctrinae definitio in iis hac de re continetur. Finis epistolarum est tantum, exprimere quid Honorius sentiat de *opportunitate* rationis agendi Sergii et Cyri, qui convenerant, neque unam, neque duas commemorare operationes Christi. Nec quoad hanc quaestionem, quam ut quaestionem de materiali usu vocabulorum Honorius considerabat, ipse ut Caput Ecclesiae aliquod decretum praeceptivum emittit, sed tantum comprobat oeconomiam practicam illorum Patriarcharum atque hortatur, ut, quum illa vocabula lites excitent, etiam in posterum ea evitent. [2]) — Ex his autem patet, inepte has Honorii epi-

---

[1]) Honorius quum utramque naturam *operatricem* esse et *propria* operari profiteatur, eo ipso implicite ratione *principii quo* duplicem in Christo operationem esse statuit. Sed quum materiali usui verborum intentus esset, advertebat, juxta Apostolum etiam de multiformi operatione sermonem esse posse, quatenus videlicet operationes denominari et distribui possunt ratione *termini* vel ratione donorum Spiritus sancti. Quum praeterea timeret, ne vox duarum operationum in simplicibus, qui theologorum explicationes et voces non intelligunt, novitatis suspicionem excitaret, et pacem turbaret, consultius habuit, sicuti unius operationis quam rejecit, ita etiam duarum operationum externam et materialem computationem et expressionem evitare, et aliis verbis uti, quibus tamen vera fidei doctrina exprimebatur.

[2]) Scribit Honorius in ep. 2da: »Caeterum quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet, quae tenere vel praedicare debemus propter simplicitatem hominum et amputandas inextricabiles quaestionum ambages, sicut superius diximus, non unam vel duas operationes in me-

stolas in medium afferri quoad quaestionem de Romani Pontificis infallibilitate. Infallibilitas enim haec convenit Romano Pontifici, *cum ex Cathedra loquitur, id est cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide et moribus ab universa Ecclesia tenendam definit.*[1]) Atque huic infallibilitati supremae in ipsis constitutionibus R. Pontificis ex Cathedra editis non subest nisi illud, quod proponitur tanquam determinatum, definitum et ab omnibus tenendum. Sed Honorius in epistolis illis exprimit quidem id, de quo omnes conveniebant, regulam scilicet fidei Concilii Chalcedonensis sequendam esse ab omnibus; de una autem et duplici Christi operatione nihil definit, et quoad usum vocabulorum non decretum emittit, sed tantum hortatur Patriarchas, ut in suscepta ratione agendi, quam ut prudentem habebat, procedant.[2]) Si vero in iis,

---

diatore Dei et hominum definire, sed utrasque naturas ... operantes atque operatrices confiteri debemus ... Auferentes ergo, sicut diximus scandalum novellae inventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes praedicare ... sed confiteri ipsas duas naturas in una persona inconfuse propria operantes.« Verba: *Non debemus definire . . . definientes praedicare*, hic quidem haud directe referuntur ad aliquam definitionem ex Cathedra. Clarum tamen etiam ex his est, Honorium nullam dogmatis alicujus definitionem proponere. Dicit enim, standum esse iis, quae jam statuta sunt, videlicet in una persona Christi duas esse naturas, et utramque inconfuse propria operari. Sed non debere expressionem illam externam ac novam unius vel duarum operationum obtrudi fidelibus (definire, definientes praedicare). Existimat videlicet, haud expedire, ut de operationum computatione externa *novellae inventionis* lites generentur; adeoque comprobat oeconomiam practicam a Sergio suggestam, ut ab illis vocibus omnino abstineatur.

[1]) Constit. dogmat. *Pastor aeternus.*

[2]) Sunt aliqui auctores catholici qui statuunt, epistolas Honorii esse litteras privatas. Id tamen nobis non est persuasum. Certe non sunt aliqua definitio in re fidei vel morum ex Cathedra data; sed inde non sequitur, eas esse tantum litteras privatas. Sunt illae epistolae revera aliquod documentum, quod Honorius ut Episcopus episcoporum mittit Patriarchae Cptano, qui ejus consilium petierat. At nullam

quae Honorius hac occasione in evolutione rationum Sergii et considerationum suarum scribit, aliquis error inveniretur, id sane dolendum esset, sed contra infallibilitatem Romani Pontificis ne minimum quidem praeberet argumentum. [1]) At revera nullus omnino fidei error in illis Honorii epistolis invenitur.

216. d/ Ex dictis jam patet, immerito documenta illa universim spectata afferri, ac si confirmatio aliqua Monotheletismi iisdem contineatur. Sed etiam peculiaria quaedam effata quae ab adversariis urgentur, nihil continent quod fidei contrarium sit. — Honorius igitur in responsione ad Sergium attingens ea quae hic scripserat, oeconomia videlicet quam proponebat utendum esse, *ne affirmari videantur in Christo duae voluntates contrariae*, dicit: *Unde et unam voluntatem fatemur D. N. Jesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto, quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata, ... sine peccato conceptus nullum experiens contagium vitiatae naturae ... Non est igitur assumpta a Salvatore vitiata natura, quae*

---

continent definitionem doctrinalem nullumque decretum auctoritativum de quaestione unius vel duplicis operationis, sed tantum suasionem hortatoriam de modo loquendi. Possunt videlicet esse et sunt Pontificum documenta publica, etiam responsiones ad episcopos, quibus, dum circa doctrinam versantur, monere, suadere, reprehendere, propositum est, quin intendant definitivam sententiam edicere, qua obstringatur tota Ecclesia: eoque ipso non est locutio ex Cathedra. Hujusmodi merito censentur epistolae duae Honorii Pontificis ad Sergium. Cfr. Franzelin, De Traditione, Thesis XVI.

[1]) De infallibilitate igitur Romani Pontificis ex Cathedra loquentis statuendum est idem, quod theologi communiter de infallibilitate Conciliorum oecumenicorum statuunt. Videlicet infallibiles sunt ipsae definitiones dogmaticae in genere fidei et morum. Sed hanc infallibilitatis auctoritatem non habent rationes et argumenta, quibus decisiones fidei fulciuntur, et alia quae interdum in illis documentis pro rerum evolutione adduntur et exponuntur. Haec omnia tamen magnam habent auctoritatem, et insigni cum reverentia sunt suscipienda.

repugnaret legi mentis ejus... Voluntas diversa non fuit aut contraria Salvatori, quia supra legem natus est humanae conditionis. Et siquidem scriptum est: Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris, et: Non quod ego volo, sed quod tu vis Pater, et alia hujusmodi, non sunt haec diversae (contrariae) *voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptae.* His igitur asserunt adversarii contineri professionem Monotheletismi, quum Honorius unam esse affirmet Christi voluntatem, et testimonia quae pro voluntate humana citari solent, ad quamdam dispensationem seu modum loquendi reducat.

217. Sed respondemus, nullum in hisce erroris vestigium inveniri. Honorius videlicet nihil aliud ibidem affirmat, nisi, non esse in Christo ut in aliis hominibus duas oppositas voluntates carnis et spiritus, sed unam esse voluntatem *humanitatis* Christi, eamque conformem voluntati Patris. Itaque textus non est intelligendus de divina Christi voluntate, sed loquitur Honorius ibidem *directe* de voluntate humanitatis. — Ita rem se habere, probatur 1° ex testibus Honorio coaevis. Quum videlicet brevi post mortem Honorii (638) Pyrrhus Patriarcha Cptanus abuteretur epistolis Honorii ad Sergium, Joannes IV P. M. (640-642) misit ad Constantinum Imperatorem *Apologiam* Honorii, in qua, ut ait, *subtilissima veritate quae ante brevis intercapedinem temporis gesta sunt* enarrat, et nonnisi de voluntate humanitatis Christi ab Honorio illa scripta esse, peremptoria affirmatione testatur. *Scientes*, inquit, *quod nullum in eo cum nasceretur et conversaretur esset omnino peccatum, decenter dicimus et veraciter confitemur, unam voluntatem in sanctae ipsius dispensationis humanitate, et non duas contrarias mentis et carnis praedicamus, secundum quod quidam haeretici velut in puro homine delirare noscuntur. Secundum igitur hunc modum jam dictus decessor noster praenominato Sergio patriarchae percontanti scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duae voluntates contrariae, id est in membris ipsius, penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex praevari-*

catione primi hominis. Eadem est expositio s. Maximi, qui in *disputatione cum Pyrrho*, et in *epistola ad Marinum* verborum Honorii dat aptissimam explicationem, simulque provocat ad testimonium Joannis Symponi Abbatis, qui Honorio a secretis fuerat, illasque epistolas scripserat. — Porro 2° ipse contextus satis ostendit, rem vere se ita habere. Legentibus enim patet, praeter divinam supponi humanam voluntatem Christi ab Honorio, eumque totum in eo esse, ut ostendat, in Christo non esse contrariam voluntatem carnis. De hac videlicet locutus fuerat Sergius, et secundum sensum quem ex ejus epistola perceperat eam removet Honorius, adeoque Christi humanitati unam voluntatem esse, convenit. Argumentatio Honorii id ostendit. Quia, inquit, a divinitate assumpta est natura nostra, non culpa, fatemur unam Christi voluntatem, scilicet eam, quae per se inest naturae humanae (recta et bona), non vero voluntatem carnis, quae est a culpa. — Haec autem humanitatis voluntas omnino conformis est cum voluntate Patris, et sic *indirecte* etiam indicatur unitas moralis voluntatis humanae et divinae in Christo. Considerandum vero est, eo facilius fieri potuisse, ut Honorius directe tantum de humanitate Christi loqueretur, quod quum Christi voluntatem dicimus, saepe de voluntate ipsius humana cogitamus. Divina enim ejus voluntas ei cum Patre et Spiritu sancto eadem est; humana vero soli Christo propria est, sicuti ipsa humana natura, et dum Christum (Verbum incarnatum) dicimus, hac voce veluti inducimur, ut ad ea mentem advertamus, quae ipsi ob naturam assumptam sunt própria.[1]) — Dein 3° hanc explicationem

---

[1]) Adversarii quidem urgent particulam illativam: *unde* et unam fatemur voluntatem, et contendunt, Honorium hac ratione ex unitate personae, de qua superius in epistola sua locutus erat, inferre unitatem numericam voluntatis in Christo. (Unus volens, ergo et una numero voluntas). Sed sine fundamento hoc asseritur. Imprimis ipsi particulae *unde* per se non necessario vis strictae illationis tribuenda est, sed generalem quamdam connexionem cum praecedentibus

non solum piam sed veram esse, ostendunt omnia quibus superius probavimus, Honorium abesse ab errore Monotheletarum et orthodoxam profiteri doctrinam. — 4° Quod Honorius scribit, verba Christi: *Non veni facere voluntatem meam* etc., non esse voluntatis diversae (i. e. contrariae), sed dispensationis humanitatis assumptae, tantum abest, ut faveat adversariorum placitis, ut Honorii orthodoxiam confirmet. Etenim qui opinantur, *dispensationem humanitatis assumptae* significare solummodo loquendi modum Christi accommodatum, ea statuunt, quae inepta sunt, et inaudita in theologia. Frequentissima enim ista locutio est apud Patres Latinos, ut sic humanam naturam li-

---

eadem frequenter exprimit. Dein vero quod Honorius statuit, non duas contrarias sed unam esse in Christo humanitatis voluntatem, recte ex praecedentibus infertur. Videlicet Christus est persona *divina*, a qua mira unitione assumpta est humana natura. In hac igitur *unione naturae humanae cum divinitate* ultima ratio est, cur non sit assumpta culpa sed natura, adeoque non duae sint voluntates, carnis et spiritus, sed una humanitatis voluntas plane conformis voluntati divinae. Atque hoc eo magis menti Honorii obversabatur, quod immediate ante adverterat: *Propter ineffabilem conjunctionem humanae divinaeque naturae, idcirco... dicitur et humanitas ex coelo cum divinitate descendisse.* — Omnino eodem modo loquitur s. Augustinus, dum explicat, quomodo Christus non fecerit voluntatem propriam. »Ut autem, inquit, Mediator Dei et hominum homo Jesus Christus non faceret propriam quae Deo adversa est voluntatem, non erat tantum homo, sed Deus et homo; per quam mirabilem singularemque, gratiam humana in illo sine peccato ullo posset esse natura. Propter hoc ergo ait: »Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui me misit,« ut ea causa esset tantae obedientiae, quae omnino sine peccato esset hominis quem gerebat, quia de coelo descenderat; hoc est, non tantum Deus, sed et homo erat.« Contra sermonem Arianorum n. 6. Ibidem plerique reliqui textus, qui ab Honorio afferuntur, pariter citantur. Jam alii merito animadverterunt, ab Honorio plurima ex Augustini scriptis videri deprompta, idque omnino suadetur, si Honorii expositio cum variis locis s. Augustini, praesertim cum ejus scriptis contra Arianos confertur. Praeter hunc locum vide: Contra Maximum Arianum l. II, c. 20. Enarratio in Ps. 93. nn. 28. 29. Sermo 77 in Matth. VI. De orat. dom. n. 6. Cfr. Schneemann, Studien über die Honorius Frage, c. 3.

bere assumptam significent.[1]) Et Honorius nihil aliud edicit, nisi illis verbis non probari voluntatem rebellem, sed exprimi, voluntaria et libera dispensatione ejusmodi affectus in Christi humanitate admissos fuisse, ut nobis exemplum praeberet.[2])

218. Superest, ut pauca dicamus de sententia, qua Honorius a Concilio oecumenico VI una cum Sergio, Pyrrho, Paulo et aliis Monotheletis damnatus fuit, ita quidem ut etiam appellatio haeretici ipsi applicaretur. — Manifestum 1° est, quum Honorius nullam ediderit definitionem ex Cathedra, sententia illa nullatenus edici, ipsum in aliqua definitione ejusmodi in errorem incidisse. Proinde quum infallibilitas Romani Pontificis intelligatur de definitionibus ejus ex Cathedra in re fidei et morum, immerito ex illa damnatione argumenta contra hanc doctrinam depromuntur. 2° Nemo negare potest, decretum alicujus Concilii eatenus tantem valere, quatenus accipitur et confirmatur a Romano Pontifice; et nonnisi consequenter ad hanc approbationem esse validum Concilii oecumenici decretum. Sed Leo II R. P., qui Concilium oecumenicum VI confirmavit, sententiam, quam Episcopi orientales de Honorio tulerant, eo sensu admisit, auctoritate sua apostolica explicavit, determinavit, vel correxit, ut Honorius damnatione nequaquam perstringatur, eo quod ipse Monotheletarum haeresi infectus fuerit, sed quod Sergium caeterosque Monotheletas non represserit, ut auctoritatem apostolicam de-

[1]) E. g. s. Hilarius: »Qui quum ex dispensatione homo esset, maneret tamen ex natura Deus.« De Trin. L. X. n. 66. — S. Augustinus: »Dispensatio carnis Christi huic vitae fidelibus necessaria est, per quam tendant ad Dominum.« Serm. 264. De ascensione Domini.

[2]) Ita etiam s. Augustinus: »Te praesignavit Dominus in sua infirmitate, non se; non enim timebat Dominus pati, tertia die resurrecturus. Ergo tristis fuit? Prorsus tristis, sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem: quomodo voluntate carnem veram, sic voluntate tristitiam veram. Sic ergo voluntate ostendit in se, ut si forte subrepserit tibi humana infirmitas, ... dirigatur in Deum cor tuum.« In Ps. 93. n. 19.

cebat, et quod sua imprudenti conniventia haereticorum consilia promovere visus sit. Quamvis videlicet Honorius quoad mentem suam et optimam intentionem merito excusari possit, tamen ejus agendi ratio *objective* spectata non satis provida nimisque negligens fuit, et occasionem dedit erroribus latius propagandis. Hoc sensu tantum damnationem Concilii VI a Leone II admitti et determinari, adeoque non aliam vim damnationis decreto convenire, patet ex epistola Leonis, qui in approbatione Concilii dicit: *Pariterque anathematizamus novi erroris inventores, id est Theodorum Pharanitanum episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, ... necnon et Honorium, qui hanc apostolicam Ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit.* Et in epistola ad episcopos Hispaniae scribit, damnatum esse Honorium, *qui flammam haeretici dogmatis, non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit, sed negligendo confovit.* [1]) Proinde non nisi hoc sensu sententia de Honorio lata vim habet atque valorem. 3° Sunt quidem, qui existimant, episcopos orientales in Concilio VI severius de Honorio judicasse, eumque condemnasse stricte ut haeresis reum, Leonem II vero hanc sententiam non admisisse sed abrogasse, seu potius modificasse, quatenus non haeresis sed negligentiae tantum eum damnavit.[2]) Attamen cum plurimis theologis censemus, etiam illos episcopos in Concilio VI haud damnasse Honorium ut haeresis propriae dictaereum. Id enim ex verbis quibus utuntur non probatur. Appellatio *haeretici* eo tempore non raro latiori sensu adhibebatur, ut eo nomine non solum significa-

---

[1]) Acta Concil. T. III. c. 1649. et 1730.

[2]) Haec est sententia, quam propugnavit Jos. Pennacchi in eximia sua dissertatione: De Honorii I causa. Recte animadvertit, latam ab episcopis orientalibus sententiam valorem neque ex subscriptione legatorum Apostolicae Sedis hausisse, quum hi carerent facultatibus opportunis et necessariis, ut latae damnationi subscriberent. Consequenter illam damnationem per se nullius esse roboris.

rentur, qui falsas doctrinas revera tenebant, sed etiam fautores haereticorum. Sic e. g. in Concilio Chalcedonensi Theodoretus conclamatus est haereticus, quamvis orthodoxam fidem susciperet, quia Nestorii personam nolebat anathematizare. Reliqua vero, quae a Concilio de Honorio dicuntur, aptissime ita accipi possunt, ut non formalem errorem in doctrina exprimant, eo vel magis, quod pluries a reliquis, qui damnantur, Honorius secernatur, et significetur, eum condescendisse haereticis et ita eos firmasse. Dicendum nobis videtur, in Concilio ratione generali damnationis sententiam latam fuisse in illos, quos relate ad turbas a Monotheletis excitatas culpae reos judicarunt, Patres tamen non clare et accurate determinasse, quo gradu Honorius reus sit. Dein vero Leo II apostolica sua auctoritate accuratius statuit et determinat, quo sensu Honorii damnatio rata habeatur et ipse poena anathematis cum haereticis coaequetur, videlicet propter negligentiam in exstinguenda haeresi.

Scholion II. Affectiones Christi ex natura.

219. Scholion II. — Ex iis quae praecedentibus articulis exposita sunt patet, Christum humanis affectibus naturalibus quae indecentiam non continent, doloribus et corruptioni obnoxium fuisse. Haec doctrina ad fidem pertinet, atque hac in re Monophysitae et Monotheletae in funestissimos inciderunt errores. [1] — Disputatum tamen fuit inter ipsos catholicos, utrum ejusmodi affectiones Christus ex naturae conditione seu insita naturae humanae infirmitate passus fuerit, an vero non naturaliter, sed extraordinaria lege, ita ut per miraculum naturalis impassibilitas suspenderetur, et locum daret doloribus quibus pro nobis

[1]) Jam diximus, Monophysitas in duas fuisse divisas factiones, *Incorrupticolarum* et *Corrupticolarum*. Primi tenebant, unicam quam statuebant Christi naturam dolori, passionibus et corruptioni non fuisse obnoxiam, et ita in Docetismum incidebant. Alteri haec unicae illi naturae atribuebant, adeoque divinitatem in Christo deterioratam esse fateri cogebantur, quod non minus impium quam absurdum.

Christus affligi voluit. Controversia haec praesertim saeculo XII agitata est inter Philippum Abbatem Bonae Spei, et Joannem quemdam monachum, qui dicitur Praepositus. Partem negantem suscepit Philippus, qui acrius contendit, Christi carnem, quia sine peccato concepta fuerat, nihil naturaliter pati potuisse. Joannes vero Praepositus asserebat, Christum libere et voluntarie talem adscivisse naturam humanam, quae naturaliter doloribus et passioni obnoxia erat, adeoque insita humanae naturae infirmitate illa pertulisse. Huic sententiae accessit etiam Hunaldus, quem bini illi viri elegerant arbitrum, eademque modo communis est theologorum doctrina, a qua recedere fas non est.[1] — Opportunum vero erit haec notare. Christi Domini anima propter unionem hypostaticam gaudebat semper visione beatifica; et veluti consequens ad hunc statum comprehensionis, humanae Christi naturae per se debitus fuisset status omnimodae felicitatis et impassibilitatis. Sed mira dispositione sapientiae suae et dilectionis erga genus humanum Christus voluit, ut ejusmodi conditio humanae naturae usque ad mortem non obtineret, sed ut eadem remaneret simul cum visione beatifica in connaturali sua infirmitate, ita ut in Christo simul esset status comprehensoris et status viatoris. Conjunctio haec utriusque status mira est et mysterium quoddam; sed eâdem posita sequitur, quod communi doctrina catholica statuitur, connaturali scilicet necessitate humanam Christi naturam humanis affectibus, passionibus et doloribus obnoxiam fuisse.

Articulus VII.

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM ET PERICHORESI, AC DE ERRORE UBIQUISTARUM.

220. Explicavimus quantum opus est in praecedentibus articulis rationem unionis hypostaticae, qua Verbum

---

[1]) Cfr. Perrone De Incarn. n° 285.

aeternum in tempore humanam assumpsit naturam, praecipuosque errores, quibus dogma catholicum impetitum fuit, refutavimus. Facili negotio nunc quaedam doctrinae capita explanabimus, quae cum praecedentibus intime cohaerent, et magni momenti sunt, ut de Incarnationis mysterio et Christo Verbo incarnato recte sentiamus ac loquamur. Atque imprimis de celebri in theologia communicatione idiomatum ac de perichoresi agemus, simulque refutabimus absurdam de ubiquitate corporis Christi doctrinam, quam Lutherani ad alios suos errores defendendos invenerunt.

221. *De communicatione idiomatum.* — Unam esse Christi personam, duas vero ejus naturas, divinam scilicet et humanam, quae distinctae et inconfusae in hypostatica unione permanent, ex demonstratis constat. Atque ex hoc dogmate fundamentali per se fluit doctrina de communicatione idiomatum i. e. proprietatum. Haec communicatio idiomatum spectanda est in ordine *ontologico* et in ordine *praedicationis.* — Eadem *ontologice* in eo est posita, quod Deus est homo per naturam humanam cum suis proprietatibus assumptam, et idem qui homo est ipse est Deus per naturam divinam sibi essentialem, naturis tamen impermixte et inconfuse permanentibus. Seu aliis verbis, quum per incarnationis mysterium una hypostasis sit duplicis naturae divinae atque humanae, inde fit, ut hypostasis haec subsistens et nominata secundum unam naturam, habeat etiam naturam alteram in qua subsistat, et utriusque proprietates. Sic igitur Deus vere est homo, naturam habens humanam ejusque proprietates, et hic homo (Jesus Christus) est vere Deus, habetque naturam divinam ejusque proprietates.

Communicatio idiomatum.

Ontologice.

Quamobrem in *ordine praedicationis* haec communicatio idiomatum postulat: 1° Ut de Deo ex rei veritate affirmentur omnia, quae affirmantur de hoc homine, et vicissim ut de hoc homine ex rei veritate affirmentur omnia, quae sive essentialia de Deo, sive hypostatica de Verbo praedicantur. Sed 2° genuina ratio communicationis idiomatum non si-

Quoad praedicationem.

nit, ut natura una naturaeque proprietates praedicentur de natura altera, neque permittit, ut humana abstracte significata (humanitas) praedicentur de Deo, sive ut divina significandi modo itidem abstracto (divinitas) praedicentur de homine, nisi forte sensu materiali ut aiunt et identico.

Illustratio. 222. Certe ut hanc communicationem idiomatum in ordine praedicationis aliquantisper illustremus, una est in Christo hypostasis duplicis naturae. Itaque de hac hypostasi secundum unam naturam ejusque proprietates significata, possum praedicare hypostasim eamdem significatam secundum alteram naturam ejusque proprietates. Hinc dicimus, idiomata praedicari mutuo *in concreto*, seu communicationem idiomatum locum habere *in concreto*, i. e. quum talia nomina seu vocabula adhibentur, quae ipsam personam, ipsum subjectum exhibent designatum ex una vel altera natura ejusve proprietate. Sic possum dicere: *Deus est homo*, et *hic homo est Deus*; *Unigenitus Patris natus est ex Maria*; *Filius Mariae est verus Deus*; *Natus ex Maria est aeternus.* — Facile etiam vides, de Christo, cujus est utraque natura, posse in concreto utramque naturam ejusque proprietates simul exhiberi. Sic dicitur: *Christus est Deus et homo*; *Christus est aeternus et natus in tempore.*[1]) Pariter etiam ea quae hypostatice de Verbo praedicantur, possum praedicare de hoc homine, v. g: *hic homo* (Christus) *est Unigenitus Patris.* Haec omnia facillime intelliguntur, dummodo unitas personae in Christo prae oculis habeatur.[2])

---

[1]) Coram simplicioribus tamen et rudibus utile esse potest, addere in quibusdam expressionibus brevem explicationem, e. g. Deus mortuus est secundum naturam humanam assumptam; Christus, hi homo, aeternus est secundum naturam divinam.

[2]) Quum in propositionibus negantibus praedicatum removeatur a subjecto omni ex parte, patet, id quod secundum unam naturam de Christo negatur, non posse simpliciter de ipso negari. Quapropter omnibus ejusmodi propositionibus negativis addenda est explicatio. Falsa esset propositio: Deus non est passus; sed dicendum est: Deus non est passus secundum naturam divinam.

223. Patet porro, eo ipso, quod naturae manent distinctae suasque retinent proprietates, non posse de una natura in abstracto alteram naturam ejusque proprietates praedicari. Sic non potest dici: *Humanitas est divinitas*, vel *humanitas est immutabilis*, *divinitas est passibilis*. — Pariter inter hypostasim divinam (Deus, Verbum), et inter naturam humanam per se spectatam non est identitas. Proinde de divinis etiam in concreto significatis non praedicantur humana in abstracto, ita ut dici nequeat: *Deus est humanitas*. — Et quum divina natura non sit homo sub formali ratione naturae, sed solum sub formali ratione secundae personae, patet locutiones: *Divinitas est homo*, et *homo est divinitas*, non posse usurpari sensu formali, quo plerumque accipi solent. Quia tamen sensu identico et materiali hypostasis divina est natura divina, [1]) aliquis sensus genuinus talium propositionum admitti potest.

224. Eo quem exposuimus modo tum in ordine ontologico tum in ordine praedicationis idiomatum communicationem locum habere, ipsa rei declaratione satis patet. Atque plurima sunt s. Scripturae et ss. Patrum effata, quibus haec idiomatum communicatio ostenditur et commendatur. Sic dicitur *Dominus gloriae crucifixus*, [2]) *auctor vitae interfectus*, [3]) et Christus se ipsum in terris degentem dicit *filium hominis qui est in coelo*. [4]) Patrum sententia colligitur ex omnibus argumentis et effatis eorum, quae attulimus demonstrantes, Christum verum Deum et verum hominem esse. Nestorius autem quum suos errores callide tegere studeret, inde maxime haeresis convictus est, quod negaret, Deum esse hominem, et hominem Deum, quodque Deum infantem, Deum passum, Deum mortuum esse, ut absurdum quid rejiceret. Unde etiam in s. Cyrilli anathematismo 4° definitur: *Si quis dividit personis dua-*

---

[1]) I. e. inter naturam divinam et hypostasim divinam secundam non est distinctio realis, sed eadem summa res est et natura divina et hypostasis quaevis.

[2]) 1 Cor. 2, 8. [3]) 1 Act. 1, 3. [4]) 1 Jo. 3, 13.

bus sive hypostasibus eas voces, quae in Evangelicis et Apostolicis scriptis continentur, vel a sanctis de Christo dicuntur, anathema sit.

225. Ex dictis etiam patet, quam longe absit communicatio idiomatum, sicuti sensu orthodoxo statuitur, ab ea, quae juxta Nestorianorum vel Monophysitarum placita locum haberet. Nestorius statuebat communicationem idiomatum quae sit inter duas hypostases, quarum una per conjunctionem moralem particeps fiat honoris, auctoritatis, et aliquot nominum alterius sensu quodam improprio. Perversam hanc doctrinam esse, ostendimus. Ex Monophysitarum errore sequebatur communicatio idiomatum inter ipsas naturas et earum proprietates, ita quidem ut formaliter naturae et proprietates unirentur et confunderentur. Quam absurda fuerit hujusmodi haeresis, pariter vidimus. Sed doctrina orthodoxa communicationem idiomatum repetit ex fundamentali veritate, in Christo unam hypostasim duplicis esse naturae, divinae atque humanae. Inde enim pulcherrima consecutione omnia ea fluunt, quae de hac re diximus.

Quaedam propositiones

226. Controversia fuit variis temporibus de quibusdam propositionibus, quarum significatio cum hac doctrina de communicatione idiomatum cohaeret. Quid dicendum sit de propositionibus: *Christus est servus, est creatus, est creatura*, superius jam explicavimus. — A Petro Fullone inducta fuit propositio: *Unus de Trinitate passus et crucifixus est;* atque is sensu monophysitico ea formula utebatur. Videlicet non secundum humanam naturam Christum passum esse volebat, sed ipsam divinitatem, unicam in Christo naturam passam esse insinuabat; quapropter assumptae carnis mentionem non fecit. Hinc accidit, ut aliqui doctores catholici ipsam propositionem rejicerent. Alii tamen animadvertebant, eam formulam per se sano sensu intelligi posse; etsi enim praetermittatur, commode tamen subaudiri posse, crucifixum esse et passum unum ex Trinitate secundum assumptam humanam naturam. Et sic explicata formula manifeste orthodoxa est. — Propo-

sitionem: *Deus factus est homo,* adhiberi posse, per se patet; in eadem enim vox *Deus* supponit pro secunda persona divina. At de propositione: *Homo factus est Deus,* aliter judicandum est. *Cum in hac propositione*, ait s. Thomas, *proprie accepta: homo factus est Deus, vox homo personalem habeat suppositionem, persona autem Filii semper Deus fuerit, eam esse falsam perspicuum est.*[1]) Addit tamen Angelicus Doctor: *Potest intelligi, ut ly factus determinet compositionem, ut sit sensus: Homo factus est Deus, id est, factum est ut homo sit Deus. Et sub hoc sensu utraque est vera, et: Homo factus est Deus, et, Deus factus est homo. Sed hic non est proprius sensus harum locutionum: nisi forte intelligatur secundum quod ly homo non habet personalem suppositionem sed simplicem. Licet enim hic homo non sit factus Deus, quia hoc suppositum, scilicet persona Filii Dei ab aeterno fuit Deus, tamen homo communiter loquendo non semper fuit Deus.* Unde ad verba s. Augustini: *Talis erat illa susceptio, quae Deum hominem faceret, et hominem Deum,*[2]) advertit Angelicus Doctor: *Illud verbum Augustini est intelligendum in illo sensu, secundum quod ex illa susceptione Incarnationis factum est, ut homo esset Deus et Deus esset homo.*[3]) — Atque haec de idiomatum communicatione sufficiant.

Perichoresis.

227. *De perichoresi.* — Quemadmodum relate ad sanctissimam Trinitatem frequenter apud Graecos Patres sermo est de perichoresi personarum trium, quarum est una natura divina, sic quoad Incarnationis mysterium non raro celebrant ipsi perichoresim duarum unius personae Christi naturarum. Eadem tamen parum differt a communicatione idiomatum. Nomine videlicet perichoresis intelligitur mutua naturarum in Christo inexistentia, circumincessio seu permeatio, quatenus hae naturae sunt in una hypostasi. Ad perichoresim duo requiruntur: 1° Ut quo-

Explicatur.

[1]) S. th. p. 3. q. 16. a. 7. [2]) De Trin. l. 1. c. 13.
[3]) S. th. l. c.

rum immanentia seu immeatio statuitur, sint atque remaneant realiter distincta; secus enim non habetur permeatio et immanentia, sed confusio. 2° Ut inter haec duo sit vinculum quoddam intimae unitatis, unde ejusmodi inexistentia et permeatio oritur. In Christo duae naturae distinctae in una hypostasi sunt indivulse unitae, ac propter hanc unitatem hypostaseos intima adest naturarum commeatio seu circumincessio. Non existit scilicet una natura separata ab altera et veluti juxta ipsam posita, sed propter unitatem hypostaseos sibi inexistunt et immanent naturae. Egregie s. Leo Papa id ita exponit: *Hoc catholica fides tradit, hoc exigit, ut in Redemptorem nostrum duas noverimus convenisse naturas, et manentibus proprietatibus suis tantam factam unitatem utriusque substantiae, ut ab illo tempore, quo sicut humani generis causa poscebat, in B. Virginis utero Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem liceat sine hoc cogitare quod Deus est. Exprimit quidem sub distinctis actionibus veritatem suam utraque natura, sed neutra se ab alterius connexione disjungit. Nihil ibi ab invicem vacat; tota est in majestate humilitas, tota in humilitate majestas, nec infert unitas confusionem, nec dirimit proprietas unitatem... Suscepit ergo totum hominem Deus, et ita se illi atque illum sibi misericordiae et potestatis ratione conseruit, ut utraque alteri natura inesset, et neutra in alteram a sua proprietate transiret.* [1])

228. Quum formalis perichoresis ratio sit personae unitas, in ordine *reali* eadem huc redit, quod hypostasis divinae naturae habet etiam inde ab incarnatione humanam naturam substantialiter unitam ut suam, et hic homo, seu hypostasis significata ut habens humanam naturam, habet etiam divinam naturam identificatam realiter cum ipsa hypostasi. Ex tempore igitur incarnationis nec Deus Verbum est, quin sit homo, nec hic homo Jesus est, quin

[1]) De Passione Serm. 3.

sit Deus. — Hinc etiam in ordine *logico* perichoresis est in eo, quod dum facta incarnatione concipio et nomino Deum Verbum, concipio et nomino illum, qui inseparabiliter est homo, et vicissim dum concipio et nomino hominem Jesum, concipio et nomino illum, qui est ipsum Deum Verbum. Sic ratione unitatis hypostaseos etiam conceptus et nomina in se veluti commeant, ac se includunt. *Sicuti,* ait s. Gregorius Nazianzenus, *naturae quodammodo miscentur* (i. e. intime uniuntur propter unitatem personae), *ita et nomina commutantur et in invicem commeant ratione unionis.*[1]) — Ex his omnibus satis patet, ipsam perichoresim seu inexistentiam et commeationem naturarum propter unitatem hypostasis, intime nexam esse cum idiomatum communicatione, seu potius in pleniore ejus consideratione jam contineri.[2])

Ubiquistarum error.

229. *De errore Ubiquistarum.* — Quaedam hic dicenda occurrunt de miro Lutheranorum errore, quo corpus Christi ubique esse statuerunt. Quamvis enim hoc tempore jam ab ejusmodi opinione plerique recesserint, celeberrima tamen fuit saeculo XVI controversia cum Lutheranis de ubiquitate corporis Christi. Lutherus videlicet, sicuti transsubstantiationem rejecit, ita etiam negavit, vi verborum sacerdotalium corpus Christi in Eucharistia praesens constitui. Ut nihilominus praesentiam corporis Domini in sub et cum pane teneret, audacter pro more suo decrevit, corpus Christi vi incarnationis ubique praesens esse, adeoque etiam in Eucharistia per se adesse. Atque hanc sententiam de ubiquitate corporis Christi plures ex discipulis ejus per aliquod temporis spatium acerrime contra catholicos vindicarunt, unde et Ubiquistarum vel Ubiquitariorum appellationem adepti sunt.[3]) Et primum quidem rem

---

1) Epist. 1, ad Cledonium.

2) Cfr. Franzelin, De Verbo incarnato p. 342.

3) Inter Lutheranos praesertim Brentius et Schmidelinus illum errorem propugnaverunt; inter Catholicos vero eum refutarunt cum aliis Bellarminus De Christo l. III. c. 11 et sqq. et Gregorius de Valentia contra Ubiquitarios.

eo convincere conati sunt, quod per incarnationem omnia attributa divina fiant attributa humanae naturae, ita quidem, ut humana Christi natura formaliter omnipotens, immensa et consequenter ubique praesens facta sit. Hoc modo Monophysitismum diserte instaurabant. Quum videlicet attributa divina realiter non distinguantur ab ipsa divina essentia, inde jam sequebatur, divinam naturam propriam factam esse naturae Christi humanae, seu unam ex duabus coaluisse naturam. — Quando autem haeretici illi animadverterunt, se hac ratione facile argui impii et absurdi erroris, aliter sententiam suam explicare nisi sunt. Statuerunt videlicet, quemadmodum sanctitas ut donum creatum humanae Christi naturae communicata est, ita et immensitatem et omnipraesentiam eidem ut charisma aliquod communicatas fuisse. Multi in hac opinione, uti a Lutheranis proponebatur, inerant errores, quos tamen exponere longum est minusque necessarium, quum haeresis illa jam a plerisque Lutheranis relicta sit. Pauca igitur sufficit animadvertere.

Sana doctrina.

230. Christus, ut omnes Catholici profitentur, secundum divinam naturam immensus est et ubique praesens, sed nullatenus ubique praesens est secundum humanam naturam. Haec enim etiam post hypostaticam unionem loco circumscripta manet. Id evidenter docetur in sacris Litteris; frequenter enim legitur, Christum de loco in locum transiisse, modo in montem *ascendisse*,[1] modo ad turbas *descendisse*,[2] modo in templo, non autem apud parentes fuisse,[3] modo *relicta* Judaea in Galilaeam *abiisse*.[4] Talis vero mutatio loci in omnipraesente natura concipi nequit. Postremo Christus ab Apostolis suis *recessit et ferebatur in coelum*.[5] Profecto divinitas Christi nec recessit ab Apostolis, nec ferebatur in coelum; sequitur proinde, humanitatem recessisse, adeoque non ubique praesentem esse. Patrum plane eadem sententia est, et

---

1) 1 Matth. 5, 1. 2) Matth. 8, 1. 3) Luc. 2, 46.
4) Jo. 4, 3. 5) Luc. 24, 51.

s. Augustinus disertis verbis Ubiquistarum errorem jam refutavit. *Cui*, inquit, *immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam* (nempe humanitatem) *non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ita divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem auferamus corporis. Non est enim consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus.*[1] — Itaque Verbum, quod unitum est humanae naturae et per hanc homo, est quidem ubique, nec tamen humana natura unita Verbo ubique est. Quod ut comparatione aliqua illustremus, anima sane intime unita est capiti hominis viventis, illudque informat. Nec tamen inde sequitur, ubicumque est anima, ibi et caput esse. Anima enim est in toto corpore, non vero caput; latius enim patet praesentia animae caput informantis, quam praesentia capitis. Sic etiam Verbum habens humanam naturam sibi hypostatice unitam immensum est et ubique praesens, sed humana natura circumscripta est, eique omnipraesentia non convenit.

231. Animadvertendum est, hic non inquiri, utrum *potuerit* Deus efficere, ut corpus Christi omnibus creaturis praesens esset. Hoc absolute non repugnat; at non vi unionis hypostaticae, sed novo aliquo miraculo id eveniret. Revelatio autem nos docet, rem non ita sese habere, et corpori Christi omnipraesentiam non convenire. — In sanctissimo quidem Eucharistiae sacramento, certe idem numero corpus gloriosum Domini per transsubstantiationem multis in locis ac multis sub speciebus praesens constituitur. Id in hoc mysterio fieri admirabili et stupendo modo, replicatione videlicet ut plurimi theologi dicunt, fides nos docet; sed aliud plane id est, quam ineptus error Lutheri de ubiquitate corporis Christi. Imo Lutherus, ne catholicam de transsubstantiatione doctrinam admitteret, ineptissimos illos errores ferrea fronte proclamavit.

232. Scholion. — Opportune hoc loco notatur, in tri- **Scholion.**

---

[1]) Epist. 187. n° 10.

De triduo mortis Christi.

duo mortis Christi Verbum et cum corpore, et cum anima Christi hypostatice unitum remansisse. In Symbolo enim Christus verus Dei Filius et sepultus dicitur et descendisse ad inferos. *Credo in Jesum Christum, qui crucifixus est, mortuus et sepultus, descendit ad inferos etc.* Quoad corpus videlicet Christus sepultus est, quoad animam descendit ad inferos, et utrique Verbum hypostatice unitum erat. *In tantam unitatem*, ait s. Leo M., *Dei et hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dividi, nec morte disjungi.* [1]. Et perspicue Catechismus Concilii Tridentini docet: *Neque vero hoc solum credimus, Christi corpus sepultum esse, sed illud praecipue his verbis credendum proponitur, Deum sepultum esse, quemadmodum ex fidei catholicae regula verissime etiam dicimus, Deum mortuum et ex Virgine natum esse. Nam quum divinitas nunquam divisa fuerit a corpore quod in sepulchro conditum est, recte confitemur, Deum sepultum esse.* [2]

Articulus VIII.

DE DOTIBUS HUMANAE CHRISTI NATURAE.

Dotes hum. nat. Christi.

233. Jam innuimus, propter unionem hypostaticam summas gratias et maxima dona in humanam Christi naturam redundasse; modo igitur de illis dotibus et ornamentis paulo accuratius nobis agendum est. Praecipua autem haec dona sunt summa *sanctitas* atque *scientia* humanae Christi naturae; cohaeret praeterea cum gratia unionis hypostaticae et plenitudine gratiae infusae, quod Christus ut homo *caput sit hominum et angelorum*, quodque *absoluta ipsi convenerit impeccabilitas.* De his igitur, omissis quaestionibus subtilioribus, ea dicemus, quae communi theologorum doctrina explorata habentur.

Gratia et sanctificatio.

234. *De gratia et sanctificatione humanitatis Christi.*

---

[1]) Serm. 17 de passione.

[2]) Parte 1. art. 4. n° 11.

Duplici ratione humanitas Christi sanctificata fuit. Imprimis videlicet sanctificata fuit *immediate ex unione hypostatica ipsa sanctitate substantiali,* quae est Verbum. In puris creaturis sanctificatio supernaturalis non fit, nisi per assimilationem quamdam participatam, qua Deo intimius conjunguntur. Haec assimilatio et deiformitas, quamvis ipsum esse creaturarum afficiat, tamen accidentalis est, nec inde habetur vel haberi postest substantiva unio cum ipsa sanctitate essentiali, ut unum subjectum cum Deo fiant. Sed in Christo humana natura Deo, essentiali sanctitati, substantive unitur. Quamvis igitur humana natura non fiat ipsa sanctitas essentialis, tamen hic homo Christus, sicuti naturam humanam, ita et divinam naturam seu sanctitatem essentialem habet ut suam. Ex ipsa unione hypostatica igitur natura Christi humana sanctificatur sanctitate objective infinita, non tanquam per formam inhaerentem, sed per conjunctionem ipsius substantivae sanctitatis seu divinae naturae cum humana natura in una Verbi persona. Natura humana sic Dei facta seu deificata tum excludit omne peccatum, tum summum objectum est complacentiae Dei, et jus connaturale habet ad visionem beatificam. Ex hac etiam substantiva sanctificatione, quae ipsa unione hypostatica continetur, fluunt tanquam ex radice omnia reliqua dona creata, quae naturam humanam Christi ipsi inhaerendo elevant atque sanctificant. De his statim sermo erit.

Sanctificatio substantiva.

Hanc sanctificationem ex unione hypostatica nomine *unctionis* saepe in ss. Scripturis et Patribus legimus expressam. Sic s. Paulus citat illa verba Psalmi de Christo: *Ad Filium autem* (dicit)*: Thronus tuus Deus in saeculum saeculi: virga aequitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem: propterea* (quod) *unxit te Deus, Deus tuus prae participibus tuis*[1]*).* Et s. Joannes Damascenus: *Ipse*, inquit, *se ipsum unxit, ungens quidem ut*

---

[1]) Hebr. 1, 5. 9.

Deus corpus divinitate sua, unctus autem ut homo, ipse enim est hoc et illud; est vero divinitas unctio humanitatis.[1])

Sanctificatio per dona.

235. Praeter hanc sanctificationem substantivam, quae per ipsam gratiam unionis hypostaticae constituitur, alia fuit sanctificatio humanitatis Christi *per gratiam sanctificantem et multiplicia dona ei nexa.* Hoc ornatu ipsi inhaerente *formaliter* anima Christi sanctificabatur. Hujus sanctificationis necessitatem, indolem, et connexionem cum sanctificatione substantiva per unionem hypostaticam breviter et perspicue explicat Franzelin hac ratione: *Verbum seu divinitas nec est nec potest esse forma sanctificans humanitatem eidem inhaerendo ut formalis ejus sanctitas; exigit tamen ipse status infinitae elevationis humanae naturae quae facta est natura Verbi, intrinsecam formalem perfectionem ac deiformitatem supremam in praesenti ordine possibilem. Haec autem formalis perfectio et deiformitas naturae rationalis est per ornatum gratiae et per habitus supernaturales, quorum omnium finis et ultima velut terminatio est in visione et fruitione beatifica. Sicut ergo humanae naturae ratione unionis hypostaticae, seu Christo secundum humanam naturam, ut Filio Dei naturali debetur visio et fruitio beatifica, ita debetur ei etiam intrinsecus formalis ornatus inhaerens naturae ac perfectio gratiae, quae secundum legem saltem ordinariam praesupponitur velut dispositio ad hanc ipsam visionem. Sic igitur sanctificatio per Verbum hypostatice unitum est principium et radix deiformitatis naturam humanam in se ipsa et ab intrinseco informantis.*[2]) Anima igitur Christi summo gradu ornata fuit gratia sanctificante, simulque omnibus habitibus infusis, quae Christo convenire poterant. Sic inerant huic animae omnes virtutes, exceptis tantum iis, quae ei propter unionem hypostaticam summamque suam perfectionem inesse non poterant. *Sicut*

---

[1]) De fide orthod. l. 3. c. 3.
[2]) De Verbo Incarn. Thesis LXI

gratia, ait s. Thomas, *respicit essentiam animae, ita virtus respicit potentiam ejus. Unde oportet, quod sicut potentia animae derivatur ab ejus essentia, ita virtutes sint quaedam derivationes gratiae. Quanto autem aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus. Unde quum gratia Christi fuerit perfectissima, consequens est, quod ex ipsa processerint virtutes ad perficiendum singulas potentias animae, quantum ad omnes animae actus: et ita Christus habuit omnes virtutes.* [1])

236. Perfectissime etiam in Christo erant dona Spiritus sancti, quae sunt *perfectiones quaedam potentiarum animae, secundum quod sunt natae moveri a Spiritu sancto.* [2]) Plenitudinem hanc donorum Spiritus sancti Isaias propheta futuro Messiae attribuit vaticinio illo: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.* [3]) Quo modo autem Christus habuerit spiritum timoris Domini, praeclare explicatur a s. Thoma. *Dicendum est*, inquit, *quod in Christo fuit timor Dei, non quidem secundum quod respicit malum separationis a Deo per culpam, neque etiam secundum quod respicit malum punitionis pro culpa, sed secundum quod respicit ipsam divinam eminentiam, prout scilicet anima Christi quodam*

---

[1]) S. th. p. 3. q. 7. a. 2. — Advertit Angelicus Doctor, fidem in Christo non potuisse locum habere, et spem tantum relate ad quaedam bona. »Cum Christus, ait, a primo instanti conceptionis suae plene per essentiam Deum viderit, nullo modo fides in eo esse potuit.« S. th. p. 3. q. 7. a. 3. — Et: »Cum Christus a principio suae conceptionis plene fruitionem Dei habuerit, impossibile fuit, in ipso fuisse spem, nisi eorum, quae non plene fuerat adeptus; sicut sui corporis immortalitatem et gloriam sperabat.« Ibidem a. 4. Per se patet, etiam poenitentiam in Christo esse non potuisse.

[2]) S. Thomas, s. th. p. 3. q. 7. a. 5. — Cfr. Tractatum de Gratia nº 10.

[3]) Is. 1. 2.

affectu reverentiae movebatur in Deum a Spiritu suncto acta. Unde Hebr. V. 7 dicitur, quod in omnibus exauditus est pro sua reverentia. Hunc enim affectum reverentiae ad Deum Christus, secundum quod homo, prae caeteris habuit pleniorem. Et ideo ei attribuit Scriptura plenitudinem timoris Domini. [1])

237. Pariter etiam omnibus gratiis gratis datis humanitas Christi ornata fuit. Gratiae gratis datae videlicet dicuntur illae, quae ad commodum et utilitatem aliorum conferuntur; maxime eaedem ordinantur ad fidei et spiritualis doctrinae manifestationem. *Oportet enim*, ait s. Thomas, *qui docet habere ea, per quae sua doctrina manifestetur; alias ejus doctrina esset inutilis. Spiritualis autem doctrinae et fidei primus et principalis doctor est Christus secundum illud Hebr. 2, 3: Cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis. Unde manifestum cst, quod in Christo excellentissime fuerunt omnes gratiae gratis datae, sicut in primo et principali fidei doctore.* [2])

Tempus.

238. Jam quod attinet ad *tempus*, quo gratiarum omnium ornatus Christi animae collatus fuit, dicendum est, inde ab initio incarnationis id factum esse. Etenim gratia in Christo non est fructus meritorum, sed est connaturalis ornatus, qui debetur dignitati naturae humanae Filii Dei. Haec dignitas exsurgit ex ipsa unione hypostatica, et inde ab initio hujus unionis hypostaticae etiam omnibus illis gratiis anima Christi ornata fuit. — Quod vero spectat ad *perfectionem* gratiae creatae quae Christo collata est, pariter propter unionem hypostaticam summo gradu Christo gratia haec convenit. Gratia quidem haec habitualis non potest esse quoad essentiam suam ontologice infinita, sed tanta est, ut in ordine praesenti providentiae Dei major esse nequeat; respondet videlicet ejus

Perfectio summa.

---

[1]) S. th. p. 3. q. 7. a. 6 [2]) S. th. p. 3. q. 7. a. 7.

mensura secundum definitionem divinae sapientiae unioni hypostaticae, qua major conjunctio cum Deo esse nequit. [1])

239. Hinc etiam *plenitudo gratiae* sensu peculiari et proprio in Christo fuisse dicitur. Quo magis videlicet aliqua creatura ad Deum accedit, eo magis de bonitate ejus participat et abundantioribus donis ex Dei influentia repletur. Sic, ut comparatione utamur, ignis calorem ille magis participat, qui propinquius ad ignem accedit. Nullus autem modus esse potest, quo aliqua creatura propinquius Deo adhaereat, quam is, ut ei in unitate personae conjungatur. Ex ipsa hac igitur unione hypostatica sequitur, quod anima Christi prae caeteris omnibus creaturis gratiarum donis fuerit plena. Habet videlicet gratiam in maxima intensione et excellentia qua potest haberi, et in maxima extensione ad omnes gratiae effectus. Unde

---

[1]) S. Thomas. s. th. p. 3. q. 7. a. 12. ad 2. — Eadem gratia etiam quodam sensu infinita dici potest, uti Angelicus Doctor praeclare exponit. Et quidem 1º ex parte recipientis.. »Manifestum est enim, uniuscujusque naturae creatae capacitatem esse finitam, quia etsi infinitum bonum recipere possit cognoscendo et fruendo, non tamen ipsum recipit infinite... Sic igitur gratia Christi habitualis finita quidem est secundum essentiam, sed infinite et non secundum mensuram dari dicitur, quia tantum datur, quantum natura creata potest esse capax.« 2º Ex parte ipsius doni recepti. »Quidquid ad rationem gratiae potuit pertinere, totum Christus accepit. Alii autem non totum accipiunt, sed unus sic, alius autem sic; divisiones enim gratiarum sunt.« 3º Ex parte causae. »In causa enim quodammodo habetur effectus. Cuicumque ergo adest causa infinitae virtutis ad influendum, habet quod influitur absque mensura et quodammodo infinite: puta, si quis haberet fontem, qui aquas in infinitum effluere posset, aquam absque mensura et infinite quodammodo diceretur habere. Sic igitur anima Christi infinitam et absque mensura gratiam habet ex hoc ipso, quod habet Verbum sibi unitum, quod est totius emanationis creaturarum (adeoque et gratiarum) indeficiens et infinitum principium.« Compend. theol. ad fr. Reginaldum c. 215. — Alias rationes, propter quas gratia in Christo infinita dici potest, vide ap. Lessium, De Incarn. q. 7. a. 9. et ap. Schouppe, De Incarnat. c. 2. q. 7.

etiam in Evangelio legimus: *Vidimus eum quasi Unigenitum a Patre, plenum gratiae et veritatis.* [2])

240. Doctrina exposita qua statuitur, praeter sanctificationem per ipsam gratiam unionis hypostaticae, etiam sanctificationem per gratiam habitualem et habitus infusos Christo convenire, talis est, ut omnes eam habeant saltem ut *theologice certam.* Suaresius existimat, eam etiam ad fidem catholicam ita pertinere, ut qui eam negaret haereticus esset. Alii tamen, ut Vasquez et De Lugo, non quidem notam haeresis, sed temeritatis neganti infligendam esse, censent; proinde de certitudine doctrinae plenus est consensus. — Qua ratione porro cum gratia sanctificationis in Christo etiam ea cohaereat, quae dicitur *gratia Capitis,* inferius videbimus. Modo de scientia Christi breviter agemus.

Scientia Christi.

240. *De scientia Christi.* — Christus Dominus secundum divinam suam naturam sicuti caetera divina attributa, ita etiam divinam infinitam scientiam habebat. De hac scientia hic non quaeritur, sed consideranda nobis est perfectio sapientiae et scientiae, quae humanae naturae Christi inerat. — Triplex praecipue scientia distingui solet. 1° *Visio Dei beatifica,* quae in clara Dei intuitione consistit, et angelorum ac beatorum est; ex eadem ipsa beata fruitio Dei consequitur. Hac visione igitur essentia Dei cognoscitur, et in divina essentia, prouti est omnium rerum causa exemplaris et efficiens omnisque veri fons et origo, viden-

---

[1]) Gratiae igitur plenitudo propria est Christo, quia habet gratiam plenam ex parte ipsius gratiae. Aliis nonnunquam tribuitur plenitudo gratiae propter certam intensionem et extensionem gratiae secundum conditionem subjecti. »Ex parte subjecti, ait s. Thomas, dicitur gratiae plenitudo, quando quis habet plene gratiam secundum suam conditionem, sive secundum intensionem, prout in eo est intensa gratia usque ad terminum praefixum ei a Deo secundum illud Ephes. 4, 7: Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi; sive etiam secundum virtutem, inquantum scilicet habet facultatem gratiae ad omnia, quae pertinent ad suum officium sive statum.« S. th. p. 3. q. 7. a. 10.

tur alia vera distincta a Deo. 2° *Scientia infusa* ea est, qua per species seu notiones a Deo infusas res et veritates in seipsis cognoscuntur. Talis scientia fuit e. g. in primo homine. 3° *Scientia acquisita* ea nuncupatur, quae propriis naturae viribus et experientia acquiritur. Certissimum porro est, triplicem hanc scientiam excellentissima ratione in Christo fuisse, ita ut tum perfectissimam habuerit scientiam visionis beatificae, tum perfectissimam scientiam infusam et acquisitam.

Visio beatifica.

242. Ad visionem igitur beatificam quod spectat, consentiunt jam omnes Doctores catholici, animam Christi statim ab initio creationis suae clara Dei visione fruitam esse. Haec visio beatifica ob ipsam unionem hypostaticam, qua major cum Deo conjunctio haberi non potest, quaque summam excellentiam anima Christi habebat, huic animae connaturalis erat et debita, idque perfectissimo gradu. Praeclare hac de re Angelicus Doctor scribit: *Conveniens fuit, ut prae caeteris creaturis illa anima divina visione beatificaretur, quae Deo propinquius conjungebatur: in qua quidem visione gradus attenditur, secundum quod aliqui clarius Deum vident, qui est omnium rerum causa. Quanto autem aliqua causa plenius cognoscitur, tanto in ipsa plures effectus perspici possunt. Et inde est, quod eorum qui essentiam Dei vident, aliqui plures effectus vel rationes divinorum operum in ipso Deo inspiciunt, quam alii, qui minus clare vident... Anima igitur Christi summam perfectionem divinae visionis obtinens inter creaturas caeteras, omnia divina opera et rationes ipsorum quaecumque sunt, erunt, fuerunt, in ipso Deo plene intuetur.* [1])

243. Non est tamen haec visio beatifica humanae animae Christi talis, ut sit cognitio Dei comprehensiva. Cuivis enim creaturae impossibile est Deum comprehendere, adeoque et animae Christi; sed secundum suam naturam divinam sapientiâ increata Christus Deum comprehendit.

---

[1]) Compend. th. c. 216.

Non tamen, ait s. Thomas, *anima Christi ad comprehensionem divinitatis pertingere potest. Nam illud cognoscendo comprehenditur, quod tantum cognoscitur, quantum cognoscibile est. Unumquodque enim cognoscibile est, in quantum est ens et verum; esse autem divinum est infinitum, similiter et veritas ejus. Infinite igitur Deus cognoscibilis est. Nulla autem creatura infinite cognoscere potest, etsi infinitum sit, quod cognoscit. Nulla igitur creatura Deum comprehendere potest. Est autem anima Christi creatura, et quidquid in Christo ad humanam naturam tantum pertinet creatum est: alioquin non erit in Christo alia natura humanitatis a natura divinitatis, quae sola increata est... Anima igitur Christi Deum non comprehendit, sed Christus Deum comprehendit sua sapientia increata.* [1]) Est proinde illa visio beatifica animae Christi, sicuti gratia ejus, non ontologice infinita, sed quamvis finita, tamen perfectissima eo summo gradu, qui in ordine praesentis providentiae secundum sapientia Dei consilia locum habere potest.

Christus comprehensor et viator.

244. Christus igitur ante passionem secundum animam plene videbat Deum; et sub hoc respectu erat in statu eorum, qui jam beatitudinem obtinent, ideoque comprehensores dicuntur, secundum illa Apostoli: *Sic currite, ut* (bravium) *comprehendatis.* [2]) Sed simul ejus anima passibilis erat, corpusque pariter passibile et mortale, adeoque quoad haec adhuc deerat ei beatitudo, ejusque status simul erat status viatoris. Viatores enim dicuntur, qui adhuc in beatitudinem tendunt. Ex utriusque status, comprehensoris et viatoris, conjunctione, quae sane a nobis plene intelligi nequit, etiam repetendum est, quomodo in Christo simul summum gaudium ex visione beatifica consequens, et maxima tristitia esse potuerit. Secundum legem ordinariam quidem illo gaudio ex visione beatifica dimanante passio et tristitia excluduntur, at sicut genera-

---

[1]) Ibidem. [2]) 1 Cor. 9, 24.

tim admirabili Dei dispositione factum est, ut in Christo Domino simul esset status comprehensoris et viatoris, sic etiam ea in ipso simul obtinent, quae utrique statui propria sunt. Gaudium summum igitur in anima Christi erat de beatificae visionis objecto principe et de objectis secundariis eadem visione cognitis, sed tristitia summa libere suscepta de objectis variis, quae cognitione viatoris tum infusa tum acquisita cognoscebantur. Repugnat quidem, ut de eodem objecto sub eodem respectu et ex eodem cognitionis fonte apprehenso simul habeatur gaudium et tristitia; sed non repugnat absolute, ut de diversis objectis et ex diversa ratione gaudium adsit simul in anima et tristitia.

245. Sic idem homo eodem tempore de recuperata sanitate summopere gaudere, et de ablata sibi pecunia tristis esse potest. Et quamvis connaturaliter visione beatifica omnis tristitia excludatur, tamen dispensatione supernaturali, uti status comprehensoris et viatoris universim in Christo uniebantur, sic etiam gaudium et tristitia conjungi poterant. Huc pertinet quod dicit s. Thomas: *Virtute divinitatis Christi dispensative sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabatur ad corpus, ne ejus passibilitas et mortalitas tolleretur; et eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quod non derivabatur ad vires sensibiles, ne per hoc dolor sensibilis excluderetur.* [1])

Scientia infusa.

246. Quod ad *scientiam infusam* spectat, conveniunt pariter Doctores catholici, in anima Christi inde ab initio existentiae ejus perfectissimam fuisse scientiam infusam. Doctrinam hanc ex s. Scriptura et Patribus probant; rationem vero praecipuam repetunt ex summa perfectione et

---

1) S. th. p. 3. q. 15. a. 5. ad 3. — Erat tamen, uti jam diximus, etiam in mente Christi tristitia, quod ex eadem dispensatione supernaturali divina repetendum est. Cfr. de hac quaestione, Tournely, De Incarn. Q. 11. a. 2. Albertus a Bulsano O. C. Compend, theol. dogm. spec. P. 3. Sect. 1. c. 1. § 222.

elevatione naturae humanae Christi propter unionem hypostaticam, qua omnibus plane creaturis infinito fere gradu sublimior et excellentior erat. Hac igitur scientia infusa Christi anima non tantum omnia naturalia, omnes actus liberos hominum et angelorum, cogitationes et secreta cordium cognovit, sed etiam omnia supernaturalia, ut sunt mysteria fidei, perspecta habuit. — *Acquisitam* postremo *scientiam* pariter in Christo fuisse, communis est et certa doctrina. Etiam secundum hanc nihil unquam ignoravit Christus eorum, quae pro tempore et loco tali scientia ab eo cognosci decebat. Patet vero, hanc scientiam gradatim Christo advenisse, et augmenti capacem fuisse.

Acquisita.

Objectio.

247. Quoad perfectionem scientiae Christi difficultas aliqua oriri videtur ex iis, quae Christus dicit de die judicii: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater.*[1] Agnoëtae, secta quaedam Monophysitarum, duce Themistio Alexandrino inde probare nitebantur, Christum plura ignorasse. Praeterea afferebant textum, quo imperfectio quaedam scientiae Christi exprimi videtur, videlicet illa Evangelii verba: *Jesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines.*[2] De sensu igitur utriusque effati opportunum erit pauca dicere.

Diluitur.

248. Prius effatum non ita accipi potest, ac si revera Christus secundum scientiam, qua ejus anima humana ornata erat, diem judicii nesciverit, ita ut eum tantum divina intelligentia noverit. Hoc enim non congruit cum perfectissima illa scientia, quae Christi animae, uti exposuimus, conveniebat, nec juxta doctrinam catholicam id teneri potest. Quo vero sensu dicatur Filius ignorare diem judicii, varie exponunt interpretes. Nulla autem aptior ac stylo Scripturae magis consentiens videtur expositio ea, qua statuitur, Christum dicere, se hunc diem nescire, quia non aperit et revelat. Filius videlicet hominibus ea omnia quae mandat Pater manifestat et revelat, quemadmo-

---

[1]) Marc. 13, 31. [2]) Luc. 2, 52.

dum ait: *Ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar.* [1] Sic etiam: *Omnia,* inquit, *quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* [2] Quibus verbis sane non significat, nihil aliud se audivisse et nosse, sed quaecumque communicanda hominibus acceperat a Patre, se Apostolis revelasse. Non audivisse igitur respectu hominum dici potest ea, quae ex voluntate Patris non erant revelanda, eodemque sensu non novit Filius respectu hominum ea, quae ipsis non sunt communicanda. Ad haec autem pertinet dies et hora futuri judicii. *Bene accipitur,* ait s. Augustinus, *nescire Filium sic dictum esse, quia facit nescire homines, id est non prodit eis quod inutiliter scirent.* [3]

249. Aliqui ex ss. Patribus, quum Ariani illud effatum contra divinitatem Verbi objicerent, videntur quidem respondisse, Christum ignorasse diem judicii secundum humanam naturam. Sed animadvertendum est, obiter tantum eos hanc quaestionem data illa responsione tetigisse. Quum Ariani divinitatem Verbi impugnarent, illi Patres ejusmodi argumentum declinabant, respondentes, illud ad rem non pertinere, quum ad naturam humanam Christi referri possit, quod isto textu dicitur. Quando vero accuratius ss. Patres de illo effato agunt, non admittunt, Christum simpliciter secundum humanam naturam diem judicii ignorasse, sed vel ea quam proposuimus solutione utuntur, vel alia. Sunt v. g., qui subtilius respondent, diem illum ignorari etiam a Filii humana natura, quatenus haec secundum meram suam essentiam spectatur, ita ut non ex nativa ejus indole illa scientia proveniat. Sic s. Gregorius M.: *Unigenitus,* inquit, *factus pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis novit diem et horam judicii;*

---

[1]) Jo.12, 49.

[2]) Jo. 15, 15.

[3]) Libro 83 quaestionum, q. 60.

sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit. [1])

250. Quod ad alterum textum attinet, communis et recepta est ea explicatio, illis Evangelistae verbis non exprimi, Christi gratiam et scientiam in se auctas esse, sed manifestationem sapientiae et gratiae majorem fuisse, uti annis Christus crescebat, ita ut in aestimatione hominum sapientia et gratia proficeret. Quemadmodum videlicet solis lux et calor, in se idem manentes, crescunt tamen in sui manifestatione suisque effectibus, prouti astrum illud magis magisque ascendit, sic etiam Domini sapientia et gratia magis magisque manifestabatur, prouti aetate Jesus proficiebat. — Praeterea vero quoad scientiam, augmentum quoddam admitti potest relate ad scientiam acquisitam experientia. Aptissime ad rem ait s. Thomas: *Anima Christi summum cognitionis gradum inter caeteras creaturas obtinuit, quantum ad Dei visionem, qua Dei essentia videtur et alia in ipsa; etiam similiter quantum ad cognitionem naturalium scibilium: unde in nulla trium harum cognitionum Christus proficere potuit. Sed manifestum est, quod res sensibiles per temporis successionem magis ac magis sensibus corporis experiendo cognovit: et ideo solum quantum ad cognitionem experimentalem Christus potuit proficere secundum illud Luc. 2, 52: Puer proficiebat sapientia et aetate. Quamvis posset et hoc aliter intelligi, ut profectus sapientiae Christi dicatur, non quo ipse fit sapientior, sed quo sapientia proficiebat in aliis, quia scilicet per ejus sapientiam magis ac magis instruebantur. Quod dispensative factum est, ut se aliis hominem conformem ostenderet, ne si in puerili aetate perfectam sapientiam demonstrasset, incarnationis mysterium phantasticum videretur.* [2])

Gratia Capitis.

251. *De gratia Capitis.* — Christus Dominus ut homo

[1]) Epist. 39.
[2]) Compend. theol. c. 216.

caput est Ecclesiae, omnium hominum et angelorum, idque expressione *gratiae capitis* designari solet. Haec dignitas frequenter in sacris Litteris Christo tribuitur. Sic Apostolus: *Omnia,* inquit, *subjecit sub pedibus ejus, et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.*[1] Et caput angelorum Christum dicendum esse; patet ex illis verbis: *Suscitans illum* (Christum) *a mortuis, et constituens ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.*[2] Notandum vero est, hanc dignitatem tribui Christo, ut homo est. Quatenus Deus, ipse omnium est Dominus supremus; capitis autem denominatio et dignitas quamdam requirit homogenëitatem cum iis, quorum quis caput dicitur, et sic haec dignitas Christo ut homini tribuitur recteque *gratia* dicitur. Ratio tamen hujus dignitatis est ipsa unio hypostatica, qua natura Christi humana elevata est, et plenitudo gratiae, qua eadem est ornata. Hinc ad quaestionem, ait Lugo, *an Christus sit caput Ecclesiae ut Deus, vel ut homo, respondetur: Christum secundum humanitatem esse caput, non excludendo deitatem ut rationem formalem evehendi humanitatem ad esse capitis, sicut Christus ut homo meretur, et quidem infinite, ita tamen, ut divinitas concurrat ut ratio formalis ad valorem operum, humanitas tamen ut subjectum et principium formale efficiens operis meritorii; ita etiam humanitas est, cui formaliter et proxime competit dignitas et munus capitis, deitas tamen est ratio formalis, propter quam illa dignitas competit humanitati.*[3]

Triplex rsepectus

252. Gratia porro capitis considerari potest secundum *perfectionem et praeeminentiam dignitatis,* secundum *potestatem dominationis,* et secundum *virtutem sanctificationis.*[4] — Triplici hoc respectu Christus est caput *Eccle-*

---

[1]) Ephes. 1, 22. [2]) Coloss. 2, 10. [3]) De Incarn. disp. 17. n° 2.
[4]) Cfr. Franzelin de Verbo incarn. Thesis XI. 1.

siae. Tota enim Ecclesia est corpus morale, cui corpori praeest Christus, qui et Ecclesiam instituit. Certe ipse caput est dignitate perfectionis; ipse et rex est et dominus Ecclesiae suae; ipse tandem omnem gratiae abundantiam Ecclesiae meruit, et jugiter virtute sanctificationis influxum suum in eam exercet. Adest et praeest Ecclesiae triumphanti in coelis, sed ita ut modo proportionato etiam adsit Ecclesiae militanti in terris, praesertim ut victima se in sacrificio quotidie offerens.

253. Est Christus etiam caput *omnium hominum* sub triplici illo respectu, videlicet tum secundum praeeminentiam et dominationem, tum secundum virtutem sanctificationis, quia merito suo omnes redemit; est enim *salvator omnium hominum, maxime fidelium.*[1] Praeclare s. Thomas: *Accipiendo generaliter, secundum totum tempus mundi Christus est caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus. Primo enim et principaliter est caput eorum, qui actu uniuntur ei per gloriam; secundo eorum, qui actu uniuntur ei per caritatem; tertio eorum, qui actu ei uniuntur per fidem; quarto vero eorum, qui ei uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quae tamen est ad actum reducenda secundum divinam praedestinationem; quinto vero eorum, qui in potentia sunt ei uniti, quae nunquam reducetur ad actum, sicut homines in hoc mundo viventes qui non sunt praedestinati: qui tamen ex hoc saeculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi, quia jam nec sunt in potentia, ut Christo uniantur.*[2]

254. Caput postremo *angelorum* est Christus. Nam et angeli pertinent ad Ecclesiam triumphantem et regnum coeleste, cujus caput est Verbum incarnatum, Christus, *qui est caput omnis principatus et potestatis.*[3] Natura quidem humana ex indole sua inferior est natura angelica, sed humanitas Christi propter unionem hypostaticam et

---

[1]) 1 Tim. 4. 10. [2]) S. th. p. 3. q. 8. a. 3.
[3]) Coloss. 2, 10.

plenitudinem gratiae elevata est super omnia, ita ut praeeminentia dignitatis omnes creaturas superexcellat. Quoad dominationem et potestatem gubernationis Christus pariter angelorum rex est et caput, quum sit totius regni coelestis caput, *sit ipse, cui subjecta sunt omnia.* Unde etiam multiplicis gratiae largitione in hierarchias angelorum influit. Non tamen angelorum caput Christus dicendus est ratione gratiae, quam in creatione sua receperunt. Haec enim, ut communior fert sententia, ex mera Dei liberalitate, independenter a meritis Christi ipsis concessa fuit; neque pro salute angelorum incarnatus est Deus aut passus et mortuus. [1])

Impeccabilitas Christi

255. *De impeccabilitate Christi.* — Restat, ut pauca dicamus de impeccabilitate Christi, seu de repugnantia cujusvis actualis peccati et cujusvis maculae peccati in humana Christi natura. Christum absolute impeccabilem fuisse, explorata est fidei doctrina, quae tum ex sacris Litteris, tum ex ss. Patribus clare probatur. *Scientes*, scribit s. Petrus, *quod non corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati.* [2]) Et: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* [3]) Ex ss. Patribus breviter et clare s. Fulgentius: *Deitas*, inquit, *non potest superari: propterea utique etiam Christi humanitas sine peccato permansit, quia eam in unitate personae divinitatis accepit, quae naturaliter peccare non novit.* [4]) Sed sufficiat pauca haec testimonia innuisse: modo rationem impeccabilitatis Christi indicemus.

Ratio.

256. Ratio igitur, cur humana Christi natura absolute impeccabilis esset, praecipue ex unione hypostatica et ex unitate personae Christi repetenda est. Qui substantia et natura Deus est, is capax esse nequit peccati. Sed hic homo

---

[1]) Cfr. Tractat. De Gratia nº 9.

[2]) 1 Pet. 1, 18. [3]) Ibidem 2, 21. [4]) Ad Trasimund. l. 3. c. 29.

Christus propter unionem hypostaticam erat ipse Deus. — Si Christus peccasset, is *qui* peccasset, principium *quod*, fuisset ipsa persona divina, quae natura humana, quam habet ut suam, tanquam principio *quo*, peccatum perpetrasset. Jamvero ipsum Verbum divinum naturâ assumpta peccatum committere, sane repugnat. — Confirmatur haec veritas etiam inde, quod in Christo principium supremum dirigens omnes humanae naturae actiones erat Verbum secundum divinam naturam, quod pleno dominio omnes motus et operationes inferioris naturae disponebat. Quemadmodum vero homo tenetur, ut etiam motus inferiorum facultatum, quantum potest, ad normam rectitudinis dirigat, sic etiam Verbum, essentialis sanctitas, non aliter omnem motum et operationem humanae in Christo naturae moderari et regere poterat, nisi ad normam summae sanctitatis et rectitudinis. In Christo igitur, ut ait s. Leo, *sensus corporei vigebant sine lege peccati; et veritas affectionum sub moderamine deitatis et mentis nec tenebatur illecebris, nec cedebat injuriis.* [1]) — Etiam omnem *maculam* peccati e. g. originalis, a Christi natura humana abfuisse, inde maxime perspicitur, quod unio hypostatica fieri non poterat, quin humana natura inde ab initio existentiae suae, tum sanctitate substantiali ipsius Verbi, tum plenitudine gratiarum infusarum ineffabili modo sanctificaretur, et summae complacentiae divinae objectum fieret. Tali autem sanctificationi omnis peccati macula repugnat. [2])

---

[1]) Epist. 25.

[2]) Cfr. ea, quae superius de sanctitate Christi dicta sunt. — Ratio, cur macula originalis peccati in Christo esse non potuerit, etiam inde repeti potest, quod non per carnalem generationem ex viro, sed operante Spiritu s. ex Virgine ipse genitus sit. Peccato enim originali subsunt, qui continebantur in Adamo tanquam in radice foecunda, et propagantur ex ipso per naturalem generationem virilem. Qui vero supra leges naturalis generationis operante Spiritu sancto ex B. Virgine generatus est, etiam spectata hac ratione generationis peccato originali non erat obnoxius. »Christus, ait s. Thomas, non accepit active ab Adam humanam naturam, sed solum ma-

Articulus IX.

DE ADORATIONE CHRISTI ET DE CULTU SS. CORDIS JESU.

257. Reliquum est, ut breviter tractemus de adoratione Christi, cui quaestioni jungemus eam de cultu ss. Cordis Jesu, quam aliquanto fusius evolvemus. Etenim quae hunc cultum spectant accuratius nosse eo magis necessarium est, quod ex fidelium erga ss. Cor Jesu devotione uberrimi nostro tempore pietatis fructus dimanant. — Itaque Christum adorandum esse, quum ipse sit verus Deus, nemo dubitat. Sed Jesus Christus est etiam verus homo, adeoque quaeritur, utrum etiam humanitas ejus eadem qua ipsius divinitas colenda sit adoratione.

Quaestio.

258. Adoratio sensu generico est actus subjectionis ad agnitam excellentiam alterius; nobis autem hic sermo est de adoratione stricto sensu sumpta, quatenus est *cultus supremus, qui Deo propter infinitam suam excellentiam exhibetur*, et nomine *latriae* designari solet. Inferior cultus qui creaturis defertur, uti e. g. sanctis propter excellentiam eorum in ordine supernaturali, ob distinctionem ab adoratione soli Deo debita, nomine cultus *duliae* appellatur. — Perfectio illa seu excellentia propter quam cultus defertur, dicitur *motivum* vel *objectum formale* cultus; objectum autem vel persona, cui propter ejusmodi perfectionem honor et cultus defertur, est cultus *objectum materiale* seu *terminans*. Porro si perfectio, ob quam cultus defertur, intrinseca est ipsi objecto materiali, alicui videlicet personae vel rei, cultus est *absolutus*; rei vero, in qua per se non habetur excellentia quaedam intrinseca venerationis, sed in qua motivum cultus est repraesentatio objecti in se colendi, non convenit cultus absolutus, sed tan-

Adorationis indoles.

---

terialiter, active vero a Spiritu sancto, sicut et ipse Adam materialiter sumpsit corpus ex limo terrae, active autem a Deo. Et propter hoc Christus non peccavit in Adam, in quo fuit solum secundum materiam.« S. th. p. 3. q. 15. a. 1. ad 2.

tum *relativus.* Tali cultu veneramur e. g. sanctorum imagines. [1])

Errores.

259. Jam quod ad cultum humanitati Christi exhibendum spectat, errores hac in re varii fuerunt. Nestoriani in Christo duas agnoscebant personas, hominem Jesum et Verbum inhabitans ipsi. Statuebant nihilominus, homini Jesu adorationem exhibendam esse, sed relativam propter inhabitans Verbum. *Propter latentem,* aiebat Nestorius, *adoro spectabilem.* Quamvis autem verbotenus unam adorationem praedicarent, re tamen, eo ipso quod duas diversas personas in Christo esse statuebant, etiam duplicem adorationem, alteram Verbo, alteram homini exhibendam, introducebant. Monophysitae unam adorationem Christo exhibendam esse tenebant; sed hac in re insistebant haeretico suo principio, divinam ac humanam naturam in Christo coaluisse in unam. — Inter Wiclefi errores etiam ille commemoratur, quo statuit, Christi humanitati relativam tantum adorationem esse exhibendam. Sociniani vero, qui Christi divinitatem negant, quoad cultum Christo exhibendum in duas dividuntur factiones. Alii videlicet, quamvis Christum merum esse hominem blasphementur, tamen adorandum esse cultu latriae stulte contendunt, eo quod Dei repraesentet personam. Hi *adorantes* dicuntur. Alii vero *non adorantes* impia consequentia Christo, ut mero homini, adorationem exhibendam esse negant.

Doctrina catholica.

260. Catholica autem doctrina statuit, *uno eodemque supremo latriae cultu humanitatem Christi adorandam esse cum Verbo divino, quocum humanitas hypostatice unita est.* Rem ita sese habere, facile intelligitur, si prae oculis habetur distinctio inter motivum seu objectum formale adorationis, et objectum materiale seu terminum. Motivum et ratio formalis, cur Christus sit adorandus, est ejus divinitas. Sed objectum adorationis materiale est integer Christus, totum unum substantiale, in quo unione

Explicatur.

[1]) De cultu sanctorum accuratius agemus inferius.

hypostatica et substantiva divina natura atque humana unitae sunt. Hinc etiam Christi humanitas divinae naturae hypostatice unita, est objectum directum sed *partiale* adorationis, objectum quod *in se* et *directe*, quamvis *non propter se*, adoratur. Una eademque adoratio toti Christo tribuitur, tum ejus divinitati, quae *in se* et *propter se* adoranda est, tum ejus humanitati, quae quidem *non propter se*, sed tamen *in se* adoranda est, quia unione hypostatica cum divina natura unita est. Ex his igitur vides, motivum formale, cur Christus cultu supremo latriae sit colendus, esse ejus divinitatem, quae *propter se* tali adoratione colenda est, rationem vero, cur etiam ejus humanitati idem cultus conveniat, esse unionem hypostaticam, qua humana Christi natura et divina in una persona subsistunt.

261. Cultus videlicet qui defertur personae, pro objecto habet personam non solum secundum aliquid ejus, sed secundum omnia quae ei substantialiter insunt, quamvis ratio formalis, cur persona colatur, sit solum secundum aliquid quod inest personae. Sic dum colimus hominem propter sapientiam vel virtutem, una eademque veneratio dirigitur ad totum hominem et in eo tanquam ad partem etiam ad corpus, quamvis ratio formalis venerationis immediate afficiat animam. Ad corpus tamen eadem veneratio jure simul dirigitur, quia est aliquid substantiale hominis colendi propter sapientiam. Qua comparatione jam utitur s. Cyrillus scribens: *Incarnatum Dei Verbum, utpote unus existens Filius, non absque sua carne sed cum illa potius adoratur, sicut videlicet etiam hominis anima cum suo corpore honoratur.* [1]) Ex quo patet etiam, hanc adorationem humanitatis Christi non relativam, sed absolutam esse. Relativus enim est cultus, quando unum suppositum colitur propter excellentiam quae alteri inest supposito, ad quod prius relationem aliquam habet. Omnia vero quae

---

[1]) Apolog. pro Anath. 8 contra Orientales.

substantialiter insunt ipsi personae, propter suam excellentiam absoluto cultu venerandae, hunc ipsum cultum absolutum pariter terminant.[1]) Sequitur etiam ex his, non coli nec colendam esse cultu latriae naturam humanam Christi in abstracto vel veluti praecisam a Verbo; nam motivum seu objectum formale cultus latriae est Christi divinitas. Sed cultu latriae colitur humanitas ut hypostatice unita cum divinitate, sicuti de facto in concreto semper est. Juvabit vero jam hoc loco notare, quum etiam singulae humanitatis partes eadem unione hypostatica cum divinitate unitae sint, eumdem cultum latriae singulis quoque naturae humanae in Christo partibus convenire. *Simpliciter dicendum est*, ait breviter et recte Sylvius, *carnem et animam Christi sicut et membra corporis ejus adoranda esse cultu latriae*, *quae quidem eis debetur ratione hypostasis Verbi Dei*, *a qua et in qua sustentantur.*[2])

262. Modo explicata jam ratione, cur humanitas Christi eodem unico cultu latriae sit colenda, uti tota persona Christi, pauca adjiciamus testimonia ex fontibus fidei desumpta, ex quibus pateat, hanc veritatem ad Ecclesiae fidem pertinere. *S. Scriptura* igitur, Verbum incarnatum cum sua humanitate summo cultu latriae adorandum esse, testatur. De Filio Dei, qui seipsum exinanivit, formam servi accepit et obediens factus est usque ad mortem crucis, Apostolus scribit: *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen*, *ut in no-*

S.Scriptura.

---

[1]) Cfr. Franzelin, de Verbo incarn. Thesis. XLV.

[2]) In 3. p. q. 25. a. 2. — Si natura humana Christi spectaretur separata a Verbo vel praecisione facta a Verbo, non esset cultu latriae adoranda, quia ratio formalis hujus cultus est ipsa divinitas Verbi. Sed ejusmodi praecisio nunquam in cultu Ecclesiae fit, neque a fidelibus facienda est. De facto enim humanitas Christi semper hypostatice cum divinitate unita est, et ad personam Christi pertinet veluti quid substantiale, ita ut ne cogitatione quidem praescindi debeat ab hac unione hypostatica cum Verbo. Possumus tamen in cultu Christo exhibito per se et directe humanitatem Verbo hypostatice unitam ejusque partes spectare, uti inferius declarabitur.

mine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum.[1] Exprimitur sane latriae cultus, qui Christo homini facto in sua humanitate exhibendus est, ab angelis, hominibus, et spiritibus qui in inferis sunt. Id confirmatur ex iis quae sequuntur: *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Illi enim, qui eamdem ac Pater gloriam habet, idem summus latriae cultus deferendus est. Sic etiam Apostoli, quum post resurrectionem Dominus illis appareret: *Videntes eum adoraverunt.*[2] —

263. *SS. Patres* omnino perspicue docent et exponunt, eodem latriae cultu et unica adoratione humanitatem Christi coli cum Verbo, quocum hypostatice unita est. S. Cyrilli praeclarum testimonium jam superius adduximus. Addamus illa s. Athanasii, quae in *epistola ad Adelphium Episcopum* scribit: *Nos creaturam non adoramus, absit. Gentilium enim et Arianorum ejusmodi est error. Sed Dominum rerum creatarum, incarnatum Deum Verbum adoramus. Quamvis enim caro ipsa per sese pars sit creaturarum, tamen Dei corpus est facta. Neque hujusmodi corpus a Verbo dividentes seorsim adoramus, neque Verbum adorare volentes ipsum longe a carne disjungimus, sed cum sciamus, Verbum carnem factum esse, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat: Recede a corpore, ut te adorem? Aut quis ita impius est, ut cum Judaeis propter corpus dicat ei: cur tu homo cum sis, te Deum facis?* S. Joannes Damascenus ipsam rationem, cur humanitas Christi eadem qua Verbum adoratione colenda sit, ita evolvit: *Neque enim adorandam esse carnem ejus negamus, quippe quae adoratur in una Verbi persona, quae quidem ipsi persona et hypostasis facta est. Qua in re non creaturae servimus: non enim illam ceu nudam carnem adoramus, sed velut divinitate unitam, et quia duae ipsius naturae ad unum Dei Verbi personam reducuntur unamque subsisten-*

---

[1] Philipp. 2, 9. [2] Matth. 28, 7.

tiam. Carbonem tangere, ob ignem conjunctum cum ligno vereor. Ambas Christi naturas ob unitam cum carne divinitatem adoro.[1]) — Eadem fidei doctrina in Concilio oecumenico V. can. 9° sic exprimitur: *Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo et semotim homini: aut si quis ad diremptionem carnis, aut ad confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam sive essentiam convenientium portentose dicens, sic adorat Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, talis anathema sit.* Idem Concilium etiam in actione 5ª dicit: *Cum adoratur, non separatur humanitas a divinitate, sed utraque ut unum adoratur latria.*

264. Ex hisce perspicuum est, Christum Verbum incarnatum esse *objectum integrum* adorationis nostrae, humanitatem esse *objectum partiale*, quod colitur in Verbo incarnato, et divinitatem, cum qua humanitas in persona Christi hypostatice unita est, esse *rationem formalem,* cur cultus qui etiam humanae naturae Christi exhibetur latreuticus sit. Quamvis autem nunquam humanitatem Christi separatam a divinitate spectare possimus, nihil tamen impedit, quominus a fidelibus in cultu et adoratione Jesu Christi Domini nostri *directe* respiciatur humanitas ejus, vel certa quaedam mysteria incarnationis, vel etiam singulae humanitatis Christi partes, quum peculiares rationes merito ad hoc nos movere possint. Ipse enim Christus ut objectum adorandum, sese nobis in humana natura assumpta singulari modo amandum et adorandum manifestat; actionibus multis et passione sua in humanitate peractis nobis ostendit bonitatem et misericordiam suam peculiari ratione; et specialia etiam motiva in variis partibus humanitatis ejus sacratissimae considerare possumus, quibus ad eas colendas allicimur. Excellentia quidem divinitatis, cum qua humanitas Christi et omnes ejus partes

Humanitatis partes.

---

[1]) De fide orthod. l. III.

immediate hypostatice unitae sunt, erit semper ultima ratio, cur cultus noster latreuticus sit: quod vero in hoc cultu directe respiciamus aliquod mysterium, vel aliquam partem humanitatis Christi, est propter ulterius quoddam motivum, quo jure ad specialem ejusmodi venerationem excitamur. Sic v. g. in quinque vulneribus Christi veluti compendium nobis repraesentatur, ac signa externa exhibentur passionis durissimae, qua suam erga nos infinitam dilectionem Salvator noster monstravit. Unde et Ecclesia Spiritu Dei ducta eadem fidelibus colenda specialiter proponit. In quo cultu *adoramus* certe *cultu latriae* manus et pedes vulneratos, latusque et cor saucium, quum illae partes humanitatis Christi unione hypostatica cum divinitate unitae sint, et sic objectum partiale cultus latriae constituant. — Peculiari etiam ratione cultus sanctissimi Cordis Jesu ab Ecclesia commendatus est, uberrimosque fert in fidelium cordibus fructus. Hoc de cultu jam opportune hoc loco fusius agemus, ut tum accurate ejus indolem atque objectum determinemus, tum contra Jansenistarum et quorumdam auctorum catholicorum ineptas objectiones eum tueamur.

Cultus ss. Cordis.

265. *De cultu ss. Cordis Jesu.* — Primum animadvertamus paucis, quid historice de cultu sacratissimi Cordis Jesu tenendum sit. Quum cultus hic eo praecipue pertineat, ut colatur *amor immensus Filii Dei, qui ex eo ad mortem pro hominibus subeundam perductus est, et ad sese iisdem in cibum praebendum Sacramento Eucharistico,* [1] manifestum est, quoad rem devotionem hanc semper in Ecclesia fuisse. Neque desunt inter priorum saeculorum homines sanctos Deique servos, auctores, in quorum scriptis multa inveniuntur, quibus speciali ratione celebrant ac venerantur ipsum *cor Jesu;* quo quidem nomine designant tum amorem ipsum Domini immensum et principia ex quibus procedit hic amor, tum cor Christi corporeum,

[1]) In proposit. causae Instit. festi ss. Cordis a. 1697. Cfr. Annales Jur. Pont. a. 1860. col. 1241.

hujus amoris symbolum. Inter quos viros sanctos praecipue commemorandi sunt ss. Augustinus, Bernardus, Bonaventura, Petrus Damianus, Thomas a Villanova, Franciscus Salesius, et ss. virgines Mechtildis, Gertrudis Islebensis, Ludgardis, Clara, Catharina Senensis atque Teresia. — Peculiari tamen ratione Deus, *qui multo magis quam homo novit, quid cuique tempori accommodate adhibeatur, quid quando impertiat, addat, auferat, augeat, minuatve,*[1]) nostris temporibus in Ecclesia sua propagari et florere voluit hujusmodi erga sacrum Cor Jesu cultum. Quod in Brevi Pontificio beatificationis B. Margaretae Mariae hisce exprimitur: *Auctor fidei nostrae et consummator Jesus nihil potius habuit, quam ut flammam caritatis, qua Cor ejus ureretur, in hominum animis modis omnibus excitaret, quemadmodum suis asseruisse discipulis novimus ex Evangelio: Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur? Hunc vero caritatis ignem ut magis incenderet, sanctissimi sui Cordis venerationem cultumque institui in Ecclesia voluit ac promoveri. Jam vero ad tam salutarem ac debitum pietatis cultum instituendum, lateque inter homines propagandum, eligere Servator noster dignatus est Venerabilem Famulam suam Margaritam Mariam de Alacoque, religiosam sororem ex ordine Visitationis Beatae Mariae Virginis, quae quidem et innocentia vitae et assidua virtutum omnium exercitatione, tanto officio ac munere divina adjuvante gratia, se dignam probavit.... Ante augustissimum Eucharistiae sacramentum eidem fervidius oranti significatum est a Christo Domino, gratissimum sibi fore, si cultus institueretur sacratissimi sui Cordis humanum erga genus caritatis igne flagrantis, ac velle se hujus rei curam ipsi demandatam.* Jam vero inde a saeculi XVII fine, quo haec acciderunt, non obstantibus multiplicis generis difficultatibus, ejusmodi cultus Deo sic disponente, mirum in modum toto christiano orbe diffusus est. — Modo de indole et objecto hujus cultus loquamur.

---

[1]) S. Augustin. ep. ad Marcellinum (188) n° 5.

Cor materiale.

266. Sensu *litterali* cor, uti omnes norunt, nobilissimum est corporis organum, cujus functio praecipue in eo est, ut per ejus compressionem et dilatationem sanguis in omnes corporis partes distribuatur. Experientia autem luculentissima constat, inter cor materiale, et motus animi humani, affectus et passiones, intimam quamdam esse relationem. Gaudio, tristitiae, amori, audaciae, desiderio, amori et odio, reliquisque omnibus vitae sensitivae et moralis manifestationibus motibusque multiplices cordis ipsius corporei motus et mutationes respondent. Hanc igitur intimam relationem omnes, tum vulgus, tum eruditi, semper agnoverunt, atque inde merito factum est, ut nomine cordis sensu translato sive tropico designetur frequentissime animus atque mens, quatenus est principium amoris et reliquorum motuum internorum actuumque moralium, qui ad amorem omnes reducuntur. Adeoque etiam ipse amor et huic connexi affectus figurate *cor* nominantur. — Apud scriptores tum profanos tum sacros innumera hujus sunt significationis exempla: E. g. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.* [1]) *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* [2]) Salvator nos monet: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* [3]) In praefatione Missae quotidie, *Sursum corda* esse erigenda, fideles monentur; et frequenter in orationibus suis Ecclesia Deum deprecatur, ut *corda nostra illustret et dirigat.* [4]) — Etiam quando de Deo agitur, nomine *cordis* saepissime ejus voluntas exprimitur, quatenus (humano modo) concipitur ut subjectum eorum attributorum, quae vocantur *moralia*, sanctitatis, justitiae, misericordiae, bonitatis. Sic legimus: *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum et animam meam*

Cor figuratum.

---

[1]) Deuteron. 6, 5. [2]) Proverb. 4, 23.
[3]) Matth. 11, 29. — Cfr. Ezech. 11, 19.
[4]) Cfr. Orat. in festo s. Elisabeth 19. Nov., et Secret. in fer. IV. quat. temp. Quadrag.

faciet.[1] *Poenituit eum, quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terrae.*[2]

267. In quo intima illa relatio, quae est inter cor materiale et animum ejusque motus, praecise consistat, non una semper fuit omnium sententia. Antiqui philosophi doctoresque Scholae communiter existimarunt, cor corporeum verum esse organum, sedem, comprincipium, affectionum illarum et motuum internorum tum indeliberatorum, tum deliberatorum, ita fere, uti oculus est organum visus et auris sedes auditus.[3] Sed plerique recentiores philosophi ac physiologi non admittunt hanc doctrinam. Tenent videlicet gravibus nisi argumentis, organum et sedem illorum motuum, appetitionum, et affectuum, ex parte corporis esse systema nerveum. Cordi vero assignant unice functionem quae pertinet ad vitam vegetativam, scilicet sanguinis aptam distributionem. Intimam autem esse relationem inter animi motus et cor ejusque mutationes, etiam ipsi nullatenus negant, et hanc relationem, quam experientia luculenter testatur quaeque omnibus cognita est, aliter quidem, quam antiqui, apte tamen explicant.[4] Ineptum sane foret, hac

---

[1]) 1 Reg. 2, 35. [2]) Gen. 6, 6.

[3]) »Passio animalis, ait s. Thomas, in illa potentia esse debet, quae organo corporali adjungitur, et cujus est corpus transmutare, et ideo hujusmodi passio non est in parte intellectiva, quae non est alicujus organi corporalis actus, nec iterum est in apprehensiva sensitiva, quia ex apprehensione sensus non sequitur motus in corpore nisi mediante appetitiva, quae est immediatum movens. Unde secundum modum operationis ejus statim disponitur organum corporale *scilicet cor,* unde est principium motus, tali dispositione, quae competat ad exequendum hoc in quod appetitus sensibilis inclinatur. Unde in ira fervet, et in timore quodammodo frigescit et constringitur. Et sic in appetitiva sensitiva sola animalis passio proprie invenitur.« De veritate. Qu. 26. a. 3. in c.

[4]) Explicatio valde probabilis est haec. Passiones, motus atque affectus humani non ad solam animam pertinent, sed ad compositum humanum. Hinc in iisdem etiam varia organa organismi corporei insolito modo excitantur. Vigor autem organismi corporei imprimis

in re pertinaciter insistere antiquorum opinioni, eamque in medium adducere ut rem exploratam; imo sententia recentiorum praeferenda videtur, ut scientifice melius probata. — Quemadmodum autem ob illam relationem inter cor et animi motus, factum est, ut figurate ipsa principia illorum affectuum, vel ipsi affectus uti imprimis amor, nomine cordis designarentur: ita etiam ipsum cor corporeum propterea apud omnes populos ut *symbolum* selectum est atque habetur animi amantis et amoris ipsius. Nec enim vulgus nec docti aptius symbolum amoris exprimendi invenire potuere. — His praemissis jam facile intelliguntur, quae de objecto et indole cultus ss. Cordis Jesu dicenda sunt.

Objectum primarium.

268. Itaque 1° objectum hujus cultus praecipuum est *Salvatoris nostri divinitas atque humanitas,* quatenus nos dilexit usque in finem toto opere redemptionis suae, passione praecipue et institutione ss. Sacramenti. Seu quod idem est, objectum primarium hujus cultus est *amor immensus Domini nostri Jesu Christi,* quem maxime in passione sua et in institutione ss. Sacramenti nobis ostendit. Hic amor ejusque principia tum in divina tum in humana Christi natura, *figurate* nomine cordis significantur, et hinc jure statui potest, objectum praecipuum ac primarium cultus ac devotionis ss. Cordis, esse *Cor Domini figurato sensu acceptum* i. e. immensum Christi amorem.[1]) Idem amor simul est etiam *ratio formalis* seu objectum formale ipsius cultus.

Objectum secundarium

269. Sed 2° ad devotionem quamlibet exercendam sen-

---

a sanguine dependet; unde in illis affectibus, ut abundantius affluat sanguis, plane necessarium est. Hinc natura nostra ita constituta est, ut affectibus illis respondeat apta sanguinis distributio, et quum haec sit functio cordis, patet, quare adsit intima relatio inter cor hominisque affectus.

1) Amor est veluti fundamentum ac radix omnium aliorum affectuum, qui ex eo procedunt. Venerari porro et colere Christi amorem, patet idem esse, ac venerari et adorare *ejus humanitatem et divinitatem, quatenus sunt hujus amoris principia.*

sibili quoque objecto humana imbecillitas indiget, ut per visibilia ad invisibilia rapiamur. Hinc *Cor ipsum materiale et corporeum Salvatoris* jure propositum fuit ut symbolum sensibile amoris illius immensi, quem nobis ostendit, ut considerantes et venerantes hoc Cor eo efficacius ad Dominum redamandum excitaremur. Pariter itaque ipsum *Cor materiale* Domini in hac devotione cultu latriae colitur. — Cor Domini corporeum merito nobis symbolum esse immensi ejus amoris, ex iis quae supra diximus patet. Esse vero in se cultu latriae adorandum, non minus manifestum est. Symbolum enim hoc non est aliquod alienum a Salvatore, sed est pars corporis ejus, et hypostatica unione cum divinitate unitum, adeoque in se colendum et adorandum. — Sic igitur objectum *sensibile* hujus cultus est *Cor materiale Christi*. Potest autem dici objectum cultus *secundarium;* colitur enim quoniam symbolum est immensi Christi amoris, qui cultus objectum primarium constituit. Nomen autem devotionis et festi praecipue ab objecto sensibili derivatum esse arbitramur, quia huic cordis appellatio *proprie* convenit, primumque cor corporeum sese obtutui offert, ut dein per visibile hoc objectum et symbolum ad invisibile ascendamus.

270. His quae diximus objectum et ratio cultus ss. Cordis Jesu breviter et clare continentur expressa. Saepe quidem in auctoribus nostri temporis tum dogmaticis, tum asceticis, ita fere res exhibetur, ac si objectum materiale et terminans cultus esset tantum Cor Christi corporeum; amor vero Jesu, cujus cor symbolum est, esset tantum ratio, cur potius cor quam alia pars humanitatis Christi in hac devotione colatur. Haec quidem sententia explicatione quadam ad nostram expositionem reduci posse videtur; minus tamen accuratam et completam eam esse censemus. Nam amor Christi immensus non est tantum ratio seu objectum formale cultus, sed hic amor Salvatoris, sive divinitas et humanitas ejus amore erga genus humanum ardens, est etiam objectum primarium *terminans* cultum. Praeterea vero *simul* Cor Salvatoris materiale ut objectum

sensibile cultus veneramur. Est enim illius amoris symbolum, et ipsius Ecclesiae sanctione ut tale propositum.[1])

Explicatio vindicatur.

271. Opportunum erit in re tanti momenti, etiam aptis documentis adductis ostendere, explicatione ea quam dedimus revera exhiberi indolem cultus, uti secundum probatos auctores et Ecclesiae intentionem et sanctionem intelligendus est. Primum opusculum quo haec devotio luculenter explicata fuit, est liber quem conscripsit Joannes Croiset S. J. a. 1691; hujus autem viri opusculum ad devotionem et gloriam ss. Cordis augendam et propagandam peculiari ratione destinatum esse, ipsa B. Maria Margareta praedixerat.[2]) Auctor vero iste diserte ita cultum ss. Cordis explicat, ut amorem immensum Jesu proponat tanquam objectum praecipuum et motivum hujus devotionis, illumque tropice nomine Cordis designari advertit. Simul vero secundum ipsum cor reale proponitur adorandum ut symbolum sensibile illius amoris. Sed quum hujus auctoris expositio omnino praeclare indolem devotionis de qua agimus explanet, in subjecta nota ipsius verba referimus.[3])

---

[1]) Eo quod duplex hoc et indivisum cultus objectum non satis declarari solet, et amor Christi tantum ut *ratio* proponitur, cur cor physicum Salvatoris veneremur, confusio quaedam facile oritur. Expositio nostra, si forte ab aliis aliquantisper differt, veritati respondet. Eamdem habes clare et fusius evolutam in opusculis: Fünf Sätze zur Erklärung und zur wissenschaftlichen Begründung der Andacht zum h. Herzen Jesu und zum reinsten Herzen Mariae; (quinque theses ad explicandum et vindicandum Cultum ss. Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae). Auctore J. Jungmann S. J. Innsbruck ap. Wagner 1869. Die Andacht zum hh Herzen Jesu und die Bedenken gegen dieselbe. (De devotione erga ss. Cor Jesu, objectionibusque contra hanc devotionem.) Eodem Auctore, Innsbruck ap. Wagner 1871.

[2]) »La Bienheureuse avait dit, que le Coeur de Jésus tirerait sa gloire d'un livre du P. Croiset; et cependant le P. Croiset, après lui avoir déclaré qu'il n'avait point le loisir de poursuivre un pareil projet, ne lui avait pas fait connaître, que par suite de circonstances imprévues, il venait de mettre la main à l'oeuvre. Quand elle mourut, ce livre était déjà sous presse.« Daniel, Hist. de la B. Marguerite Marie, ch. 28. p. 398.

[3]) »L'objet particulier de cette dévotion est l'amour immense

— Eadem explicatio data est sub Innocentio XII (a. 1697) a Frigidiano Castagnario Postulatore causae pro institu-

---

du Fils de Dieu, qui l'a porté à se livrer pour nous à la mort, et à se donner tout à nous dans le très-saint Sacrement de l'Autel, sans que la vue de toutes les ingratitudes et de tous les outrages, qu'il devait recevoir en cet état de victime immolée jusqu'à la fin des siècles, ait pu l'empêcher de faire ce prodige: aimant mieux s'exposer, tous les jours, aux insultes et aux opprobres des hommes, que de ne nous pas témoigner, par la plus grande de toutes les merveilles, jusqu'à quel excès il nous aime... Il est aisé de voir, que l'objet et le motif principal de cette dévotion est, comme on l'a déjà dit, l'amour immense que Jésus-Christ a pour les hommes, qui n'ont la plupart que du mépris, ou du moins de l'indifférence pour lui... Mais parce que nous avons toujours besoin dans l'exercice des dévotions même les plus spirituelles, de certains objets matériels et sensibles, qui nous frappent davantage, nous en renouvellent le souvenir et nous en facilitent la pratique, on a choisi le sacré Coeur de Jésus, comme l'objet sensible le plus digne de nos respects, et le plus propre en même temps a la fin qu'on se propose dans cette dévotion... De tout ce qu'on a dit jusqu'ici il est aisé de voir ce qu'on entend par la dévotion au sacré Coeur de Jésus. On entend un ardent amour que l'on conçoit pour Jésus-Christ, au souvenir de toutes les merveilles qu'il a faites pour nous témoigner sa tendresse, et surtout dans le sacrement de l'Eucharistie, qui est le miracle de son amour. On entend un regret sensible que l'on a à la vue des outrages, que les hommes font à Jésus Christ dans cet adorable mystère. On entend un désir ardent de ne rien oublier pour réparer par toutes les voies possibles tous ces outrages: et voilà ce qu'on entend par la dévotion au sacré Coeur de Notre Seigneur Jésus-Christ, voilà en quoi elle consiste: et elle ne se réduit pas, (comme quelques-uns auraient pu s'imaginer en voyant ce titre), à aimer seulement et à honorer d'un culte singulier ce coeur de chair semblable au nôtre, qui fait une partie du corps adorable de Jésus-Christ. Ce n'est pas que ce sacré Coeur ne mérite nos adorations: il suffit de dire que c'est le Coeur de Jésus-Christ... Ce qu'on prétend est de faire voir, *qu'on ne prend ici ce mot de Coeur que dans le sens figuré, et que ce divin Coeur, considéré comme une partie du Corps adorable de Jésus-Christ, n'est proprement que l'objet sensible de cette dévotion, et que ce n'est que l'amour immense que Jésus-Christ nous porte, qui en soit le motif principal. Or cet amour étant tout spirituel,* on ne pouvait pas le rendre sansible. *Il a donc fallu trouver un symbole;* et quel symbole plus prepre et plus naturel de

tione cultus ss. Cordis Jesu. *Praecipuum enim*, scribit, *objectum hujus devotionis est amor immensus Filii Dei, qui ex eo ad mortem pro hominibus subeundam perductus est, et ad se eisdem in cibum praebendum Sacramento Eucharistico: absque eo quod mortalium ingratitudo, contemptus, injuriae et opprobria, quae ipse in eodem Sacramento recepturus erat usque ad finem mundi, impedierint, quin quotidie iisdem opprobriis exponeretur in testificationem sui immensi amoris... At quoniam ad devotionem quamlibet exercendam materiali objecto humana imbecillitas indiget, ut (canente Ecclesia) per visibilia ad invisibilia rapiamur, ad excitandum amorem erga Christum Dominum nec sensibilius, nec efficacius, nec dignius objectum eligi potest illius Corde.*[1] Paulo post, quum Josephus de Galliffet S. J. Postulator esset causae pro introductione festi ss. Cordis Jesu, etiam ipse libro (a. 1726) edito *De cultu sacrosancti Cordis Dei ac Domini nostri Jesu Christi,* rationem festi ss. Cordis ita describit: *Objectum proximum festorum ... passionis, vulnerum, coronae, clavorum etc., non est proprie amor Christi, sed dolores. In festo autem Cordis Jesu amor quo Cor illud ardet est objectum proximum festi, indivisim cum Corde ipso, adeo ut affirmari vere possit, amorem Christi erga homines in hoc festo propriissime et immediate attingi: quod sane ad festi hujus commendationem magna consideratione dignum est.*[2]

272. Atque juxta hanc rationem ab Ecclesia paulatim cultus ss. Cordis ubique propagatus fuit, et omnibus mature perpensis etiam festum ss. Cordis a Clemente XIII a. 1765 institutum. In Decreto S. Congregationis Rituum a R. Pontifice recepto dicitur: *Congregatio S. R. probe nos-*

l'amour que le coeur!« Croiset, La dévotion au sacré Coeur de Notre Seigneur Jésus-Christ. Première partie, chap. 1. »Ce qu'on entend par la dévotion au sacré Coeur de Jésus-Christ et en quoi elle consiste.« Edition de Lyon 1729.

[1]) Analecta Juris Pont. a. 1860. col. 1241. [2]) Opere cit. p. 92.

cens, cultum Cordis Jesu jam hodie esse per omnes fere catholici orbis partes, faventibus earum Episcopis, propagatum,.. simulque intelligens, hujus Officii et Missae celebratione non aliud agi, quam ampliari cultum jam institutum, et symbolice renovari memoriam illius divini amoris, quo unigenitus Dei Filius humanam suscepit naturam, et factus obediens usque ad mortem, praebere se dixit exemplum hominibus, quod esset mitis et humilis corde,.. annuendum censuit precibus Episcoporum. In Breviarii vero lectionibus ratio festi ita exprimitur: *Quam caritatem Christi patientis et pro generis humani redemptione morientis, atque in suae mortis commemorationem instituentis Sacramentum Corporis et Sanguinis sui, ut fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius et ferventius recolant ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens XIII, P. M. ejusdem sanctissimi Cordis festum, quibusdam petentibus ecclesiis, celebrari permisit.* Satis apparet, ut objectum cultus et festi proponi ab Ecclesia indivisim amorem Jesu immensum, et cor ejus reale ut symbolum hujus amoris. Etiam Pius VI eamdem doctrinam clare exprimit in Brevi commonitorio dato a. 1781 contra Scipionem Ricci Episcopum Pistoriensem, qui cultum ss. Cordis litteris suis pastoralibus rejecerat. *Sancta haec Sedes*, scribit, *modum jam turbis et quaestionibus imposuit, satisque declaravit, quo substantia illius devotionis, ab omni certe superstitiosa materialitate immunis, revera spectet: ut in symbolica Cordis imagine immensam caritatem effusumque amorem Divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur.*[1]) Doctissimus vero Cardinalis Gerdilius hac de re agens in *Animadversionibus ad notas Felleri*, et vera a falsis quae in illis notis continebantur apte discernens, ait: *Quod attinet ad cultum sacri Cordis Jesu, libenter agnoscimus, recte dictum a Fellero: Porro Cor Jesum schema est, seu symbolus, quo Christi erga nos caritas et infinita ipsius amabilitas exhibentur, ut nos*

---

1) Brevi dato Romae ap. s. Petrum III. Kal. Jun. 1781.

vicissim in ejus amore incalescamus... Ultro concedendum Fellero, speciali probando cultu erga cor Jesu in id Pontifices potissimum intendisse, ut in symbolica Cordis imagine immensam Christi caritatem fideles meditarentur atque venerarentur. [1] Duplex objectum cultus ss. Cordis Muzzarelli quoque, egregius sane theologus, apte distinguit. *Hoc religionis exercitium*, scribit, *habet pro objecto sensibili et materiali Cor adorabile Jesu, intime unitum ejus animae ac divinae personae. Aspice, dixit Dominus servae suae B. Margaritae Mariae cor suum* (materiale) *ostendens, aspice cor meum. Idem exercitium pro objecto invisibili et spirituali habet caritatem D. N. J. C., quam hominibus maxime in institutione ss. Sacramenti ostendit, caritatem illam, quam homines tantopere contemnunt atque offendunt. Aspice, inquit, cor meum, quod consumitur amore tui et omnium hominum.* [2] Ex his igitur omnino perspicuum est, in cultu ss. Cordis Jesu duplex *indivisim* spectari objectum; objectum primarium est immensus amor Salvatoris, objectum secundarium Cor Salvatoris materiale

---

[1]) Gerdil. l. c. in not. prop. LXIII animadv. §. 2. — Cum his etiam convenit, quod S. Congregatio Rit. a. 1821 in responsione ad quaedam Quaesita quoad festum ss. Cordis inter alia prae oculis habuit hoc principium: »Sacri Cordis Jesu festum non versatur circa peculiare Mysterium, cujus specialis solemnis commemoratio facta non fuerit in statutis ab Ecclesia diebus; sed est compendium aliarum festivitatum, in quibus diversa celebrantur Mysteria, et memoria recolitur immensae illius caritatis, qua Verbum caro factum est pro nostra redemptione et salute, sacramentum altaris instituit, peccata nostra portavit, seseque divino Patri in cruce moriens obtulit hostiam et sacrificium.« Gardellini, Decreta, t. III. n. 4549.

[2]) Esercizio di divozione al S. Cuore di Gesu, Introduzione. — Satis patet, quod etiam Muzzarelli vidit, in verbis Christi, dum ostendit famulae suae cor suum materiale, ac dein dicit, illud tantopere amasse homines etc., contineri metonymiam valde consuetam. Quae conveniunt Christi divinitati et humanitati, tribuuntur cordi propter illas relationes, ob quas cor etiam symbolum amoris est. Simili modo dicitur e. g. Ps. 144, 15: *Oculi* omnium in te *sperant* Domine. Cfr. Matth. 20, 15; Eccle. 2, 10.

ac corporeum ut symbolum hujus amoris, quod pariter cultu latriae adorandum est.

273. Rationem, quare Cor materiale Salvatoris hac in devotione prae aliis humanitatis Christi partibus honoretur, jam saepius expressimus. Cor Jesu corporeum videlicet merito acceptum est ut symbolum immensae illius caritatis et amoris, quo tot ac tanta Christus pro nobis fecit ac passus est, et potissimum sanctissimum Sacramentum instituit Corporis et Sanguinis sui, quo pascimur et potamur. Ad hoc symbolum seu Cor Christi corporeum ut sensibile cultus objectum respicientes illudque adorantes, et ipsi efficaciter ad redamandum Dominum inflammamur. Haec igitur ratio cultus, qui in hac devotione cordi Christi corporeo potius quam aliis ejus humanitatis partibus tribuitur, omnino solida est, et, uti ex documentis allatis patet, etiam ab Ecclesia sancita. — Solet ea quoque ratio afferri, quod cor corporeum sit virtutum et piarum affectionum Christi sedes, organum, et comprincipium. Sed id quidem juxta antiquorum opinionem asseri potest; at cor revera affectionum *proprie* sedem et comprincipium esse, ex recentiorum sententia jam non teneri posse videtur. Ejusmodi porro ratio cultus in documentis ecclesiasticis non proponitur, adeoque nec coram fidelibus est urgenda. [1])

---

[1]) Mira Ecclesiae prudentia in eo apparet, quod, quamvis communiter adhuc saeculo praeterito teneretur, cor esse affectionum propriam sedem et comprincipium, tamen haec ratio pro cultu ss. Cordis Jesu approbando ab auctoritate Ecclesiastica non fuit recepta. — Illud motivum aliquando a P. Galliffet, Postulatore causae pro cultu ss. Cordis, nimium urgebatur, et quum satis solidum non appareret, subsecuta est pro tempore repulsa concedendi festi, uti eruitur ex Benedicto XIV: De serv. Dei beatificatione etc. l. 4. p. 2. c. 31 n° 21 et sqq.« Et quidem, scribit ipse, ut petitionis vis et ratio clare perciperetur.. expositum fuit, rationem festi hujus pro quo supplicabatur, non consistere in sacratissimo Corde Jesu ipso per se nude ut loquuntur et solitarie sumpto, sed in Corde Jesu humanitati sacrosanctae, sive Divino corpori unito, et consequenter uti rem unam cum anima et divina persona constituente, ac uti *naturali sede, veroque comprincipio* ut vocant, virtutum omnium et affectionum interiorum

— Etiam verba Salvatoris: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*, non, sicuti aliqui auctores faciunt, ita accipi possunt, ac si iisdem Cor reale et corporeum exhibeatur veluti sedes illarum virtutum, et piarum affectionum Christi. Nam in illo textu cordis vocabulum manifeste

---

Christi Domini, et signanter immensi amoris, quo Patrem et homines prosecutus est, ac denique uti centro dolorum omnium amantissimi Redemptoris... Addidi oretenus, statui tanquam certum a Postulatoribus, cor esse ut vocant comprincipium sensibile omnium virtutum et affectionum, quasique centrum voluptatum et dolorum omnium interiorum. Sed id quaestionem philosophicam involvere, quum recentiores philosophi amorem, odium et reliquas animi affectiones non in corde, tanquam in sede sua, sed in cerebro collocent... Quamobrem quum nullum adhuc prodierit Ecclesiae judicium de veritate unius aut alterius ex his opinionibus, prudenterque ab hujusmodi definiendis sententiis Ecclesia abstinuerit atque abstineat, reverenter insinuavi, non esse petitioni annuendum innixae potissimum antiquorum philosophorum sententiae, cui recentiores adversantur.« — Etiam s. Alphonso non probabatur, quod P. Galliffet nimium praedictam rationem philosophicam urgeret, quemadmodum ex ejus Novena erga ss. Cor Jesu a. 1758 edita colligitur. Hac de re scribit P. Daniel, hist. de la B. Marguerite-Marie, p. 445: Selon saint Alphonse le P. Galliflet a eu tort de vouloir fonder sa thèse en faveur du sacré Coeur sur une vérite contestée, à savoir: que le coeur est le siège des affections... Nous sommes du sentiment de saint Liguori: il suffit *que le coeur joue un rôle essentiel dans les fonctions de la vie,* et surtout *qu'il soit le symbole le plus naturel et le plus populaire de la partie affective de notre âme.* — Potest certe pro cultu Cordis corporei Christi etiam illud alterum motivum afferri, quod P. Daniel hic innuit, intima videlicet communicatio cordis cum animi motibus generatim considerata. In ecclesiasticis tamen documentis, quibus explicationem conformare studuimus, uti ratio cur Cor Domini corporeum speciali modo colatur, ea potius proponitur, quod Cor istud symbolum est Christi nos amantis. Em. Cardinalis Gerdil expressis verbis scribit in sua Responsione ad quaesita quaedam proposita ab Episcopo Areticnsi, Augustino Albergotti, qui scriptis suis cultum s. Cordis magnopere promovebat: »Uti advertit auctor (Albergotti), ratio sola, cur s. Congregatio censuit, concedi debere ss. Cordi Officium et Missam propriam, ea est, quod Cor (istud) symbolum est amoris divini Jesu Christi.« Opp. Gerdilii tom. XV. p. 291. Edit. Rom. a. 1809.

sensu tropico adhibetur, et non cor materiale, sed animum Christi ejusque voluntatem designat. Simili modo frequentissime in sacris Litteris et alia verba, ut viscera, praecordia, renes, sensu figurato adhibentur.[1]) Unde illo textu non est utendum, ut directe ostendatur ratio, cur Cor Salvatoris corporeum colatur, quamvis idem ad commendandam universim devotionem de qua loquimur adduci possit.

Adversarii cultus.

274. Adversarii praecipui cultus ss. Cordis Jesu uti ab Ecclesia intenditur fuerunt Jansenistae, qui huic cultui deditos appellatione Cordicolorum et Alacoquistarum insultabant. Certe virulentis illis sectariis cultus, quo pietas catholica mirum in modum fovebatur, non potuit nisi vehementissime displicere, eo vel magis, quod a talibus viris cultus hic maxime promovebatur, qui Jansenistis prae caeteris exosi erant. Jansenistarum placitis nimium cesserunt etiam aliqui auctores catholici, ut Muratorius et Camillus Blasius, qui cum theologiae principiis sanis eum cultum conciliari non posse contenderunt. — Quum vero in cultu ss. Cordis duplex indivisim sit objectum, amor Jesu immensus, et cor Jesu corporeum, quod vere adoratur et colitur, concesserunt illi adversarii quidem, coli posse Jesu amorem sub appellatione tropica *cordis,* sed omnino negarunt, ejus Cor materiale et carneum adorandum et colendum esse, talemque cultum plane rejecerunt. Cultus igitur ss. Cordis, uti a Catholicis promovebatur in concreto, in quo utrumque objectum, tum amor Jesu, tum Cor ejus corporeum colebantur, ab iis ut superstitiosa novitas illudebatur; et revelationes, quibus hujus cultus promotio provocata erat, tanquam delirantis imaginationis repraesentabantur inventum. — Adversarii illi imprimis con-

---

1) Vox καρδια, quando sensu figurato occurit, in Vulgata vario modo vertitur. Sic. e. g. Sap. 8, 21: Εἰπον ἐξ ὅλης της καρδιας μου, vertitur: Dixi ex totis *praecordiis* meis. Etiam in textu allato, si loco *corde,* haberetur *praecordiis,* idem esset sensus. Manifeste enim sensus hic tropicus est, et non significatur cor carneum.

tendebant, a s. Sede tantum permitti cultum amoris Christi seu Cordis tropici, non vero simul Cordis corporei ejus; dein vero maxime insistebant in eo, cultu Cordis corporei Jesu induci divisionem et separationem in corpus Christi, neque convenire ut Cor separatum Domini colatur.

Refelluntur.

275. Utrumque quod ab adversariis asseritur, facili negotio refutatur. A s. Sede cultus ss. Cordis approbatus fuit, sicuti a promotoribus ejus proponebatur, scilicet ut coleretur conjunctim tum immensus Christi amor qui figurate nomine Cordis significatur, tum visibile cultus objectum et symbolum amoris Christi, ipsum videlicet materiale et corporeum Cor Salvatoris. Atque in officiis liturgicis, quae in honorem ss. Cordis Jesu celebrantur, manifestum est, et Christi amorem et Cor Salvatoris corporeum coli ac adorari. — Falsum vero est, cultu ss. Cordis induci separationem in Corpus Christi. Nemini enim umquam in mentem venit, ss. Cor Jesu materiale coli et adorari vel divisum ab humanitate, vel praecisione facta ab unione hypostatica, sive a persona divina, cujus est humanitas et ipsum quoque Cor. Sed adoramus una adoratione personam Verbi incarnati, atque in hac persona humanitatem totam et ipsum Cor vivum, animatum, et hypostatice unitum. Dum igitur peculiari ratione in cultu ss. Cordis nostram adorationem ad Cor Christi reale, ut symbolum caritatis Domini dirigimus, nullatenus illud ut separatum a corpore vel divinitate spectamus, sed ut partiale objectum toti junctum et subsistens in persona divina. [1])

---

[1]) Contra jansenistas igitur theologis catholicis tria vindicanda erant, quae ab illis haereticis negabantur. 1° Cor Salvatoris materiale objectum esse, cui adoratio debetur. 2° Cor materiale symbolum naturale caritatis esse, adeoque merito prae aliis partibus corporis Christi illud coli posse. 3° A s. Sede revera etiam cultum materialis Cordis Christi, et non solum cultum Cordis figurati (caritatis Christi) approbatum esse. Haec omnia theologi dogmatici optime demonstrarunt. Sed ex scopo polemico interdum factum est, ut dum id praecipue ostenderent, Cordi corporeo Salvatoris cultum adorationis tribuendum esse, totam indolem Cultus ss. Cordis Jesu non plene explicarent.

276. Illae Jansenistarum calumniae eorumque hac in re errores censuris perstricti fuerunt in Bulla *Auctorem fidei* contra conciliabulum Pistoriense edita. Quae in hac Bulla statuuntur hic opportunum erit adjungere. Itaque n° 61: Propositio quae asserit, adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturae; Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare cultum quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur, non quidem propter se et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur; proscribitur ut *falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et injuriosa.* — N° 62. Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas; Intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica Sede probata, proscribitur ut *falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam Sedem injuriosa.* — N° 63. Item, in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant, sanctissimam carnem Christi aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae; Quasi fideles Cor Jesu adorent cum separatione vel praecisione a divinitate, dum illud adorant ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro; *Captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.*

277. Ut quaestionem hanc jam concludamus, praecipua capita, quae de cultu ss. Cordis Jesu notanda sunt, ad haec reduci possunt. 1° In hoc cultu duplex conjunctum colitur objectum. Immensus amor Verbi incarnati

D. N. Jesu Christi est objectum cultus primarium, simulque ipsius cultus motivum. Ipsum materiale Cor Jesu est objectum cultus sensibile, et secundarium dici potest. Colitur enim hoc Cor materiale, quia est symbolum istius immensi amoris, et propterea prae aliis humanitatis Christi partibus ad illud cultus dirigitur. — 2º Cultus vero Cordi corporeo Christi praestitus *absolutus* est, non relativus. Cor enim corporeum Christi est aliquid ad ipsum Verbum incarnatum pertinens et infinitae excellentiae, adeoque plane diversum a symbolis, quae non in se perfectionem habent, sed tantum per relationem ad aliud ab ipsis diversum, cujus sunt repraesentatio. — 3º Cultus huic Cordi materiali praestitus necessario est cultus *supremae latriae*. Est enim Cor divinum hypostatice in Verbo incarnato subsistens. Atque non ut separatum a divinitate et corpore Christi Cor istud colitur, sed eadem adoratione qua integer Christus adoratur, Cor ejus colitur ut inseparabiliter divinitati unitum et pars humanitatis Domini. — Hujus vero devotionis fusius exponere finem et utilitatem, ad scopum nobis propositum non pertinet. Paucis haec indicantur illis verbis Breviarii Romani jam citatis: *Caritatem Christi patientis et pro generis humani redemptione morientis, atque in suae mortis commemorationem instituentis Sacramentum Corporis et Sanguinis sui, ut fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens XIII. P. M. ejusdem sanctissimi Cordis festum ... celebrari permisit.*

PARS SECUNDA.

DE MYSTERIO REDEMPTIONIS.

278. Consideravimus hucusque mysterium Incarnationis Verbi in se spectatum, ut sciremus, quis sit ille, a quo gens Christiana nomen habet, Christus Dominus, et qua ratione aeterni Patris unigenitus Filius factus sit homo. Quae igitur ad divinam humanamque Christi naturam, et utriusque in una persona admirabilem unitionem spectant, admoto revelationis lumine contemplati sumus, et cognatas his veritatibus conclusiones ex fidei radicibus deduximus. Restat, ut inquiramus in quo consistat magnum *Redemptionis sacramentum,* quo Christus Mediator homines Deo reconciliavit, iisque recuperavit dona peccato perdita. De ista igitur redemptione per Christum in hac tractationis nostrae altera parte imprimis agemus. Quum vero etiam Sancti, qui in patria coelesti jam aeterna felicitate fruuntur, mediatores secundarii sint Deum inter et homines adhuc militantes in terra, pariter de *Sanctorum intercessione et cultu* hoc loco tractabimus. **Quae tractanda.**

CAPUT I.

DE CHRISTO HOMINUM REDEMPTORE.

Articulus I.

DE NECESSITATE AC NATURA REDEMPTIONIS.

279. Si finem operum Dei tum in ordine naturali, tum in ordine supernaturali inquirimus, ea semper nobis **Finis incarnationis.**

debet esse veritas fixa et firma, ultimum operum Dei finem esse gloriam ejus; *omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus.* [1]) Sic etiam totum incarnationis opus, et oeconomia redemptionis, quae per saeculorum seriem usque ad mundi consummationem continuatur, ut ultimum finem respiciunt gloriam Dei. Gloria illa in tota sua plenitudine obtinebitur magno illo die aeternitatis, de quo

Gloria Dei.

s. Paulus: *Deinde finis: cum tradiderit* (Christus) *regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors... Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tum et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* [2]) — Quemadmodum vero in ipsa rerum omnium creatione cum fine ultimo qui gloria Dei continetur, ut finis secundarius ac proximus intime nexa est hominum felicitas; sic etiam in opere incarnationis similis habetur proximus finis, qui homines spectat. Clarissime enim nos docet revelatio, Filium Dei incarnatum esse ad lapsum genus humanum redimendum.

Redemptio hominum.

280. Totum videlicet genus humanum lapsum erat in protoparentibus; et gratia sanctificante privatum, a Deo alienum, ejus irae justae subjectum et captivum sub daemone a regno coelesti erat extorre. Ut igitur a tanta miseria liberaretur ac Deo reconciliatum salvari posset, Filius Dei humanam naturam assumpsit. Eum incarnationis fuisse finem, ex omnibus fidei fontibus patet. *Sic Deus*, inquit ipse Salvator, *dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam.* [3]) Et: *Venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.* [4]) Ex Patribus sufficiat in re tam explorata citare illa s. Augustini: *Nulla*

---

[1]) Prov. 16, 4. — Cfr. Tract. de Deo Creatore nº 52 et sqq.
[2]) 1 Cor. 15, 24–38. [3]) Jo. 3, 16. [4]) Luc. 19, 10.

causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. Tolle morbos, et nulla est causa medicinae. Si venit de coelo magnus medicus, magnus per orbem jacebat aegrotus. [1]) In Symbolo autem Nicaeno-Cptano profitemur fidem *in Jesum Christum Filium Dei unigenitum, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis et incarnatus est.*

Decretum incarn. an absolutum.

281. Consentiunt sane hac de fidei veritate omnes theologi; commemorare tamen oportet hoc loco paucis quaestionem confinem inter eos agitatam. Quaerunt videlicet, utrum incarnatio solum facta sit propter redemptionem humani generis, ita ut si Adam non peccasset, Verbum humanam naturam non assumpsisset. Non defuerunt nec desunt theologi qui statuunt, etiam antecedenter ad praevisionem lapsus protoparentis propter fines altiores et nobiliores incarnationem Verbi a Deo decretam fuisse. Ejusmodi fines varios recensent, inter quos praecipui sunt summa gloria Dei, quae ex incarnatione ac regno beatorum, cujus caput Christus homo-Deus est, obtinetur, et ex perfectione harmonica quae inde oritur, quod tota creaturarum series etiam per incarnationem in ordine ontologico miro modo cum Deo conjungitur. Sic igitur inter alios censuerunt Rupertus Abbas Tuitiensis, Alexander Halensis, B. Albertus M., et Scotus cum schola sua, atque inter recentiores Suaresius ac s. Franciscus Salesius. Negantem vero sententiam tenuerunt duce Doctore Angelico Thomistae, quibus plerique aliarum scholarum doctores junguntur. Ratio praecipua hujus sententiae negantis est, quod in fontibus fidei nullum alterius opinionis continetur solidum argumentum; imo Scripturarum et Patrum effatis potius redemptio generis humani ut unicum Incarnationis motivum exhiberi, et huic sententiae etiam Ecclesiae et fidelium sensus favere videtur. Sed nemo melius quam ipse s. Thomas, quae hac in re dicenda sunt exprimit illis verbis: *Quidam dicunt, quod etiamsi homo non peccasset,*

---

1) Serm. 175.

Dei Filius incarnatus fuisset. Alii vero contrarium asserunt, quorum assertioni magis assentiendum videtur; ea enim quae ex sola voluntate Dei proveniunt supra omne debitum naturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in s. Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Unde quum in s. Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, convenientius dicitur, incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum, ita quod peccato non existente incarnatio non fuisset. Quamvis potentia Dei ad hoc non limitetur; potuisset enim etiam peccato non existente Deus incarnari. [1] Hanc igitur s. Thomae doctrinam alteri praeferendam esse existimamus. Eadem huc redit, potuisse quidem Verbi incarnationem fieri peccato non existente; in actuali autem ordine rerum incarnationis opus decretum fuisse ad redimendos homines peccato lapsos.

Qualis incarnationis necessitas.

282. Jam quaeritur, utrum supposito peccato protoparentis necessaria fuerit redemptio humani generis, et incarnatio Verbi ad suscipiendam hanc redemptionem. [2] Ad hanc quaestionem brevi responderi potest verbis Concilii Coloniensis: *Poterat quidem Deus genus humanum in Adamo lapsum non reparare, sed sorti sibi paratae et libere inductae, suisque viribus naturali tantum auxilio adjutis committere. Poterat quoque aliis humano generi, si reparare volebat, succurrere viis. Si vero integram exigens satisfactionem justitiam non minus quam misericordiam manifestando reparare volebat, nemo poterat satisfacere, nisi qui Deus simul esset et homo.* [3]

---

[1]) S. th. p. 3. q. 1. a. 3.

[2]) Statuerunt aliqui inter antiquos (ut Raimundus Lullus) nec non inter recentiores absolutam necessitatem incarnationis, saltem in hypothesi creationis mundi. Sed haec sententia tam manifeste falsa est Deique summae libertati contraria, ut superfluum videatur eidem refutandae immorari. Cfr. ea, quae de libertate voluntatis divinae statuuntur in Tractatu de Deo uno n⁰ 234 et sqq.

[3]) Conc. Col. a. 1860. P. 1. c. 18.

283. Imprimis igitur post hominis lapsum Deus nullatenus obligabatur ad reparandum humanum genus, sed potuisset illud in statu in quem inciderat culpa protoparentis relinquere. Id plane patet, si consideramus, bona, quibus propter Adae peccatum omnes posteri ejus privati fuerunt, fuisse bona gratuita et naturae humanae haud debita. Gratuita enim erant dona illa supernaturalia et praeternaturalia, ut gratia sanctificans, et integritas; gratuita etiam promissa supernaturalis felicitas, cui assequendae humanum genus jam capax non erat. Subtractis autem donis gratuitis, infirmitas ac difficultas ad bonum ex ipsa natura humana consequebantur. Potuisset igitur Deus homines in illo statu relinquere, et justissime non velle reparare genus lapsum. Nec tamen, quantum cogitare possumus, iis subtraxisset auxilia naturalia, ut bonum facere et ad statum quemdam felicitatis naturalis in altera vita pervenire possent. Bene hac de re Suaresius: *Licet Deus post praevisum originale peccatum statuisset non redimere homines per Christum, vel omnino illos non restituere ad felicitatem supernaturalem neque ad gratiam, nihilominus (quantum cogitari potest) non crearet illos destitutos debita et convenienti providentia naturali, neque hoc esset debitum peccato originali; sed potius illos relinqueret in hoc mundo tamquam viatores in ordine ad conservationem et propagationem naturae, et ad comparandam in hoc mundo Dei cognitionem et virtutem, et consequenter ad obtinendum post mortem saltem in anima separata aliquem statum naturalem, vel felicem in suo ordine et gradu, vel saltem carentem speciali dolore et poena sensus, si nova peccata non admitterent. Ergo ex vi talis providentiae non privaret illos omni cogitatione honesta, nec obduraret illos, vel quasi in malo obstinatos relinqueret.* [1]) Sed necessarium non est subtilius hic inquirere, quid in hypothesi fieret, quod Deus genus humanum reparare non

Explicatur.

---

[1]) Suarez de Gratia, Prolegom. 4. c. 9.

vellet; sufficiat ostendisse, Deum hominibus reparationem nullo modo debuisse.

284. Etiam, si humanum genus reparare volebat, non erat per se necessaria incarnatio Filii unigeniti ac redemptio per ipsum. Nam Deus per suam omnipotentem virtutem poterat humanam naturam aliis modis reparare. Poterat e. g. ex mera misericordia protoparentibus gratiam ad poenitendum de peccato commisso concedere, et etiam satisfactione non praestita eos cum posteris suis in statum supernaturalem restituere. Vel potuisset aliquem ex ipsis hominibus ut caput juridicum totius generis constituere, qui satisfactionem quamdam pro omnibus praestaret, ita ut ea praestita, quamvis peccato delendo nullatenus esset condigna, ex misericordia sua homines iterum gratia supernaturali ornaret. Et variae viae aliae Deo erant apertae ad genus humanum reparandum. Nam etiam hac in re valet illud Jeremiae prophetae: *Non erit tibi difficile omne verbum;*[1] et quod Dominus dicit: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.*[2] — Haec pariter sanctorum Patrum sententia est; statuunt enim communiter, etiam sine Filii Dei incarnatione humanum genus reparare potuisse. *Sunt stulti,* ait s. Augustinus, *qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem et naseretur de femina, et a peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicitur: Poterat omnia; sed si aliter faceret, similiter stultitiae vestrae displiceret.*[3] Sic etiam s. Gregorius Nazianzenus: *Haec,* scribit, *Salvator fecit,... cum tamen sola voluntate nobis, utpote Deus salutem afferre posset, quemadmodum et universam rerum machinam solo jussu atque imperio creavit*[4]).

285. Necessaria vero fuit incarnatio in duplici hac hypothesi, quod 1° Deus voluit genus humanum restaurare,

---

[1]) Jerem. 32, 17. [2]) Matth. 19, 26.
[3]) Lib. de agone Christi c. 11. [4]) Orat. 19.

et quod simul 2° peccatum remittere et gratiam, quam homo culpa sua perdiderat, restituere noluit, nisi *satisfactio adaequata* praestaretur pro injuria Deo illata, et *meritum adaequatum* exhiberetur pro recuperandis supernaturalibus bonis, quae amissa erant. Etenim non alius adaequatam poterat praestare satisfactionem, nisi qui Deus simul erat et homo, nec alius meritum adaequatum pro bonis illis recuperandis offerre. Hunc autem modum, reparandi genus humanum per incarnationem Filii et per satisfactionem ac merita Dei-hominis, Deus elegit. Atque eum modum maxime convenientem fuisse, nemo non videt. Splendidissima enim ratione Deus ita tum justitiam, tum misericordiam suam ac sapientiam manifestat. Certe justitia Dei maxime manifestatur, dum Deus pro peccato commisso adaequatam requirit satisfactionem, et merita condigna ad bona perdita hominibus recuperanda. Misericordiam autem suam et sapientiam Deus simul ineffabili modo ostendit, quum non solum in statum supernaturalem ex mera bonitate sua genus humanum restaurat, sed Filium proprium unigenitum mittit, ipsumque in assumpta humana natura constituit caput humani generis, ut tanquam mediator inter Deum et homines, ipse satisfactionem praestet, hos reconciliet Deo, meritisque suis infinitis iis perdita bona iterum acquirat. Unde et Salvator ipse ex incarnatione sua maxime Dei bonitatem commendat dicens: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam.*[1]) — Sed jam naturam satisfactionis et redemptionis per Christum accuratius evolvamus.

---

[1]) Jo. 3, 16. — De bonis quae inde secuta sunt, quod Deus per incarnationem Filii unigeniti humanum genus reparare voluit, inferius sermo recurret. — Notandum est, esse inter auctores catholicos qui statuunt, spectatis omnibus Dei perfectionibus reparationem humani generis non aliter nisi per incarnationem Filii fieri potuisse. Censent videlicet, Deum si homines reparare volebat, non potuisse illaesis justitiae suae juribus haud repetere plenam et condignam satisfactionem, adeoque quum haec a solo Filio incarnato praestari posset,

Redemptionis naturae.

286. Ut notionem accuratam redemptionis per Christum Dominum efformemus, breviter aliqua de peccato protoparentum recolenda veniunt. Transgressione mandati divini protoparentes imprimis libere se a Deo averterunt eique summam intulerunt injuriam. Essentiale enim et summum jus est Dei, principii et finis omnium, ut rationalis creatura se totam ad ipsum dirigat, et ipsi absolute sit subjecta. Supereminenti et infinita Dei perfectione fit quidem, ut Deo nullum damnum inferatur nec inferri possit, sed ex eadem perfectione et essentiali creaturae subjectione fit etiam, ut injuria per peccatum facta sit eo gravior. Gravitas enim injuriae primarie desumitur ex dignitate personae laesae prae illa a qua laeditur, et sub hoc respectu, quum peccatum sit injuria Deo infinito illata a creatura sua, omne peccatum mortale quamdam habet reitatem infinitam. *Peccatum contra Deum commissum,*

---

in illa hypothesi incarnationem necessariam fuisse. Hanc sententiam Tournely, gravis sane theologus, ita mitigat: 1° Ex hypothesi, quod lapsum hominem Deus reparare voluerit, absoluta et extraordinaria potentia potuisset absque incarnatione et suae justitiae satisfacere et hominem servare. 2° Ex potentia Dei ordinaria, et jure virtutibus temperato, seu ex legibus divinae justitiae, ita necessaria fuit incarnatio Verbi, ac satisfactio per ipsum Deo persolvenda, ut sine illa homo lapsus reparari non potuisset. — Attamen haec distinctio inter Dei potentiam absolutam et extraordinariam, atque potentiam ordinariam et jus virtutibus temperatum nobis non probatur, quum in concreto id solum et omne Deus liberrime possit, quod cum omnibus perfectionibus ejus congruit. Existimamus igitur, simpliciter statuendum esse, Deum si voluerit genus humanum reparare, id potuisse et aliis viis facere, quam per Incarnationem. Citantur quidem aliqua Patrum effata, quibus necessitatem Incarnationis ad reparationem humani generis vindicare videntur. Sed explanari possunt variis modis. Vel enim loquuntur in suppositione, quod Deus voluerit adaequatam satisfactionem pro culpa; vel magnam Incarnationis convenientiam urgent et commendant, quin omnimodam necessitatem asserere velint. Ultima hac ratione etiam s. Anselmus non incongrue explicatur, cujus libro: *Cur Deus homo*, praecipue illi insistunt, qui in suppositione reparandi generis humani, necessitatem Incarnationis defendunt. Sed haec innuisse sufficiat.

ait Angelicus Doctor, *quamdam infinitatem habet ex infinitate divinae majestatis: tanto enim offensa est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur*[1]).

287. Transgressionem et culpam actualem protoparentum sequebatur *status peccati*, seu *culpa habitualis*; status videlicet obnoxius displicentiae et improbationi Dei propter actum praecedentem. In praesenti ordine culpa haec habitualis consistit in privatione supernaturalis splendoris gratiae, sive in *macula* peccati, quae peccatum est ex sua relatione ad actuale peccatum, cujus est effectus[2]). Haec gratiae privatio constituit peccatum originale, cui omnes posteri Adae propter protoparentis transgressionem obnoxii sunt. In vindictam hujus transgressionis etiam alia bona supernaturalia protoparentes tum sibi, tum posteris suis amiserunt, et genus humanum concupiscentiae, hujus vitae aerumnis, damnationi aeternae obnoxium factum est. Totus hic status, in quo miseria, mors atque peccatum homini veluti dominantur, saepissime in sacris Litteris ut *servitus sub morte et peccato* designatur; quumque diabolus, operis mali suasor, homines ad peccatum adduxisset, et non solum eos suae poenae socios reddidisset, sed etiam tyrannidem quamdam Deo permittente in genus humanum exerceret, idem status pariter *servitus sub diabolo* merito nominatur[3]).

Status peccati.

288. Postquam hisce exposuimus, qualis fuerit status generis humani post peccatum a protoparentibus commissum, facile est ostendere, si Deus satisfactionem adaequatam exigebat pro illata injuria, et meritum adaequatum pro bonis recuperandis, tantum per Verbum incarnatum hominum redemptionem fieri potuisse. — Satisfactio est *opus*,

---

[1]) S. th. p. 3. q. 1. a. 2. ad 2. — Cfr. Tract. De Novissimis n. 57.

[2]) Privatio gratiae active sumpta, h. e. quatenus est ex parte Dei, est poena peccati actualis; passive considerata ut status animae, haec privatio gratiae in sua relatione ad peccatum actuale est macula peccati, seu peccatum habituale. Cfr. de his Tractat. de Deo Creatore n° 338 et sqq.

[3]) Cfr. Tractatum De Deo Creatore n. 310 sqq.

Satisfactionis indoles.

quo quis compensat injuriam a se vel alio illatam alteri. Eadem igitur praestatur illi, cujus honor laesus est, et cedit in bonum rei, pro cujus culpa et poena satisfit. *Valor* satisfactionis est *moralis dignitas et proportio operis ad compensandam injuriam illatam*, adeoque si inter hoc opus et injuriam adest plena proportio, satisfactio erit adaequata, secus vero inadaequata. Sicut autem gravitas injuriae maxime desumitur ex dignitate personae laesae, ita ordine inverso valor satisfactionis desumitur ex dignitate personae satisfactionem exhibentis. Quod enim honorem et obsequium defert, non est tantopere opus in se spectatum, sed persona quae opere alterum honorat. Quaevis ergo satisfactio a persona creata Deo exhibita pro injuria hominum peccatis ipsi illata, finiti erat valoris, nec apta ad compensandam injuriam illam Deo infinito inflictam. Ab homine ipso eo minus illa satisfactio fieri poterat, quia subjectus erat irae divinae. Sed satisfactio quaevis exhibita a persona excellentiae infinitae etiam infinitum habebat valorem, adeoque apta erat ad injuriam Dei reparandam. Manifestum igitur est, a Verbo incarnato adaequatam satisfactionem praestari potuisse. Et quidem infinitum valorem habebat quaevis exhibitio obsequii atque honoris ex parte Verbi incarnati, adeoque *intrinsece*, vel uti dici solet in *actu primo* sufficiens erat, ut illata Deo ab hominibus injuria eâdem reparari posset.

Satisfactio Christi.

289. Ut vero quis *pro alio* satisfaciat, requiritur ut *eum repraesentet*, ut a persona satisfaciente *opera ordinentur ad satisfaciendum* pro alio, et ut haec *satisfactio a laeso acceptetur*. Per ipsum porro decretum Incarnationis et missionem Verbi in mundum, Christus constituitur *secundus Adam, caput et repraesentans juridicus generis humani*, et etiam *acceptatio* satisfactionis ejus pro genere humano in hoc includitur. *Intentio* autem *satisfaciendi* per haec opera ex voluntate humana Christi est repetenda, qua se Deo obtulit ut hostiam pro salute generis humani, ita quidem ut satisfactio et redemptio non quacumque ratione, sed determinato illo modo quo Christus functus est fieret, adeoque

per passionem et mortem in cruce consummaretur. Et haec oblatio a Deo acceptata fuit. — Itaque quamvis *dignitate sua intrinseca et in actu primo* quaecumque opera Christi, quum valorem infinitum ex persona operante haberent, apta essent et sufficerent ad satisfactionem atque ad redimendum genus humanum, tamen *de facto et in actu secundo* redemptio non fuit absoluta, nisi quando Christo sanguinem suum fundente et moriente in cruce, opus ejus satisfactorium consummatum fuit. Excellentissimo scilicet modo voluit Christus genus humanum redimere. *In ara crucis,* scribit Clemens VI, *innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse* [1]). Quum vero Christus *se ipsum* dederit *sanguinemque suum* ad satisfaciendum Deo profuderit, facile vides, infiniti valoris fuisse non tantum actionem Christi propter operantis dignitatem, sed et ipsum donum oblatum, sanguinem scilicet Dei-hominis, et Christum ipsum ut victimam.

Merita Christi.

290. Fere eadem quae de satisfactione Christi, etiam de *meritis* ejus dicenda sunt. Meritum est *opus, quo quis dignum se reddit, ut sibi, vel intuitu sui aliis, bona retribuantur.* Haec bona sunt ipsi merenti merces et praemium, aliis sunt gratia facta a merente vel intuitu merentis. Opera Christi sicuti ad satisfaciendum, ita et ad merendum intrinsece infinitum valorem habebant. Ut vero in actu secundo hominibus mereretur iisdem restitutionem bonorum amissorum, requirebatur pariter acceptatio Patris et ordinatio meritorum ad hoc. Quid porro hac de re statuendum sit, ex superioribus jam colligitur.

Redemptionis notio.

291. Opus quod Christus Dominus satisfaciendo et merendo pro genere humano perfecit, saepissime *redemptio* nominatur. Redemptio est *restitutio ex servitute in libertatem amissam pretio oblato.* Amissa erat ab hominibus libertas filiorum Dei, et suberant servituti mortis, peccati et daemonis. Oblatum pretium est ipsa satisfactio

---

[1]) Constit. *Unigenitus* in Extrav. de poenit. et remiss. c. 2.

et meritum Christi. Profecto illud pretium non solvitur diabolo, ut ex ejus servitute homines redimantur; sed satisfactio et merita offeruntur Deo, atque propter haec Deus servitutem hominis sub morte, peccato et daemone ipse destruit, adoptionemque filiorum et bona supernaturalia hominibus restituit. Satisfactio igitur et meritum Christi cum aliqua metaphora pretium nominantur, et sic etiam vox redemptionis metaphoram istam includit.

Finis et effectus.

292. *Finis* porro atque *effectus* redemptionis ad haec reduci possunt. Imprimis finis ad quem Deus constituit Christum redemptorem non is fuit, ut totum genus humanum continuo et nullis interpositis mediis ac dispositionibus redimendorum ad pristinam gratiam et gloriam beatam restitueretur. Sed finis erat: 1° Ut injuria Deo facta quibusvis hominum peccatis compensaretur. 2° Ut Deus placatus integra servata justitia totum lapsum genus conservaret in primitiva destinatione ad beatitudinem supernaturalem, et se vellet iterum hominibus supernaturaliter communicare, bonaque perdita restituere. Restituenda autem erant ex beneplacito divino bona perdita supernaturalia, gratia scilicet sanctificans et quae ad hunc gratiae ordinem pertinent, continuo, bona vero perdita praeternaturalia, ut integritas et impassibilitas, in consummatione saeculorum. 3° Ut ex parte sua Deus vellet omnibus restituere possibilitatem merendi beatitudinem supernaturalem. Atque ideo 4° ut ex parte sua propter Christi merita vellet dare omnibus necessaria media salutis et gratiarum auxilia, quibus bene utentes sese disponerent ad remissionem peccatorum, ad gratiam adoptionis, et jus haereditatis aeternae, ex meritis Christi obtinenda. Pariter, ut gratia recuperata propter merita Christi, admitterentur ad condigne satisfaciendum pro poenis residuis, et ad merendam coronam, propriis operibus factis per gratiam ex Christi meritis concedendam.

293. Recolendum etiam est, satisfactionem et merita Christi suum effectum habuisse non solum pro iis, qui post Christum vixerunt hominibus, sed etiam pro iis, qui ante

Salvatoris adventum fuerunt in hoc mundo. Deus videlicet consequenter ad praevisionem lapsus protoparentum incarnationem et redemptionem per Verbum caro factum decrevit, statimque post lapsum redemptorem promisit, qui in plenitudine temporis missus est. Intuitu igitur futurae satisfactionis ac meritorum futurorum Christi, modo superius indicato Deus hominibus etiam ante Christi adventum possibilitatem salutis largiebatur; ipsi autem futuro Salvatori jungebantur per fidem et spem in illum, qui promissus erat. Et quando in mundum Salvator juxta consilia divinae sapientiae venit, tunc actu illud pretium solvit, cujus intuitu pariter omnibus hominibus usque ad saeculorum consummationem victuris eadem gratia parata est. Notanda tamen est differentia quaedam inter statum eorum, qui ante adventum Christi fuerunt, et eorum qui post ipsum vivunt. Imprimis nemini eorum, qui ante Redemptoris adventum intuitu satisfactionis et meriti futuri ejus justificati sunt, aeterna gloria conferebatur, nisi post Christi satisfactionem actu praestitam et consummatam in cruce. Degerunt igitur justi defuncti in limbo Patrum, donec ab ipso Redemptore in coelum ascendente in aeternae beatitudinis domicilium introducti sunt [1]). Praeterea, quamquam etiam ante Domini adventum omnibus gratiae ad salutem obtinendam praesto erant, tamen multo majori abundantia gratias suas in novo Foedere Deus elargitur [2]).

---

[1]) »In coelum abiens, portas quae Adami peccato interclusae fuerant, patefecit, nobisque viam munivit, qua ad coelestem beatitudinem perveniremus, quemadmodum ipse in coena discipulis futurum praedixerat; quod quidem ut rei etiam eventu aperte comprobaret, piorum animas quas ab inferis eripuerat, secum in aeternae beatitudinis domicilium introduxit.« Catech. Concil. Trid. P. 1. a. 6.

[2]) De mediis salutis ante Salvatoris adventum gentibus concessis praeclara sunt illa Auctoris librorum *de vocatione omnium gentium*: »Quod in Israel per constitutionem legis et prophetica eloquia gerebatur, hoc in universis nationibus totius creaturae testimonia et bonitatis Dei miracula semper egerunt. Sed cum in illo populo, cui utraque eruditio praefuit, nemo nisi gratia justificatus sit per spiritum fidei, quis ambigat eos, qui de quibuscumque nationibus quibus-

Redemptio universalis.

294. Satisfactio igitur Christi Domini, oblatio hujus satisfactionis ac meritorum ejus, et acceptatio Patris *universalis* fuit. Ad remissionem peccatorum videlicet, ac gratiam et salutem omnibus hominibus conferendam haec satisfactio a Christo ordinata et a Patre acceptata fuit, voluntate tamen antecedente et conditionata, quatenus propter merita Christi omnibus quidem necessariae gratiae praesto essent, sed praeterea propria quoque cooperatio juxta modum expositum requireretur. Hinc quamvis omnes salvari possint, non omnes tamen actu salvi fiunt. Atque hoc exprimitur quando dicitur: satisfactionem et merita Christi oblata esse pro omnibus hominibus quoad *sufficientiam*, non vero quoad *efficaciam*. Calvinistae et Jansenistae id eo sensu dicunt, quod valor intrinsecus quidem meritorum Christi sufficiens sit pro salute omnium, Deus tamen hanc salutem etiam antecedente ac seria voluntate nullatenus velit. At blasphema et impia est ejusmodi doctrina. Dum sufficientiam satisfactionis et meritorum Christi pro omnibus asserimus, non agitur tantum de valore intrinseco meritorum, sed statuitur, omnibus propter merita Christi sufficientes gratias, quibus salutem obtinere possint, a Deo ex seria voluntate salutis omnium offerri. Dum vero dicimus, non pro omnibus oblata esse illa merita quoad efficaciam, significamus, non omnes actu salvari, sed id culpae ipsorum tribuimus [1]. — *Abundantissima* etiam dicimus satisfactionem et merita Christi, non solum ut significemus multiplicia esse et praeclarissima opera, quibus satisfactio et meritum Christi consummata fuerunt; sed maxime ut exprimamus, satisfactionis et meritorum valorem esse infinitum. Inde fit, ut nunquam exhauriatur, sed dignus sit, ut semper ulteriores gratias propter eum hominibus Deus concedat.

libet temporibus Deo placere potuerunt, spiritu gratiae Dei fuisse discretos? Quae etsi parcior ante atque occultior fuit, nullis tamen saeculis se negavit, virtute una, quantitate diversa, consilio incommutabili, opera multiformi.« L. 2. c. 5. 6. — Cfr. Tract. de Gratia n. 237 et sqq.

[1]) Cfr. Tract. de Gratia n° 180 et sqq. et Tract. de Deo n° 258 et sqq.

Christus Mediator.

296. Cum natura redemptionis intime cohaeret, quod Christus *mediator* sit inter Deum et homines. *Unus enim Deus,* scribit Apostolus, *unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* [1]). Est autem Christus mediator perfectissimo modo; unus videlicet Christus potuit esse atque est mediator *naturalis*, et talis *mediator moralis*, ut *adaequata satisfactione* praestita genus humanum Deo reconciliarit. — Mediator universim est medius inter duos pluresve ad eos aliquo modo conjungendos et reconciliandos, seu ille, qui injuriam propter quam inter duas partes exorta erat inimicitia reparans, easdem partes iterum conjungit atque reconciliat. Ex hac ipsa notione patet, necessarium esse, ut mediator cum ambabus quas conjungit partibus aliquid commune habeat. Haec conjunctio per aliquod commune cum utraque parte constituit *mediatorem in ordine ontologico*, simulque fundamentum seu aptitudinem ad munus reconciliationis. Hoc vero munus ipsum est *mediatio in ordine morali;* eodem aliquis *mediator moralis* constituitur.

Naturalis.

Christus Dominus *naturalis* est mediator inter Deum et homines, quia *naturam utramque*, divinam scilicet et humanam per unionem hypostaticam in semetipso continens, per hoc aptus erat, ut amicitiam Deum inter et homines restauraret. Atque hoc non nisi uni Christo convenit. Quicumque enim alii mediatores inter Deum et homines constituuntur, in ordine ontologico non per naturam, sed per dona gratiae ea habent, ut mediatores esse possint. Id facile vides in sacerdotibus, qui per charisma datum muneris et potestatis illa habent, quibus mediatores inter Deum et homines constituti sunt. Atque hoc ipsum donum in ordine actuali rerum ipsis non conceditur, nisi propter merita Christi, qui solus est mediator naturalis, ex eo quod in ipsius persona natura divina atque humana uniuntur.

296. Quum porro Christus ad eum finem missus sit in mundum, ut homines cum Deo reconciliaret, *quoniam*

---

[1]) 1 Tim. 2, 4.

quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi,[1]) vides, *munus* quoque *reconciliationis* ei datum fuisse, adeoque Christum sicuti naturalem, ita et *moralem* esse *mediatorem* generis humani. Reconciliationem autem perfecit perfectissimo modo, scilicet *adaequata* praestita satisfactione, ut superius jam explicavimus. Atque adaequatam hanc satisfactionem praestare poterat, quia in sua persona utramque naturam conjungebat. Missus ad generis humani reconciliationem, suscepta natura humana, et vere genitus ex muliere operante Spiritu sancto, ut secundus Adam repraesentare poterat totum genus humanum ac satisfacere pro ipso. Quum vero simul Deus esset, satisfactio quae efficienter fiebat per humanam naturam assumptam, infinitum acquirebat valorem et adaequato modo injuriam Deo illatam reparabat. De hac ratione mediatoris frequenter et copiose ss. Patres agunt, quorum tamen testimonia singillatim afferre longum esset. Sufficiant pulcherrima illa s. Augustini verba: *Ut mediator esset inter Deum et homines, inter justum et injustos, inter immortalem et mortales, assumpsit aliquid ab injustis et mortalibus servans aliquid cum justo et immortali. Cum justo enim et immortali servans justitiam, ab injustis et mortalibus assumens mortalitatem, factus est in medio reconciliator; dejiciens murum peccatorum nostrorum*[2]).

Et moralis.

Errores.

297. Opportunum erit pauca adjungere de praecipuis erroribus quoad satisfactionem et redemptionem per Christum. Inter antiquos relate ad haec maxime erraverunt Pelagiani; nec mirum, quum juxta principia sua hac de re non nisi doctrinam omnino erroneam tenere possent. Quum enim negarent peccatum originale ejusque sequelas, statuerentque, hominem naturae suae viribus assequi posse aeternam beatitudinem, inde etiam consequenter inferebant, nos mediatoris gratia non indigere ad salutem, neque necessarium fuisse, ut Christus pro nobis satisfaceret,

Pelagiani.

[1]) 2 Cor. 5, 19.

[2]) Sermone 120 de diversis.

et sanguine suo gratias nobis compararet, quibus corrupta natura sanaretur. Totum igitur missionis Christi fructum in eo collocabant, quod viam salutis nobis tum exemplis, tum doctrina monstraverit.

298. Recentiori tempore Sociniani, quum Christi divinitatem negent, ac generatim omnia fidei mysteria e medio tollant et rationalismum ipsis substituant, pariter doctrinae verae de redemptione per Christum sua placita substituerunt, erroribus Pelagianorum hac in re valde similia. Sociniani. *Censeo ego,* scribit Faustus Socinus, *et orthodoxam sententiam esse arbitror, Jesum Christum ideo Servatorem nostrum esse, quod salutis aeternae viam nobis annuntiarit, confirmarit, et in sua ipsius persona tum vitae exemplo, tum ex mortuis resurgendo manifeste ostenderit. Divinae autem justitiae, per quam nos peccatores damnari meremur pro peccatis nostris, neque illum satisfecisse, neque ut satisfaceret opus fuisse* [1]). Statuunt videlicet Sociniani, Deum peccata gratis ac sine ulla satisfactione dimittere, adeoque et Christum pro nobis non satisfecisse. Nihilominus haeretici isti, ut fucum faciant, eodem modo loquendi, quo Catholici, uti solent; sed verbis alium sensum callide subjiciunt. Sic Christum Salvatorem et Redemptorem appellant, non quod pretio sanguinis nos redemerit, sed quod viam salutis nobis monstraverit; Mediatorem apud Deum, quod deprecator intercedat apud Deum, qui deinde gratis nobis peccata dimittat, quodque divinae voluntatis interpres sit. Imo et mortuum Christum esse pro nobis non diffitentur. Jam vero non eo sensu id admittunt, quod tamquam victimam se in mortem dederit ad peccata expianda, sed quatenus morte sua sanctissimam quam praedicavit doctrinam confirmaverit, insigne omnibus patientiae exemplum reliquerit, et homines a terrenis desideriis evocaverit. — Quum omnes illae doctrinae perversae inde scaturiant veluti ex fonte, quod quidquid in religione christiana supernaturale est rejiciant et commentis rationis ac-

[1]) De Christo Servatore l. 1. c. 1.

commodare nitantur, necessarium non est, errores hosce ulterius refellere. Neque singula capita doctrinae orthodoxae a nobis propositae hic accuratius ex fidei fontibus demonstrabimus; plurima enim quae huc spectant ex praecedentibus jam consequuntur, et magis etiam ex iis probabuntur atque clarescent, quae de muneribus redemptoris ejusque sacrificio inferius exponemus. Diluendae tamen sunt aliquae objectiones, quibus Sociniani et increduli evincere nituntur, doctrinam catholicam de satisfactione et redemptione sanae repugnare rationi.

Objectiones. 299. Objectiones eorum praecipuae ad has difficultates reduci possunt. Catholica de satisfactione Christi doctrina tandem eo redit, quod Christus innocens peccata omnium hominum in se susceperit, a Deo pro iis punitus fuerit, ac propter hanc poenam Christo inflictam hominibus peccata condonata sint. Jam vero consentaneum non est rationi, ut innocens puniatur pro reis, et hi a poena liberentur. — Quomodo porro Christus vere satisfecerit, nullatenus intelligitur, quum satisfaciens idem esset atque is, cui satisfactio praestabatur; videlicet Christus Deo i. e. sibi ipsi satisfactionem praestitit. Id vero repugnat, quum distinctio personae requiratur inter eum qui satisfacit, et illum cui satisfactio praestatur. Sic etiam intelligi nequit, quomodo Christus mediator erat inter Deum et homines. Mediator inter duos est tertius, qui eos reconciliat. Sed Christus erat ipse Deus, cum quo homines reconciliandi erant; proinde nequit esse mediator inter Deum et homines. — Demum si abundans est satisfactio Christi, eo ipso superflua est satisfactio nostra. Unde etiam hac in re doctrina catholica contradictoria continet, quum praeter Christi satisfactionem simul a peccatore etiam propriam satisfactionem pro peccatis suis postulet.

Diluuntur. 300. Respondemus ad primam difficultatem, Christum non *formaliter* peccata nostra in se suscepisse, ita ut ipse peccator esset. Id sane repugnat. Quum vero poena in suo sensu proprio significet malum quod delinquenti infligitur in vindictam culpae, etiam dici nequit sensu proprio,

Christum a Deo punitum esse. Sed Christus ut caput juridicum repraesentans, sicuti Adam in suo lapsu, totum genus humanum, libere suscepit munus, per voluntarios labores, dolores, ac mortem, satisfaciendi pro injuriis Deo illatis a membris suis. Oblationem voluntariam, ut hac ratione pro hominibus satisfaceret juribus justitiae divinae, Deus acceptavit. Solum igitur hoc sensu dicitur Christus suscepisse in se peccata nostra. Nec proinde innocens a Deo punitur, sed voluntaria oblatio innocentis, qua reparat ut caput juridicum injurias Deo ab hominibus factas, acceptatur. Quatenus peccata hominum causa erant, cur Christus susciperet labores et dolores, et quatenus hi ordinabantur a Deo ut satisfactio pro peccatis, aliquo sensu iidem poenae peccati dici possunt. — Neque Deus Christo mortem intulit, sed judicium impiorum et Judaeorum scelus ipse permisit. Praeclare haec illustrant quae scribit s. Thomas explicans verba Apostoli: *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ait videlicet: *Christus passus est voluntarie ex obedientia Patris. Unde secundum tria Deus Pater Christum tradidit passioni: uno quidem modo, quod sua aeterna voluntate praeordinavit passionem Christi ad humani generis liberationem;... secundo, in quantum inspiravit ei voluntatem patiendi pro nobis, infundendo ei caritatem;... tertio, non protegendo eum a passione, sed exponendo persequentibus* [1]).

301. Ad alteram jam veniamus objectionem. Reco-

---

[1]) S. th. p. 3. q. 47. a. 3. Unde, quum Christus voluntarie omnia pro hominibus reconciliandis susceperit, ejus opus non fuit *satispassio*, seu perpessio patiens eorum quae ab ejus voluntate haud dependebant, sed *satisfactio*, scilicet susceptio voluntaria laborum, dolorum et mortis. »Innocentem hominem, ait ibidem Angelicus Doctor, passioni et morti tradere contra ejus voluntatem, est impium et crudele. Sic autem Deus Pater Christum non tradidit, sed inspirando ei voluntatem patiendi pro nobis. In quo ostenditur et Dei severitas, qui peccatum sine poena dimittere noluit,... et bonitas ejus in eo, quod quum homo sufficienter satisfacere non posset per aliquam poenam quam pateretur, ei satisfactorem dedit.«

lendum igitur est, in Christo duplicem esse naturam, divinam et humanam, adeoque eum vere esse Deum et hominem. Satisfactionem autem ipse voluntarie suscepit et perfecit, quatenus naturam humanam habebat, atque ut verus homo genus humanum repraesentabat. Praestabat igitur satisfactionem naturâ humanâ ut principio *quo*, eademque satisfactio infinitum valorem habebat, quia ipse satisfaciens, principium *quod*, erat persona divina. Satisfaciebat autem Deo uni et trino, adeoque et sibi ipsi quatenus Deus erat, sed non per divinitatem, at per assumptam humanitatem. Atque haec distinctio naturarum in Christo sufficit, ut idem, quatenus homo est, sibi ut Deo satisfactionem praestare possit, neque admittendum est, ad satisfactionem necessariam esse personarum distinctionem. Imo si Deus adaequatam pro peccatis hominum satisfactionem exigebat, eadem praestari non poterat, nisi per incarnationem persona divina humanam assumeret naturam, eâque ut principio quo satisfactionem perficeret. — Idem fere dicendum est de mediatione Christi. Principium *quo* mediatio fit est humana illa singularis natura a Christo assumpta, quae conjungitur Deo propter unionem hypostaticam, caeteris vero hominibus propter unitatem specificam et repraesentationem juridicam. Hinc facile vides, etiam in hac mediatione admiranda esse tres terminos. Illi qui reconciliantur, sunt totum genus humanum; ille cui reconciliantur homines, est Deus unus et trinus, Pater, Filius et Spiritus sanctus; mediator est Christus secundum humanam naturam et per humanam naturam. Actibus videlicet amoris, obedientiae, aliarumque virtutum, per assumptam humanam naturam elicitis, reconciliat homines ss. Trinitati, adeoque et sibi ut Deo. Christus quidem physice una persona est, sed propter duplicem naturam gerit duplicem personam moralem, et quatenus formaliter homo est, potest mediator esse inter genus humanum et se ipsum quatenus formaliter Deus est.

302. Quod ad tertiam attinet difficultatem, nullatenus ex eo, quod abundans sit satisfactio, et abundantia

merita Christi, inferri potest, supervacare satisfactionem et merita nostra. Jam diximus enim, eam esse sapientissimam Dei oeconomiam, ut fructus redemptionis adultis non applicentur sine cooperatione eorum. Vult igitur Deus, ut praeveniente gratia ejus etiam nos ipsi bona opera meritoria vitae aeternae et opera satisfactoria ponamus. Sed ex meritis Christi nobis datur ipsa gratia, per quam opera nostra valorem supernaturalem acquirunt, et apta sunt atque condigna ad remunerationem, vel satisfactionem; ex meritis Christi pariter est, ut Deus promiserit, se nostra merita velle accipere, iisque dare mercedem. Postremo meremur nos ut membra sub capite Christo, et merita nostra a Christo offeruntur in unione cum meritis ipsius tanquam capitis; atque ex hac unione, qua nos cum Christo unimur et merita nostra cum meritis Christi, etiam merita nostra Deo adhuc magis accepta sunt. Generatim igitur dici potest, satisfactionem et merita Christi esse causam *universalem* et *superioris ordinis* remissionis peccatorum et bonorum supernaturalium, quae a Deo hominibus dantur et promittuntur, satisfactionem vero et merita nostra, quae vim habent unice per gratiam Christi Domini, meritis et satisfactioni ejus jungi ut *causam partialem et ordinis inferioris.* [1])

Articulus II.

DE HUMANA LIBERTATE CHRISTI IN HOMINIBUS REDIMENDIS.

Libertas meriti conditio.

303. Ad satisfaciendum atque merendum ut conditionem omnino necessariam requiri libertatem, tum ex ratione, tum ex revelatione omnino indubium est. Unde etiam Christum Dominum in suscipienda oeconomia redemptionis humanae, ac praecipue in subeunda passione et morte liberum fuisse, juxta doctrinam catholicam omnino est te-

[1]) Cfr. Tract. de Gratia n⁰ 35, et Franzelin, de Verbo incarn. p. 630.

nendum. Agitur autem, uti patet, de voluntate Christi humana, qua voluntarie ac libere a Domino redemptionis opera suscipienda erant, ut rationem meritorum habere possent. Quaestio vero de hac Christi Domini libertate, ac praesertim de modo, quo eadem cum Christi impeccantia concilianda sit, semper sollicitos habuit theologos, atque eo magis nobis consideranda est, quod Sociniani hac in re doctrinam catholicam versutiis suis atque calumniis vehementer impugnent.

Libertatis indoles.

304. Imprimis ipsum quaestionis statum distincte proponamus. Notum omnibus est, distingui *libertatem a coactione* et *libertatem a necessitate*; illa est immunitas ab omni vi extrinsecus illata contra voluntatis propensionem, haec vero immunitas ab intrinseca determinatione ad unum. Ad merendum porro non sufficit libertas a coactione, sed requiritur etiam libertas a necessitate, seu vera libertas indifferentiae et electionis. Damnata fuit ut haeretica propositio illa Jansenii: *Ad merendum vel demerendum . . . non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* — Vulgata etiam est distinctio libertatis *contradictionis* seu *exercitii*, *specificationis*, *et contrarietatis*. Libertas contradictionis in eo consistit, quod causa positis omnibus ad agendum requisitis sit indifferens ad duo contradictoria, quae sunt agere et non agere. Libertas specificationis ea est, qua causa indifferens est ad actus specie diversos, uti sunt, velle orare et velle studiis operam dare. Libertas postremo contrarietatis ea est, per quam causa indifferens est ad duos actus contrarios, uti sunt e. g. velle colere agrum et velle devastare agrum, et quum sermo est de actibus moralibus, libertas physica ad bonum faciendum atque ad peccandum. Notandum autem est, natura et perfectione libertatis nullatenus per se necessario includi libertatem physicam ad peccandum, imo hanc a libertate perfecta excludi. Id vel ex eo vides, quod Deus liberrimus sit quum tamen eum peccare plane repugnet, quodque etiam Beati in coelis liberi sint, quamvis peccare nullatenus pos-

sint. Hinc etiam nulla difficultas in eo est, quod Christus universim fuerit liber et impeccabilis; impeccantia enim non tollit libertatem electionis simpliciter et quatenus est perfectio, sed solum excludit imperfectionem defectibilitatis, quae est in electione mala.

Status quaestionis.

305. Sed quaestio specialis oritur pro plurimis actibus oeconomiae redemptionis, qui ea ratione boni esse videntur, ut eos non ponere malum foret et Christo peccatum fuisset. Per *mandatum* enim ac *praeceptum* videtur Pater ei proposuisse opera redemptionis humanae, ita quidem, ut ex *obedientia* humanitas Christi eadem susciperet. Proinde illa opera non eligere ac subire, peccatum fuisset Christo. — Sed peccatum eligere, physice humanitati Christi repugnabat. Quemadmodum videlicet in Deum quem visione beatifica intuebatur necessario ferebatur amore, ita ut non posset Deum non diligere, sic etiam necessitate intrinseca determinabatur ad omne id eligendum, sine quo ille amor jam consistere non posset. Talia vero videntur fuisse actus et opera illa, per quae redemptio perfecta est, eo ipso quod per mandatum Patris Christo injuncta essent. Unde infertur, eadem necessitate interna, qua Deum humana Christi voluntas amabat, etiam illa opera ab ipsa suscepta esse, ita ut libertati ad merendum requisitae locus esse non posset.

306. Recolendum est quoad hanc quaestionem de libertate humana Christi in operibus redemptionis et suscipienda passione et morte, generale quoddam principium, quod frequenter in rebus theologicis usu venit. Non raro videlicet fidei veritates aliquae omnino perspicuo modo probantur; qua vero ratione inter sese eaedem cohaereant, non aeque perspicuum est, ita quidem ut theologi quoad connexionem et conciliationem talium veritatum licite in varias sententias et explicationes abire possint. Sic etiam in re praesente utraque veritas ex fontibus fidei plane sibi constat, videlicet Christum omnino impeccabilem fuisse, et plane liberum in subeundis laboribus, passione et morte, quibus salutem hominibus meruit. De modo autem, quo concilianda sit Christi libertas et absoluta ejus impeccantia,

variae sunt theologorum sententiae. — Quum de absoluta Christi impeccantia necessaria jam dicta fuerint, hoc loco primum demonstrabimus, Christo Domino eam fuisse in subeunda passione et morte voluntatis libertatem, quae ad merendum requiritur; dein vero agemus de modo, quo haec libertas cum absoluta Domini impeccantia componatur.

Propositio.

307. Propositio. — *Ex fidei catholicae praescripto asserenda est ea Christi humana libertas, quae meriti est necessaria conditio. Quamvis vero ad fidem catholicam non pertineat modus ipse, quo haec libertas Christi in subeunda passione ac morte aliisque actibus meritoriis, cum ejus absoluta impeccantia componatur, explicationes tamen non desunt, quibus utrumque doctrinae caput aptissime conciliari possit.*

Pars 1a

Demonstratio 1ae partis. — Christi passio et mors imprimis nobis perspicue ita exhibentur in *sacris Litteris*, ut Dominum iisdem vere meruisse significent et sibi et nobis; sibi corporis clarificationem, nominis exaltationem et gloriam, nobis vero vitam aeternam. Hoc ipso autem argumentum peremptorium Scripturae nobis praebent, Christum in hisce liberum fuisse. Veritas enim est ex revelatione ac ratione certissima, meritum sine libertate merentis

S. Scriptura.

sibi constare non posse. — Sane ut ex sexcentis testimoniis pauca citemus: *Consummatus*, scribit Apostolus, *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae.* [1]) *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus in remissionem peccatorum* [2]). Christi passio ac mors hisce proponitur ut causa meritoria salutis nostrae. Quum vero idem Apostolus scribit: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem... Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen* [3]), gloriam et exaltationem nominis sui Christum etiam sibi ipsi obedientia meruisse, nos docet [4]). Itaque si in

---

1) Hebr. 5, 9. 2) Ephes. 1, 7. 3) Philipp. 2, 8.

4) Notandum est, ea quae Christus sibi juxta ordinationem Dei meruit, ipsi simul ut vero Filio Dei per se propter unionem hypo-

passione et morte subeunda virtutem Christus exercuit et meruit, liber etiam fuit. Nulla quippe sine libertate virtus, meritum nullum.

308. Eamdem porro libertatem Christi etiam directe Scripturarum effata testantur. Apud Isaiam de Salvatore legimus: *Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum . . . Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum* [1]). Apostolus vero juxta Psalmistae vaticinium de Christo scribit: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* [2]) In hisce sermo est de Christo quatenus homo est, cui *corpus aptatum*, ut victima esse possit; celebrantur enim ac laudantur ejus virtutes, quas in suscipienda redemptione et exequenda ostendit. Susceptio autem passionis et mortis describitur ut omnino voluntaria. Oblatus est, non quia debuit, sed quia ipse voluit, et sese Deo voluntarie offert dicens: Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam. Hinc etiam Propheta ait: Si posuerit animam suam, (quam proinde potuit quoque non ponere), videbit semen longaevum. — Sic pariter ipse Dominus dicit: *Animam meam pono pro ovibus meis... Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem ha-*

---

staticam convenisse, ita ut etiam ex hoc titulo jus ad illa bona haberet. »Christus, ait s. Thomas, non meruit aliquid quasi sibi non debitum, ut fieret ei debitum, sicut homines in primo actu meritorio merentur; nec iterum, ut id quod erat debitum fiat magis debitum, sicut in his, quorum gratia augetur; sed ut id quod erat uno modo debitum ratione gratiae, fieret ei alio modo debitum ratione meriti.« De Veritate q. 29. a. 6. ad 3.

[1]) Isai. 53, 7. 10. [2]) Hebrae. 10, 5—7. — Gr. Ps. 39, 7.

beo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo[1]). Oblatio in mortem a Christo Domino hic repraesentatur ut motivum, cur Pater eum diligat. Actus virtutis proinde est, quod animam ponit, adeoque meritorius et liber. Praeterea hanc libertatem et directe exprimit. Cum enim se dicit habere ἐξουσιαν, i. e. potestatem ponendi animam suam, ex proprietate nominis intelligendum est, utriusve amplectendae et vitae et mortis liberam ei optionem fuisse, non unius dumtaxat. Non enim fert usus communisque sensus loquendi, ut in potestate nostra vel arbitrio positum esse dicamus aliquid, quod unum penitus nobis est relictum, aliorum omnium facultate detracta. Cum ergo Christus potestatem habere se dicat mortis obeundae eamque se a semetipso, i. e. suapte voluntate suscipere, proculdubio demonstrat, liberum sibi integrumque fuisse, ut aut moreretur, aut se morti subtraheret.[2])

Traditio. 309. Quod ad *ss. Patris* attinet, manifesta pariter est eorum doctrina, Christum Dominum spectata ejus humana natura, tum universim, tum in specie quoad opera redemptionis susceptamque passionem et mortem liberum fuisse. Christum universim ex Patrum sententia liberum fuisse, inde satis consequitur, quod ei contra haereticos semper vindicaverunt integram humanam naturam nulla insita perfectione carentem[3]). Diserte quoque de hac libertate loquuntur. Sic s. Ambrosius de Christo loquens: *Non utique*, ait, *alieni fuit executor imperii, sed voluntarii liber arbitrii*[4]). Et Amphilochius in epistola ad Pancharium diaconum Christum dicit *esse libero arbitrio praeditum, et ab omni necessitate liberum.* — Sed etiam in passione et morte subeunda Christum liberum fuisse, ss. Patres luculenter docent. S. Joannes Chrysostomus verba Apostoli: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*, sic exponit: *Hoc est, licebat ei nihil pati, si voluisset. Neque enim peccatum fecit, neque inventus*

---

1) Jo. 10, 17. 18. 2) Cfr. Petav. de Incarn. l. IX. c. 8. n° 6.
3) Cfr. n° 53. et sqq. 4) De fide l. 2. c. 4.

est dolus in ore ejus, sicut ipse quoque dixit in Evangeliis: Venit mundi princeps, et in me non habet quidquam. Erat ergo ei promptum, si voluisset, non venire ad crucem. Potestatem enim, inquit, habeo ponendi animam meam[1]) S. Hieronymus ad illa verba Isaiae 53, 7: *Oblatus est, quia ipse voluit*, dicit: *Non enim necessitate crucem, sed voluntate sustinuit.* Et s. Augustinus: *Demonstravit spiritus Mediatoris, quam nulla poena peccati usque ad mortem carnis accesserit, quia non eam deseruit invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit. Quippe Deo Verbo ad unitatem commixtus hinc ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me, et iterum sumo eam*[2]). Alia Patrum effata inferius in explicatione ulteriore recurrent. Sufficiat illa adjungere s. Thomae: *Christus seipsum obtulit in passione pro nobis, et hoc ipsum, quod voluntarie passionem*

---

[1]) Hom. 28 in Epist. ad Hebr. n° 2. — Quoad textum Apostoli notentur haec juxta expositionem Estii. In Graeco textu habetur: *Ὃς ἀντι της προκειμενης αὐτῳ χαρας ὑπεμεινε σταυρον*, qui pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem. Praepositio *αντι* apud Graecos proprium usum habet in commutatione, dum unum tollitur et alterum reponitur, aut contra. Sensus igitur est: Qui loco gaudii quo frui poterat crucis passionem elegit. Gaudium intellige a molestiis et doloribus secretum. Neque enim Christus aliquando fuit sine gaudio, qui semper videbat faciem Patris et jugiter in ejus operibus oblectabatur. — Quidam porro haec de gaudio divinitatis exponunt hoc modo: Cui quum liberum esset manere in propria gloria et divinitate, non solum homo factus est mortalis, sed et crucis ignominiam pati voluit. Quam expositionem Gregorio Nazianzeno adscribit OEcumenius. Sed quum Christus illud divinitatis suae gaudium proprie nunquam dimiserit, deinde quum hoc loco sermo sit de Christo homine, videtur ea sententia potior, quae Chrysostomi est et aliorum, ut gaudium intelligatur vitae temporalis. Poterat enim Christus non mori, si vellet, poterat etiam eximere se omni molestia vitamque degere felicem et omnibus bonis affluentem. Item poterat, ut ait B. Thomas, turbis regem se facere volentibus acquiescere, et gloriose regnare. Sed pro his omnibus crucem elegit et pertulit. Vide Estium in h. l. -- Aliam expositionem vide apud cl. Beelen, in nota ad versionem flandricam epist. ad Hebr. 12, 2.

[2]) De Trinit. l. IV. c. 16.

sustinuit, Deo maxime acceptum fuit, utpote ex caritate maxima proveniens. Unde manifestum est, quod passio Christi fuerit verum sacrificium... Passio Christi ex parte occidentium ipsum fuit maleficium, sed ex parte ipsius ex caritate patientis fuit sacrificium. Unde hoc sacrificium ipse Christus obtulisse dicitur, non autem illi, qui eum occiderunt. [1])

Pars 2da.

310. Demonstratio 2ae partis. — Christum Dominum in acceptanda passione et morte liberum fuisse, ex dictis luculenter constat. Jam sequitur, ut agamus de modo, quo haec Christi libertas cum absoluta impeccantia ejus concilietur. — Utraque veritas certissime constat ex ratione et revelatione, Christum in opere redemptionis perficiendo liberum, et absolute impeccabilem esse; unde etiam haec inter se non pugnare plane indubium est. Quum tamen ipse modus, quo haec inter se nexa sunt, non contineatur in revelatione declaratus et expositus ratione omnino perspicua, facile intelligis, theologos in eodem declarando in varias potuisse abire sententias eo magis, quod haec res difficultate non careat. Omnes explicationes hic evolvere non vacat; sufficiat unam alteramve sententiam paucis innuere, ut dein doctrinam caeteris praeferendam proponamus.

Sententia Thomistarum.

311. Commemoranda igitur imprimis videtur sententia Thomistarum, qui statuunt communiter, Christo a Patre passionem et mortem per strictum praeceptum injunctam fuisse, nihilominus vero ejus libertatem omnino subsistere. Christum quidem stante hoc praecepto de subeunda morte, seu in sensu composito, non potuisse passionem et mortem non subire, sed Domini libertatem salvam esse eo, quod in sensu diviso potuerit non mori. *Sufficiebat*, ait Billuart, *ad ejus libertatem, ut negationem mortis secundum se consideratam praecisam a praecepto posset ponere* [2]). Sententiam vero hanc juxta sua principia de actionibus causarum secundarum, de libertate et gratia, fusius evolvunt. Sed quemadmodum totum illorum systema relate ad illi capita

[1]) S. th. p. 3. q. 48. a. 3. [2]) De Incarn. Dissert. 8. a. 4.

valde obscurum multisque difficultatibus obnoxium videtur, ita etiam hac in quaestione solutio eorum iisdem incommodis subjecta est. Restat enim nodus in eo positus, quod quum Christus necessitate intrinseca propter unionem hypostaticam et visionem beatificam Deum summe diligat, determinatus videatur eadem intrinseca necessitate ad praeceptum Dei de morte subeunda implendum. Inobedientia enim peccatum constitueret, Deique dilectionem laederet. Ac proinde, sicuti non erat in Domino physica libertas ad peccandum, ita nec videtur fuisse physica libertas ad praeceptum illud non implendum.

P. Alb. a. Bulsano.

312. Auctor recens inter caeteros eximius, P. Albertus a Bulsano O. C., quaestionem solvi exstimat ex ipso principio, quod impeccantia non obsit perfectioni libertatis. Libertas, inquit, juxta sanae philosophiae principia nullo modo per impeccantiam tollitur, sed per hanc perficitur... Tantum ergo abest, ut Christum liberum fuisse sit negandum quia peccare non potuit, ut potius ideo perfectissime liber dicendus sit, quia impeccabilis fuit. Quamvis ergo Christus verum mandatum de subeunda morte a Patre acceperit, ac de illo ne cogitare quidem liceat, quod istud transgredi potuerit, haec tamen ejus impeccantia non solum ipsius in perferenda morte libertatem non sustulit, sed perfectissimam reddidit. Et sane ipse etiam Deus liberrimus est, quia omnia cognoscit et peccare omnino non potest.[1]) — Sed ex iis quae superius diximus colliges, hac responsione difficultatem revera non solvi. Nullum quidem dubium est, impeccantia non tolli generatim perfectionem libertatis, sed tantum defectibilitatem. Attamen hoc ipso cum impeccabilitate cohaeret, ut qui ex natura sua impeccabilis est ad eos actus determinatus sit, quorum omissio peccatum foret. Sed si per strictum praeceptum Christo a Patre passio et mors propositae fuissent, omissio inobedientiam adeoque peccatum constitueret. Hinc quamvis libertas Christi generatim cum ejus impeccantia optime

[1]) Instit. theol. dogm. Compend. Vol. 1. § 267.

concilietur, remanet illa quaestio insoluta, quomodo in passione ac morte subeunda Christus liber fuerit.

Explicatio apta.

313. Multi itaque theologi solutionem quaestionis petendam esse censuerunt ex natura mandati, quod Christo datum fuerit, et ex ratione, qua illud mandatum ipsi propositum sit. Eorum porro expositiones variae sunt; nos statim eam afferimus, quae aptissima videtur ad diluendam difficultatem, cui graves favent rationes, quamque multi eximii theologi, tum antiqui, tum recentes sequuntur. *Huic* (quaestioni), ait Petavius, *occurrimus sic, praeceptum illud ac mandatum, quod Christo Pater edidisse dicitur, velut de perferendis suppliciis ac luenda morte, non absolutum imperium videri fuisse, sed simplicem significationem consilii ac voluntatis suae, qua multa illi proponebat Pater ad humanam recuperandam salutem remedia, ex quibus quod vellet eligeret, adeo ut quidquid ex omnibus capesseret, id sibi gratum esse ac placere monstraret, proindeque mandante se ac praecipiente faceret.*[1]) Voluntas igitur Patris, seu mandatum quatenus antecedit liberam Christi acceptationem et electionem passionis et mortis, juxta hanc sententiam est divinum beneplacitum Christo ita propositum, ut etiam alius redemptionis modus Patri esset acceptus. Elegit vero Christus ex ardentissima caritate erga Deum et homines, ut hoc modo determinato per passionem et mortem redimeret genus humanum, et consequenter tantum ad hanc liberam Christi electionem voluntas Patris est absoluta[2]). Atque haec plane sufficiunt, ut sensu latiori illud beneplacitum Patris *mandatum* nominari possit, Christus vero dicatur *obediens* Patris mandato. *Neque enim*, ait recte Petavius, *vel nulla, vel minus perfecta constat obedientiae virtus, si non severe aliquid imperatur, eoque modo, ut secus quam praescriptum fuerit agere citra culpam non liceat. Hoc enim obsequendi genus*

---

[1]) De Incarn. l. IX. c. 8. a. 6.

[2]) Quum ab aeterno Deus illam liberam electionem humanitatis Christi infallibiliter praesciret, nulla ex his difficultas oritur relate ad aeternam praedefinitionem totius operis redemptionis.

esse omnium infimum a vitae spiritualis magistris merito decernitur, et s. *Thomas*[1]) *aperte significat. tanto videri perfectiorem obedientiam, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit inferior, voluntate superioris intellecta.*[2]) — In hac suppositione libertatem ac meritum Christi in subeunda passione et morte facile explicari, per se patet.

Suadetur ex Patribus.

31 :. Huic porro sententiae ss. Patres omnino favere videntur. Ipsi difficultatem illam, quomodo libertas Christi et impeccantia ejus concilientur non proponunt, quia strictum praeceptum obligationem sub peccato inducens non agnoscunt. Plures Patres cum s. Basilio[3]) et s. Augustino[4]) mandatum ponendi animam, intelligunt aeternum redemptionis decretum; quod Pater communicat Filio non praecipiendo, sed generando. Si vero etiam ad humanam naturam referunt, intelligunt nomine praecepti beneplacitum Patris de eo, quod Christus libera voluntate se ipsum tradidit pro redimendo genere humano. *Cum dicit*, ait s. Chrysostomus, *se praeceptum accepisse a Patre, nihil aliud declarat, quam Patri placere quod ipse facit, ne occisum postea illum a Patre putarent derelictum et proditum. . . Si praecepto opus habuisset, cur dixisset: a me ipso pono. Nam qui a seipso ponit, non eget praecepto*[5]). Unde etiam dum explicant, qua ratione tradiderit Pater Filium in mortem, nunquam commemorant praeceptum moriendi ipsi propositum, sed id vel de beneplacito et consensu Patris cum s. Cyrillo intelligunt[6]), vel ea ratione, quod Pater inspiraverit Christo caritatem, qua se offerret ad mortem. *Tradidit,* ait s. Thomas, *eum Pater in mortem, eum incarnari et pati statuendo, et humanae ejus voluntati inspirando caritatis affectum, qua passionem spontaneus sub-*

---

[1]) S. th. p. 2. q. 104. a. 2. [2]) Petav. l. c. [3]) De Spiritu s. c. 8.
[4]) In Joann. tr. 47 n. 13. [5]) Hom. 60 in Jo.
[6]) »Non quasi Deus Pater passionem Filio citra ejus voluntatem imposuerit, sed quum Filius unigenitus seipsum tradidit ad patiendum pro nobis, Pater ratum habuit, ut in eo impleretur mysterium. Traditio ergo hujusmodi manifeste intelligitur et dicitur, Patris beneplacitum et consensus, ac ipsa Filii voluntas.« In Joann. tom X.

iret[1]). Disertissime vero s. Anselmus docet, passionem et mortem ab humana Christi natura non cogente aliquo praecepto, sed plane libere susceptam esse. *Nec humana*, inquit, *natura in Christo homine passa est aliquid ulla cogente obedientia, sed potenti disponente sapientia. Non illi homini Pater ut moreretur cogendo praecepit, sed ille quod Patri placiturum et hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit. Non enim ad hoc eum cogere potuit Pater, quod ab eo exigere non debuit, nec Patri tantus honor potuit non placere, quem Filius tam bona voluntate sponte obtulit. Sic itaque Patri liberam obedientiam obtulit, quum hoc quod Patri placiturum scivit sponte facere voluit. Denique quoniam Pater illi hanc bonam voluntatem dedit quamvis liberam, non immerito dicitur, quia eam ille velut praeceptum Patris accepit*[2])

Ratio theologica.

315. Haec sententia ipsa ratione suadetur ex eo, quia tale genus mandati, uti exposuimus, videtur magis convenire amori Patris in Filium, et dignitati ipsius Filii. Adversarii quidem existimant, in Scriptura mandatum exhiberi sensu stricto acceptum, adeoque sententiam expositam aegre cum eadem componi posse. Sed nihil est quod cogat nos, ut mandatum de quo sacrae Litterae loquuntur sensu stricto intelligamus, imo explicatio data optime cum sententiis Scripturarum convenit. Sic e. g. Christus Dominus dicit: *Potestatem habeo ponendi eam* (animam), *et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Mandatum refertur ad utrumque, ut animam ponat et resumat. Resumit autem Christus animam prouti Deus est divina sua natura ac potestate, adeoque mandatum quoad hoc non sensu stricto intelligitur, sed quatenus est ipsum decretum divinum resurrectionis Christi a Patre per aeternam generationem Filio communicatum. Unde jam vides, etiam mandatum quoad positionem animae merito explicari de bene-

---

[1]) Commentar. in Rom. c. VIII. lect. 6. — Cfr. S. th. p. 3. q. 47. a. 3.

[2]) Meditat. XI. de redempt. human. c. 2.

placito Patris, non vero de stricto praecepto obligatorio. — Nonne et ipse Dominus dicit: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum*[1]*?* Quibus satis exprimit, se non stricte teneri ex voluntate Patris ad passionem et mortem, sed libere eam suscipere. Eodem tempore dixit: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum*[2]*?* Consequenter videlicet ad liberam Christi acceptationem et electionem, qua inde ab initio et continuo per decursum vitae et passionis opera redemptionis suscipit, absoluta est Patris voluntas qua calix passionis datur.[3])

Auctores varii.

316. Explicationem nostram expositam, qua impeccantia absoluta Christi et libertas ejus conciliantur ex indole mandati et ex ratione, qua illud a Patre Christus accepit praeter Petavium defendunt plurimi theologi celebres, ut Paludanus, Dionysius Cistertiensis, Victoria, Pallavicinus, Haunoldus, Viva, et inter recentiores Wirceburgenses. Aliquantipser ab hac sententia differt ea, quam inter alios Vasquez et Ysambertus tenent. Statuunt videlicet, Christo revera impositum fuisse praeceptum strictum quoad substantiam operis, videlicet quoad redemptionem generis humani per sacrificium sui, passionem et mortem. Non tamen potest supponi praeceptum determinans actus omnes in specie et individuo, scilicet actus secundum motiva et intensionem eorum, secundum modum, tempus et circumstantias sacrificii et mortis, ita ut e. g. in Christi arbitrio esset, mortem subire hoc vel illo supplicii genere, in aetate tenera, vel provecta, cum minori majorive affectuum inten-

Ysambertus.

---

1) Matth. 26, 53. 2) Jo. 18. 11.

3) Verbis a Christo in agonia dictis: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (Matth. 26, 39), exprimitur a Domino, uti jam vidimus, naturale et inefficax desiderium humanitatis, ut ostenderet vere passibilem suam esse humanam naturam. Dum vero de voluntate Patris loquitur, optime intelligi potest Patris beneplacitum voluntasque absoluta consequens Christi acceptationem liberam passionis, quam electionem certe hic nec mutare nec retractare intendit.

sione. Quum igitur actus in individuo considerati essent in arbitrio Domini positi, inde satis libertas eorum, ut meritorii esse possint, vindicatur. — Etiam juxta hanc sententiam libertas Christi ad meritum requisita bene explicatur. Nam meritum non inde minuitur, quod res aliqua materialiter spectata in genere non poni nequeat, sed ex susceptione voluntaria actus in individuo, et speciatim ex affectu interno libero et voluntario, quo res suscipitur. Ita e. g. omnes homines morti subjecti sunt. Attamen ss. Martyres summo cum merito mortem obeunt, quia moriuntur, cum possent nondum mori, aut non eo mortis genere, et praecipue quia liberi et voluntarii sunt illi affectus interni, cum quibus mortem accipiunt. Existimamus tamen, Christo nec ipsam substantiam actuum, videlicet passionis et mortis, per praeceptum strictum impositam fuisse [1]).

Tournely.

317. Tournely cum quibusdam aliis auctoribus statuit, primo Christo liberam electionem datam fuisse, et nullum praeceptum antecedenter ad acceptationem ejus injunctum. Post acceptationem vero ejus praeceptum obeundae passionis et mortis strictum esse dicendum, quamvis dispensationem de eo semper Christus petere et obtinere potuisset. — Haec sententia pariter fere in nostram recedit. — Inutile tamen videtur, statuere praeceptum strictum post acceptationem Christi cum facultate dispensationis

---

[1]) Opportune etiam hoc loco notatur, misericors consilium redemptionis humanae, decretum incarnationis et modi redemptionis generatim per plenam satisfactionem a Deo-homine praestandam, videri merito concipi ut absolutum et antecedens praevisionem volitionum humanitatis Christi. Considerata porro impeccantia Christi, (in hac suppositione), redemptionem *in genere* spectatam non potuit humanitas Christi non suscipere; sed susceptio redemptionis determinata ista ratione *per passionem et mortem* nulli antecedenti mandato subjecta, adeoque omnino libera erat, uti superius vidimus. Optime igitur uterque modus quo libertas Christi explicatur, pro varietate quaestionum quae hac in re occurrere possunt, adhiberi potest. Sic etiam actus bonos qui lege naturali jubentur, certe Christus natura sua impeccabilis non potuit non ponere; tamen actus in individuo ac determinato modo positi liberi erant et meritorii.

obtinendae. Magis congruum est rem concipere uti diximus, videlicet Christum Dominum spectata ejus humana voluntate inde ab initio sine obligatione modum redemptionis per passionem et mortem libere elegisse, et libere etiam hanc acceptationem continuatam esse usque ad mortem, ita ut strictum praeceptum et obligatio nunquam intercesserit. Mandatum dicitur Patris beneplacitum de suscepto opere Christi, et hoc beneplacitum consideratum consequenter ad liberam electionem Christi semper continuatum, etiam Patris voluntas nominari potest.[1])

Refelluntur adversarii.

318. Ex his quae diximus per se concidunt Socinianorum ineptae calumniae contra doctrinam catholicam. Ipsi videlicet inclamant, doctrinam catholicam continere contradictoria, quatenus Christus verus Deus et impeccabilis esse statuitur, et nihilominus docetur, ejus passionem et mortem Patris mandato ei praescriptam, liberam et meritoriam fuisse. Difficultatis solutio ex doctrina proposita colligitur. — Nullius autem momenti est quod pariter oggerunt, nimirum Christi passionem et mortem etiam propterea non posse meritoriam dici, quod violenter ad eam raptus sit et coactus ab inimicis suis. Vidimus, voluntarie a Domino omnia esse suscepta, eumque si voluisset, potuisse passionem et mortem vitare. Praeterea contra impudentiam hominum istorum animadverti potest, passionem et mortem etiam meritoriam esse posse, quamvis alicui violentia inferatur, propter voluntariam acceptationem internam actusque virtutum, qui in hac acceptatione exercentur. Id locum habet in ss. Martyribus, et explicatur ex iis quae superius diximus.

---

[1]) Recolendum est, ne idearum oriatur confusio, opus incarnationis efficienter spectatum esse totius Trinitatis. Itaque etiam si sermo est de beneplacito vel mandato ac voluntate Patris quoad humanam voluntatem Christi, illud mandatum ac ista voluntas est totius sanctissimae Trinitatis, sed Filius incarnatus, ut distinctionem personarum ostendat, saepe per appropriationem Patri mandatum illud ac voluntatem illam attribuit.

Articulus III.

DE MUNERIBUS REDEMPTORIS.

319. Vidimus, Christum Dominum mediatorem esse inter Deum et genus humanum tum naturalem, quatenus in sua persona utramque naturam conjungit, tum moralem, quatenus perfectissima ratione munus reconciliationis inter Deum et homines exercuit. Haec reconciliatio quidem praecipue sita est in eo, quod Christus adaequatam satisfactionem Deo pro peccatis hominum in eum commissis praestitit, meritisque condignis bona perdita iis recuperavit. Si tamen opus mediationis et redemptionis complete in tota sua perfectione spectatur, ad triplex apte revocatur munus, quod Christus Dominus exercuit, quatenus fuit *sacerdos*, *propheta*, et *rex*. Homines videlicet per peccatum inimici Dei facti sunt et culpae ac poenae reatui obnoxii; quoad intellectum sunt obscurati, et quoad voluntatem infirmati ac per malam concupiscentiam corrupti. Hinc ut repararentur, indiguerunt propter culpae et poenae reatum plena per Sacerdotem expiatione; indiguerunt propter intellectus obscurationem congrua institutione per Prophetam; indiguerunt propter voluntatis infirmitatem valida tutela per Regem, sub cujus sceptro ordinatum regnum constituant, gratiarum et beneficiorum ejus semper participes. Haec igitur sunt munera Christi Redemptoris, ut sit plane eximio modo Sacerdos, Propheta, et Rex, unde etiam a. s. Petro Chrysologo rectissime *Propheta prophetarum*, *Sacerdos sacerdotum*, *Rex regum* [1]) nuncupatur. Triplex haec Salvatoris dignitas et functio etiam ipso Christi (Uncti) nomine exprimitur, ad eamque reliqui tituli Christi facile revocantur. Superest, ut de hoc triplici Redemptoris munere agamus. Quum vero Sacerdotii munus praecipuum sit, fusius quae ad illud pertinent exponemus; dein vero quae de munere prophetico ac regio dicenda sunt paucis adjiciemus.

Christus est sacerdos, propheta, rex.

---

[1]) Serm. 59 in Symbol.

320. *De munere Christi sacerdotale.* — Ut quae ad Redemptoris sacerdotium spectant intelligantur, notiones sacerdotii et sacrificii breviter nobis exponendae sunt. *Omnis Pontifex*, ait Apostolus, *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.*[1]). Unde pontifex vel sacerdos definiri potest: *Homo divinitus constitutus mediator inter Deum et homines, ut Deo deferat honorem, homines vero reconciliet Deo, eosque sanctificet offerendo sacrificia, aliaque mysteria divina dispensando.* Primarium autem et essentiale officium sacerdotis illud est, ut *sacrificia* Deo offerat. Sacrificium quidem generatim et improprie sumi solet pro quolibet opere ad honerem Dei relato, atque ejusmodi sacrificio generali respondet etiam improprium illud sacerdotium, quod commune esse omnibus Christianis s. Petrus significat, quum dicit: *Ad quem accedentes lapidem vivum, et ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum.*[2]) Sed modo nobis agitur de sacrificio proprio sensu accepto.

Sacerdotium Christi.

Sacerdotii indoles.

321. Cultus igitur Deo tum a religiosa societate integra, tum a singulis qui eam constituunt praestandus, essentialiter consistit in intimo sensu et agnitione absoluta supremae excellentiae et dominii Dei, principii et finis omnium, atque adeo in agnitione dependentiae omnimodae, qua omnia Dei nutui subjiciuntur. Hunc sensum atque affectum humilis Dei adorationis comitantur affectus laudis, gratiarum actionis et petitionis, et in homine peccatorum reo maxime sensus proprii reatus, quo homo agnoscit, se dignum esse morte temporaria atque aeterna, simulque spes veniae a Deo misericordi obtinendae. — Cultus porro internus exprimitur cultu externo. Sed inde ab initio generis humani omnique tempore homines tum lumine rationis, tum revelatione edocti, Deo approbante vel

[1]) Hebr. 5, 1. [2]) 1. Petr. 2, 5.

positive jubente, maxime per sacrificia illa sensa interna exterius manifestaverunt. Societas videlicet vel homines singuli aliquid rerum suarum, quae datae ipsis erant in dominium, pro se substituebant Deoque offerebant tali actione sacra, quae apta erat ad duplicem sensum supremi Dei dominii atque proprii reatus exprimendum. Id vero praecipue obtinetur per rei destructionem et immolationem. Atque ejusmodi oblationes usu tum sacro, tum profano sacrificia dicuntur. Definiri itaque eadem possunt hac ratione: *Sacrificia sunt oblationes legitime Deo factae primo et per se nomine totius societatis religiosae, consequenter etiam pro hominibus singulis, ad significandum sensum cultus interni, praesertim agnitionem supremi Dei dominii propriique reatus.*

Sacrificium.

322. Dicimus, sacrificia esse oblationes *legitime* Deo factas. Requiritur videlicet, saltem in religione cujus cultum ipse Deus ordinavit, tum ut victima et modus eam offerendi sint juxta hanc divinam ordinationem, tum ut oblatio fiat a sacerdote divinitus constituto ad sacrificia illa offerenda. — Ex dictis etiam colligitur, sacrificia, praesertim uti sunt expiatoria, ex natura sua fieri per substitutionem repraesentativam, quatenus victima substituitur, et mactatione ejus homo profitetur absolutum dominium Dei in se et omnia, se reum culpae ac poenae agnoscit, atque mortem victimae loco propriae Deo offert veniamque deprecatur. Eadem substitutio et symbolica repraesentatio in sacrificiis Judaeorum Deo ordinante etiam variis ritibus et caeremoniis repraesentabatur[1]). — Hisce praemissis jam probabimus, Christum esse verum Sacerdotem ordinis eminentis, et se ipsum in cruce obtulisse in verum et proprium sacrificium pro mundi salute.

Propositio.

323. Propositio. — *Cum ratione mediatoris in Christo nectitur dignitas summi Sacerdotis, qua in dignitate per incarnationem ipsam Christus est constitutus. Explevit vero praecipuum sacerdotii munus, quum semetipsum Deo*

---

[1]) Cfr. Levit. c. 1. 3, 4 et c. 16.

in ara crucis in verum sacrificium obtulit, sacerdos idem et victima.

Praenotanda. — Quomodo in propositione dicatur sacerdotii dignitas cum ratione mediatoris cohaerere, jam intelligitur ex iis quae exposita sunt. Munere videlicet mediationis et reconciliationis inter Deum et homines Salvator praecipue functus est per sacerdotium suum. Ad hoc autem sacerdotium pertinent quidem et alia redemptionis opera, quae in vita sua Dominus exercuit, sed praecipuum munus hujus eminentissimi sacerdotii fuit illud, quo Christus in ara crucis se obtulit Deo hostiam immaculatam. Huic videlicet oblationi vis et ratio tribuenda est sacrificii tum propitiatorii, quo homines fuerunt a peccato liberati, a poena subducti et cum Deo reconciliati, tum meritorii, quo omnibus hominibus salutem aeternam, atque opportunas et necessarias gratias ad eam consequendam Christus promeruit. **Explicatio.**

324. Demonstratio. — Christum verum Sacerdotem esse summae dignitatis, in sacris Litteris luculentissime docetur. Sic in veteri Testamento, Psalmo Messiano 109° legimus illa de Christo: *Juravit Dominus et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Quem locum, ut et Christi sacerdotium, divina quadam orationis copia ad Hebraeos scribens illustravit ac perpolivit Apostolus, ostendens, Christum excellentissimo modo sacerdotem esse, ita ut sacerdotium ejus infinite supereminent sacerdotium Leviticum, ac sacerdotii munera tum per orationem et interpellationem, tum per sacrificium crucis eum miro modo explesse. Ut ex epistola illa pauca tantum in scopum nostrum afferramus, imprimis Apostolus testatur, a Deo Christum constitutum esse sacerdotem, illis verbis: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* [1] Eminentiam autem sacerdotii Christi prae sa- **S. Scriptura.**

cerdotio Aaronis, Apostolus dein pro scopo suo multis prosequitur atque exponit. Ostendit hanc imprimis ex typo sacerdotii Christi videlicet Melchisedech; hic enim ut figura Christi sacerdotis praecellebat vel ipsi Patriarchae Abrahae, qui ei decimas dedit, quique benedictus fuit a Melchisedech. Proinde Melchisedech etiam praecellebat omnibus sacerdotibus Leviticis ab Abrahamo originem ducturis, qui et ipsi in lumbis Patriarchae decimati sunt. Quanto major itaque, infert Apostolus, debet esse dignitas sacerdotii Christi prae sacerdotio Levitico, quum ex solo Christo tanquam antitypo dignitas illa praecellens in sacerdotium Melchisedech derivaretur [2]). — Eamdem praeeminentiam porro colligit inde, quod sacerdotium Christi cum jurejurando impositum sit, Aaronicum vero non ista ratione solemni; quod sacerdotium Aaronicum haereditarium fuerit a patre in filios, Christus autem nec successerit alteri, nec habeat successorem, siquidem eo quod manet in aeternum, sempiternum habet sacerdotium; quodque sacerdotium Aaronis in terris finiatur, sacerdotium vero Christi in terris quidem peragatur, sed quadamtenus continuetur in coelis [3]).

325. Maxime vero praecellentia sacerdotii Christi ex dignitate summa ipsius victimae infertur, quae non alia est, quam ipse Dominus. *Christus*, ait s. Paulus, *assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, ... neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi* [4])? Quemadmodum, inquit Apostolus, Pontifex veteris Testamenti priusquam ingrederetur in Sancta Sanctorum sacri-

---

[1]) Hebr. 5, 4. 5. 6. [2]) Hebr. c. 7.
[3]) Ibidem. [4]) Ibid. 9, 11.

ficium offerebat per effusionem sanguinis hircorum et vitulorum, sic etiam Christus non quidem animalium sacrificium, sed seipsum ac proprium sanguinem obtulit in ara crucis, antequam intraret in Sancta non manufacta, scilicet in coelum. Unde et efficacia sacrificii Christi plane alia est ac illa, quae per se insita fuit sacrificiis Legis veteris. *Nam impossibile est, sanguine hircorum et taurorum auferri peccata*[1]). — Christus autem se ipsum hostiam obtulit pro peccatis omnibus, atque *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*[2]). — Eamdem sacrificii unius in cruce oblati vim etiam superius jam praeclare Apostolus illis verbis expresserat: *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. Neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione saeculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium: sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata; secundo sine peccato apparebit expectantibus se in salutem*[3]).

326. Apostolum illis verbi loqui de sacrificio quod Christus in ara crucis obtulit, manifestum est; nihilominus quum Sociniani praetendant, Christum nullatenus in terris sacrificium obtulisse, sed ejus sacerdotium exerceri tantum in coelo, in quo Deo se ipsum praesentat, ac pro nobis interpellat, quumque etiam Apostoli dicta eo pertrahere nitantur, utile erit ostendere, claris Apostoli verbis eos contradicere. S. Paulus opponit l. c. sacrificia cruenta antiqui Foederis, quae saepe offerebantur, quia non apta per se erant ad homines expiandos, sacrificio Christi per propriam sanguinem, quod semel pro semper oblatum fuit. *Non habet*

[1]) Ibid. 10, 4. [2]) Ibid. 10, 14. [3]) Ibid. 9, 24.

necessitatem quotidie.... hostias offerre, hoc enim fecit semel (ἐφ ἅπαξ semel pro semper) *se ipsum offerendo.*[1]) At profecto oblatio illa semel pro semper a Christo facta, nequit alia esse, quam oblatio ejus in cruce. Atque hac in re, quod semel pro semper Christi oblatio facta sit, Apostolus omnino insistit. Imo et addit, si saepius se obtulisset, quemadmodum sacerdotes Judaeorum saepe hostias offerebant, frequenter et pati debuisset (*alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi*), nunc autem semel passus est; in passione igitur sacrificium Christi situm est. Nec minus in morte ipsa factam esse Christi oblationem ex comparatione illa elucet: *Quemadmodum statutum est hominibus semel mori,... sic et Christus semel oblatus est.* Atque addit: *Ad multorum exhaurienda peccata.* Sed certe factum est hoc quando, *peccata nostra ipse pertulit in corpore super lignum: ut peccatis mortui justitiae vivamus.*[2]) — Socinus quidem ex eo, quod Apostolus comparat ingressum pontificis magni in Sancta Sanctorum cum ingressu Christi in coelum, infert, s. Paulum attribuere Christo tantum sacerdotium in coelo. Sed vere impudens est ejusmodi interpretatio. Pontifex Judaeorum ingrediebatur Sancta Sanctorum cum sanguine sacrificali, adeoque sacrificio per victimae mactationem peracto; sic et Christus ingressus est coelum in proprio sanguine sacrificali, quia prius in cruce verum Deo obtulit sacrificium. In antiquo Foedere pertinebat quidem illatio sanguinis sacrificalis in Sancta Sanctorum tanquam pars ad oblationem. Sed differentia hac in re est inter typum et antitypum, sacrificium Christi per se efficax. Praesentatio sanguinis Christi, quatenus pertinet ad oblationem, est ipsa voluntaria effusio ejus in cruce; ingressus autem Christi in coelum et praesentatio sacrificii jam peracti, non pertinet ad ipsum proprium sacrificium, sed est praesentia perpetua meritorum Christi in cruce consummatorum coram Deo, et

---

1) Hebr. 7, 27. 2) 1 Pet. 2, 24.

interpellatio Christi pro nobis ad meritorum illorum applicationem. [1])

327. Hisce praeoccupavimus fallacem expositionem, quam Sociniani subrogant vero sensui epistolae ad Hebraeos, in qua fere tota s. Paulus id agit, ut supereminens sacerdotium Christi, et sacrificium quod in cruce obtulit, exponat atque illustret. — Innumera autem sunt praeter haec tum veteris, tum novi Testamenti effata, quibus de Christi sacerdotio et oblatione sermo est. Huc pertinent illa apud Isaiam prophetam: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*, i. e. poenas peccatorum nobis luendas toleravit. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras*, *attritus est propter scelera nostra*; *disciplina pacis nostrae super eum; et livore ejus sanati sumus.* I. e. ipsi incubit *disciplina*, seu negotium pacis inter Deum et nos restituendae; et non solo exemplo patientiae quod exhibuit, sed livore ejus, seu ipsa afflictione et passione quam pertulit, sanati seu gratiae divinae restituti sumus. *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem nostram. Oblatus est*, *quia ipse voluit*, *et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur*, *et quasi agnus coram tondente se obmutescet*, *et non aperiet os suum.* [2]) Perspicue hic propheta praedicit, Messiam se libere in sacrificium oblaturum esse, et quidem in sacrificium cruentum, quia sicut ovis ad occisionem ducetur. Unde et s. Petrus fidelibus scribit: *In timore incolatus vestri tempore conversamini, scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis*, *sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati* [3]). Et iterum s. Paulus: *Christus dilexit nos*, inquit, *et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem*

---

[1]) Cfr. Franzelin de Verbo incarn. Th. LI.

[2]) Isai 53, 2 et sqq. [3]) 1 Pet. 1, 17. 18.

suavitatis. [1]) Dominus vero ipse ait: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem* (λυτρὸν) *pro multis* [2]) Asserit, se vitam suam profusurum esse, ut λυτρον i. e. redemptionis pretium pro multis; idque dein cruenta oblatione in cruce praestitit. — Commemorandum postremo hoc loco est, sacrificia veteris Testamenti rationem typorum gessisse, ut significarent futuram illam Christi oblationem. Id ex epistola Apostoli ad Hebraeos clare colligitur; frequenter in eadem s. Paulus docet, ea quae in veteri Testamento relate ad tabernaculum et sacrificia locum habebant, praefiguravisse tanquam umbram imperfectam ea quae ventura erant [3]). Jamvero sacrificia praecipua cruenta erant, et in sanguinis effusione et oblatione substantia sacrificii continebatur. Ergo et novum sacrificium cruentum illis praefigurabatur, illud videlicet, quod in ara crucis Christus per voluntariam mortem suam obtulit.

328. Ad sacerdotium Domini certe et illa incruenta corporis et sanguinis sui oblatio pertinet, quam in ultima coena perfecit, quando et sacerdotium in Ecclesia sua perpetuum instituit. Sed de hac oblatione agitur in Tractatu de ss. Eucharistiae sacramento, ubi de sacrificio Missae sermo est. — Alterum vero sacerdotis officium quod intercessione consistit, testante Scriptura Christum Dominum in vita sua explesse, non est cur fusius probemus. Sufficiat in mentem revocare pulcherrimam illam orationem, quam post coenam Salvator pro discipulis et pro omnibus hominibus, tum praesentibus, tum futuris ad Patrem fudit.

Traditio. 329. *Ss. Patres* frequentissime de sacerdotio Christi ac de sacrificio, quod in ara crucis voluntaria passione et morte sua consummavit, sermonem instituunt. In re tam explorata pauca eorum effata afferimus. *Verbum quod est*

---

[1]) Ephes. 5, 3. — Cfr. his Coloss. 1, 14. Tit. 2, 14. 1 Tim. 2, 5. 1. — Jo. 1, 7. — 4, 10.

[2]) Matth. 20, 28. — Cfr. Jo. 10, 11. Matth. 26, 28.

[3]) Cfr. Hebr. c. 7. 8. 9.

Opifex, ait s. Athanasius, *postea factus est Pontifex, cum induisset corpus factitium et creatum*[1]. S. Epiphanius: *Quod*, inquit, *Pontifex factus esse dicitur, id eo pertinet, quod in corpore suo Patri seipsum obtulit pro humano genere. Ipse sacerdos, ipse hostia semetipsum obtulit, pro omni creatura Pontificatus officio fungens. Tum spirituali quodam modo et cum ingenti gloria in coelum ascendens, cum eodem illo corpore ad dexteram Patris ascendit, Pontifex factus in aeternum, qui semel penetravit coelos.*[2] Sacerdotem igitur summum et Pontificem ait Christum fuisse cum in corpore viveret, quando corpus suum obtulit; sed in eodem officio perseverare modo, quatenus prioris illius fructum sacrificii colligit, et nos assidue Deo reconciliat ac pro nobis interpellat. — S. Augustinus: *Et quidem*, scribit. *solus ille sacerdos talis exstitit, ut ipse etiam esset sacrificium: obtulit Deo non aliud, quam seipsum. Non enim inveniret praeter se mundissimam rationalem victimam, tanquam agnus immaculatus fuso sanguine suo redimens nos, concorporans nos sibi, faciens nos membra sua, uti in illo et nos Christi essemus.*[3]

330. *Conciliorum* pariter doctrina hac in re non minus perspicua est. Concilium Ephesinum approbans s. Cyrilli anathematismum decimum definit: *Christum Jesum nostrae confessionis pontificem et apostolum exstitisse, eumdemque semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri obtulisse, divina Scriptura commemorat. Si quis ergo dixerit, pontificem et apostolum nostrum non esse constitutum ipsum Dei Verbum, posteaquam caro et homo nobis similis factus est, sed hominem illum, qui ex muliere natus est, quasi alterum quempiam ab ipso diversum: aut si quis Christum pro se ipso quoque et non pro nobis solis sacrificium obtulisse affirmaverit, (neque enim is oblatione opus habebat, qui nullum peccatum commiserat), anathema sit.* Concilium vero Tridentinum de Sacerdotio Christi agit Sessione XXII, ubi doctrinam de Sacrificio

Concilia.

---

[1] Oratione 3. [2] Haer. 69. [3] Enarrat. 2. in Ps. 26.

missae proponit. Ad rem nostram faciunt illa Concilii verba: *Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster etsi semel se ipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut aeternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium ejus exstinguendum non erat, in coena novissima . . . sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in aeternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit.* [1])

Perfectio sacrificii Christi.

331. Probata veritate sacerdotii Christi et sacrificii quod in ara crucis obtulit, restat, ut perfectionem et indolem hujus sacrificii aliquanto accuratius evolvamus. Vidimus, sacrificia ex natura sua fieri per substitutionem. Oblatione videlicet victimae sibi substitutae homo agnoscit dependentiam suam a Deo summo Domino, reitatem suam, et indigentiam propitiationis. In sacrificiis veteris Foederis igitur haec substitutio per varia animalia, Deo ordinante, locum habebat. Talis autem substitutio erat mere *symbolica*, non *realis*; videlicet animalia ista per se nullatenus sanguine suo profuso, ac si revera vices offerentium juridice gererent, Deum ipsis propitium reddere poterant ac peccata delere. *Impossibile enim est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata* [2]). Atque sic erant sacrificia imperfecta; simul autem *typice* praefigurabant illud futurum sacrificium perfectum et per se efficax, in quo Christus substitutione *reali*, ut secundus Adam et caput totius generis humani pro eodem sese Deo in victimam offerret.

332. Christus Dominus videlicet, Verbum incarnatum, realiter et proprie ut caput omnium hominum eos repraesen-

---

[1]) Sess. XXII. cap. 1. [2]) Hebr. 10, 4.

tabat. Simul constitutus est Sacerdos, ac voluntarie se ipsum ut victimam obtulit Deo hanc oblationem acceptanti. — Christum constitutum esse sacerdotem, jam superius vidimus. Eum vero inde ab initio voluntarie se destinasse ut victimam Deo, Apostolus pariter nos docet illis verbis: *Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicens: Quia hostias et oblationes et holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quae secundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.*[1] Quia videlicet sanguis animalium peccata delere nequit, propterea Christus ingrediens in mundum se ipsum ut victimam pro genere humano Patri praesentat, uti Apostolus juxta Psalmum 39, 7—9 describit. Psalmi textu citato infert Apostolus, Christum *primum* abstulisse, scilicet oblationem multarum victimarum veteris Foederis, ut *sequens* statueret, videlicet oblationem sui in ara crucis juxta voluntatem ac beneplacitum Dei. Atque in hac voluntate Dei, cui oblatio Christi accepta fuit, semel per oblationem Christi Deo reconciliati et sanctificati sumus.

Sacrificium crucis.

333. Consummavit porro Christus Dominus oblationem suam in ara crucis. In hoc sacrificio ipse vere sacerdos offerens erat voluntaria sua mortis susceptione et oblatione. Ad sacerdotis munus exercendum non requiritur, ut ipse sacerdos victimam occidat; sed victimae mactatio est potius dispositio proxima ejus, ut interna oblatione sacrificali pontificis, et externa quadam significatione ejus Deo offeratur. Sic in sacrificiis quoque veteris Foederis occisio materialis victimae saepe non a sacerdotibus fiebat. Christi ut sacerdotis sacrificium igitur consistebat in interna obla-

[1]) Ibid. 10, 5-10.

tione sui ipsius, quae etiam transibat in actum externum per voluntariam admissionem cruciatuum et destructionis vitae suae, ac voluntariam emissionem spiritus. Quamvis enim mors et emissio spiritus connaturaliter consequens esset ex cruciatibus illatis, tamen eadem in potestate Christi erat, etiam quatenus ut homo et sacerdos se ipsum offerebat. — Victima autem est idem Christus Dominus, quatenus patitur cruciatus, sanguis ejus effunditur, ac ipse moritur. Atque tum ut sacerdos, tum ut victima, substitutione reali Christus repraesentabat ut secundus Adam totum genus humanum; pro eodem per sacrificium sui Deo exhibebat summam agnitionem dominii absoluti, satisfaciebat pro omnibus hominum peccatis, Deo genus humanum reconciliabat, ac bona perdita illis merito oblationis recuperabat.

Manifestum vero est, ob infinitam dignitatem illius, qui fuit sacerdos simul et victima, infinitum fuisse sacrificii valorem, tum ratione actionis sacrificalis, tum ratione objecti, adeoque a Christo repraesentante genus humanum *adaequatam* satisfactionem Deo exhibitam fuisse, et merita oblata plene *condigna* ad recuperanda hominibus bona perdita. Offertur autem sacrificium a Christo Deo trino, seu tribus personis ut sunt unus Deus; et sic etiam ipse secundum naturam divinam accipit sacrificium.

Christus incarnatione sacerdos.

334. In propositione diximus, Christum sacerdotem constitutum fuisse *per ipsam incarnationem*. Sane secundum divinam naturam non offert Verbum, sed accipit sacrificium; in susceptione vero humanae naturae simul suscepit Christus munus se ipsum offerendi, atque ad hoc a Deo destinatus fuit. Per hoc constitutus est sacerdos; uti et superius jam ex Scripturis et Patribus probatum fuit. — Caeterum de ratione sacerdotii ejus idem dicendum est, quod de mediatione. Videlicet Sacerdos uti et victima est Deus-homo, seu divina Christi persona, quatenus homo est, et secundum humanam naturam spectata. Humana ejus natura spectari debet ut *principium quo* opere sacerdotali Christus perfunctus est, persona autem ipsa divina ut *principium quod* sacerdotis et victimae officia obiit, et ex quo

infinitus sacrificii valor repetendus est. Unde s. Cyrillus in Apologia ad Orientales: *Quando*, inquit, *Deus factus est homo, etiam Pontifex nuncupatus est, non ut sacrificium majori Domino offerat, sed sibi et Patri, et ut fidei nostrae confessionem procuret. Si dixeris, non esse Deo dignum sacerdotio fungi, consentio et ego, at tum solum recte diceres, si Verbum tantummodo et absque carne esset; quando autem homo factum est, considera, jam sacerdotio fungi ratione humanitatis, et in dignitatibus super creaturam esse ut Deum*[1]).

335. Sociniani, uti jam innuimus, praetendunt, Christum non in terris sacerdotio functum fuisse, sed munere sacerdotali fungi, quatenus coelum ingressus se Deo praesentavit et interpellat pro nobis. Hunc errorem ipsa nostra expositione abunde refutavimus, atque ostendimus, verum et proprium sacrificium a Domino sua morte in ara crucis Deo oblatum fuisse. Manet tamen Christus in coelo sacerdos in aeternum *dignitate*. Praeterea vero in coelo etiam functionem quamdam usque ad temporum consummationem exercet cum sacrificio cohaerentem, videlicet *interpellationem sacerdotalem*, quae est veluti quaedam continuatio sacrificii. Christus enim sacrificium semel oblatum ac merita ejus, statumque suum quo fuit victima et propitiatio pro peccatis hominum, Patri continuo repraesentat, et sic interpellat pro nobis. Ad hanc interpellationem sacerdotalem pertinent illa s. Pauli: *Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis*[2]); et illud s. Joannis: *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*[3]).

Interpellatio Christi.

336. De natura autem interpellationis Christi in coelo inter theologos aliqua est controversia. Multi cum Vasquesio et Thomassino existimant, interpellationem hanc

Explicatur.

---

[1]) Apolog. pro anathematismo X. [2]) Hebr. 7, 23.
[3]) Jo. 2, 1. 2.

Christi sine ulla fieri precatione et oratione, et consistere in sola repraesentatione assumptae humanae naturae, et eorum quae hominum causa passus est. Sane et insignia vulnerum Christus retinere voluit, atque in iis suam quoque passionem et mortem repraesentat [1]). Quum igitur haec objectiva praesentia Christi in coelo cum humanitate sua habeat aliquam cum humana intercessione similitudinem, ideo figurata loquendi ratione interpellatio vocatur. — Alii vero theologi cum Suaresio et Petavio censent, etiam explicita et actuali postulatione Christum interpellare pro nobis. Atque haec pariter est sententia s. Thomae, qui de interpellatione Christi scribit: *Excellentiam pietatis* (Christi) *ostendit* (Apostolus), *quia dicit*: *Ad interpellandum pro nobis; quia licet sit ita potens*, *ita altus*, *tamen cum hoc est pius*, *quia interpellat pro nobis. Interpellat pro nobis*, *primo humanitatem suam*, *quam pro nobis assumpsit*, *repraesentando*: *item sanctissimae animae suae desiderium quod de salute nostra habuit exprimendo*, *cum quo interpellat pro nobis.* [2]) Certe Christo non convenit interpellatio ut puris creaturis, quarum supplicatio dirigitur ad Dei misericordiam, non nititur meritis propriis condignis, et notat inferioritatem personae prae Deo. Christus autem est persona divina, merito adaequato hominibus bona meruit, et ipsi etiam spectata humana natura *omnis potestas data est in coelo et in terra.* [3]) Attamen voluntas Christi humana etiam nunc distincta est a voluntate divina, eidemque subordinata atque subjecta. Hinc profecto Christus Patri desideria illa, quibus pro hominum sanctificatione etiam voluntas ejus humana continuo ardet, Patri exprimere potest, atque hac in expressione explicita et actualis interpellatio continetur. Itaque quum haec sententia, Christi

---

[1]) »Vulnera suscepta pro nobis coelo inferre maluit, abolere noluit, ut Deo Patri pretia nostrae libertatis ostenderet.« S. Ambros. in Luc. l 10. n. 170.

[2]) Commentar. in epist. ad Hebraeos c. 7. lect. 4.

[3]) Matth. 28. 18.

interpellationem ratione exposita explicitam quoque esse et actualem, nihil in se contineat quod minus rationi sit congruum, simulque Scripturarum et Patrum effata eidem favere videantur, alteri opinioni eam praeferendam esse existimamus. Atque haec de sacerdotio Christi sufficiant.

Christus propheta.

337. *De munere Christi prophetico.* — Prophetae significatione latiori dicuntur interdum, qui Deum propius cognoscunt eumque celebrant[1]); strictiori vero sensu illi appellantur prophetae, quibus speciali providentia Dei munus committitur, ut populum doceant divinumque cultum collapsum restaurent, quibusque in eum finem etiam potestas patrandi miracula ac praedicendi futura conceditur. Messias igitur jam in antiquo Foedere annuntiatus erat ut propheta plane eximius omniumque summus. Sic Isaias: *Ecce,* inquit, *testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus.*[2]) Unde et turbae credentes in Christum frequenter eum prophetam illum promissum (*τον προφητην*) proclamant. Sic post panum multiplicationem uti Evangelista narrat, *illi homines, quum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum (ὁ προφητης ὁ ἐρχομενος εἰς τον κοσμον).*[3]) — Munus vero propheticum Christum vita et doctrina sua, atque institutione religionis et Ecclesiae perpetuo duraturae perfectissime explevisse, plane clarum est.

Doctrina.

Paucis rem ita complectitur Catechismus Romanus: *Itaque Jesus Christus summus propheta et magister fuit, qui nos Dei voluntatem docuit, et a cujus doctrina orbis terrarum Patris coelestis cognitionem accepit: quod ei nomen praeclarius, ac praestantius convenit, quod omnes, quicumque prophetae nomine dignati sunt, ejus discipuli fuerunt, atque ob illam praecipue causam missi, ut Prophetam hunc, qui ad salvandos omnes venturus erat, praenuntiarent.*[4])

---

[1]) Hoc sensu legitur: »Numquid et Saul inter prophetas?« 1 Reg. 19, 21.

[2]) Isai 55, 4. -- Cfr. Deuter. 18, 18. [3]) Jo. 6, 14.

[4]) Parte 1. art. 2. n° 1.

Et Exemplo. 338. Hac vero in re notari debet, Christum Dominum per totam vitam suam excellentissimo modo munere prophetico functum esse, etiam quatenus se exemplar summum praebuit virtutum. Tam praeclara enim omnium virtutum exempla toti mundo exhibuit, ut homines ad illa respicientes simul rectum salutis tramitem facile invenire possint, atque ad eum sequendum vehementer accendi debeant. Unde et Dominus dicit: *Ego sum via, veritas, et vita* [1]; et *ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae* [2]. Ac merito ss. Patres advertunt, antiquorum philosophorum systemata infirma fuisse et populis non profuisse, eo quod deessent virtutis exempla; Christum vero non solum doctrina, sed exemplo toti orbi terrarum viam salutis ostendisse. Sic s. Augustinus in epistola ad Dioscorum praeclare in hunc modum disserit: *Inter eos, qui fruendum Deo, a quo et nos et omnia facta sunt, unum atque summum bonum nostrum esse dicunt, eminuerunt Platonici, qui non immerito ad officium suum pertinere arbitrati sunt, Stoïcis et Epicuraeis maxime et prope solis omnino resistere. Sed non sicut illi errorum suorum, ita Platonici veram rationis personam implere potuerunt. Omnibus enim defuit divinae humilitatis exemplum, quod opportunissimo tempore per Dominum nostrum Jesum Christum illustratum est: cui uni exemplo cujusvis animo ferociter arrogantis omnis superbia cedit et frangitur et emoritur... Qua in re satis mihi videtur demonstratum esse, errores gentium, sive de moribus, sive de natura rerum, sive de ratione investigandae veritatis, expugnantibus doctis et tanta disserendi subtilitate atque copia subvertentibus, durasse tamen usque in tempora christiana. Quos jam certe nostra aetate sic obmutuisse conspicimus, ut vix jam in scholis rhetorum commemoretur tantum, quae fuerint illorum sententiae. Cum igitur tanta sit caecitas mentium per illuviem peccatorum amoremque carnis, ut etiam ista sententiarum portenta,*

---

1) Jo. 12, 46. 2) Jo. 8, 12.

otia doctorum conterere disputando potuerint, dubitabis tu Dioscore, vel quisquam vigilante ingenio praeditus ullo modo, ad sequendam veritatem melius consuli potuisse generi humano, quam ut homo ab ipsa veritate susceptus ineffabiliter et mirabiliter, et ipsius in terris personam gerens, recta praecipiendo et divina faciendo, salubriter credi persuaderet, quod nondum prudenter possit intelligi?[1]) Sic igitur Christus Dominus *potens in opere et sermone*, verbo et exemplo munus propheticum exercuit.

Christus rex.

339. *De munere regio Christi.* — Christo quatenus Deus est certe omnia subjecta sunt, quum omnium ipse sit creator et gubernator, adeoque et rex dici potest. Sed etiam quatenus in assumpta humana natura mundum redemit, ipse est rex. Ut rex enim praedictus fuit a prophetis[2]) et annuntiatus ab angelo dicente: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.*[3]) Testimonium vero ipsius Christi pariter Evangelista nobis refert in narratione passionis Domini. *Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, et vocavit Jesum et dixit ei: Tu es rex Judaeorum?... Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judaeis, nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia rex sum ego.*[4]) Ex his tum manifestum est, Christo revera potestatem convenire et munus regium, tum regnum ejus haud esse regnum terrestre atque mundanum, sicuti Judaei carnales sibi Messiae regnum fingebant. Regnum Christi videlicet est Ecclesia tum in terris militans, tum in coelis triumphans, quod regnum etiam saepe appellatione

---

1) Epist. ad Dioscorum (118).

2) E. g. a Jeremia 23, 5. illis verbis: »Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo David germen justum, et regnabit rex et sapiens erit.«

3) Luc. 1, 32. 4) Jo. 18, 33. et sqq.

regni coelorum, vel regni gratiae et gloriae designari solet.

340. Quae de regio Christi munere tenenda sunt, ad ea fere reducuntur, quibus declaravimus, quomodo Christo conveniat gratia Capitis. Regia enim Christi potestas in se eadem est ac gratia Capitis; ac nomine tantum differt, quatenus Regis nomen potestatem et auctoritatem in societatem, qua regnum constituitur, disertius exprimit. Hoc loco igitur pauca ad ea quae jam exposita fuerunt addere sufficit. Munus regium Christo ut homini convenit propter unionem hypostaticam, et quatenus homines quos redemit sanguine suo in sacram societatem et spirituale regnum, Ecclesiam suam, voluit congregare. Illud munus exercuit et exercet potestate ea et auctoritate, qua Ecclesiam instituit, latis eam legibus fundavit atque firmavit, eidem pastores ac doctores visibiles praefecit, eam etiam nunc invisibiliter regit, gratiis suis fovet atque tuetur, et contra hostes omnes defendit.[1] Perfectum vero hoc Christi regnum erit in die aeternitatis, quando omnes angeli atque electi unam constituent Dei civitatem, novam Hierusalem, cujus caput et rex erit Christus Dominus in cujus vestimento ac femore scriptum est: *Rex regum et Dominus dominantium.*[2] — Praeclare de hoc munere regio Christi scribit Catechismus Romanus: *Christum, non solum ut Deus, verum ut homo ac nostrae naturae particeps est, regem etiam agnoscimus, de quo angelus testatus est: Regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis. Quod quidem Christi regnum spirituale est, in terrisque inchoatur et in coelo perficitur. Ac regis quidem officia*

---

[1]) Hinc mittens Apostolos ad praedicandum Evangelium ait: »Data est mihi omnes potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete (μαθητευσατε discipulos facite) omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.« Matth. 28, 18.

[2]) Apocal. 19, 16.

admirabili providentia suae praestat Ecclesiae: ipse eam regit, ipse ab hostium impetu atque insidiis tuetur: ipse ei leges praescribit: ipse non solum sanctitatem et justitiam largitur, verum etiam ad perseverandum facultatem et vires praebet. Quamquam autem hujus regni finibus tam boni quam mali contineantur, atque adeo omnes homines jure ad illud pertineant, ii tamen prae caeteris summam regis nostri bonitatem et beneficentiam experiuntur, qui ex ejus praeceptis integram atque innocentem vitam degunt. Neque vero hoc illi regnum haereditario aut humano jure obtigit, tametsi genus a clarissimis regibus duceret, sed rex fuit propterea, quod Deus in illum hominem contulit, quidquid potestatis, amplitudinis, dignitatis, hominis natura capere posset. Illi igitur totius mundi regnum tradidit, eique omnia, quod jam fieri coeptum est, plene perfecteque in die judicii subjicientur.[1])

Potestas judiciaria.

341. Cum regio Christi munere etiam cohaeret Christi *potestas judiciaria.* Certe eidem ut Deo cum Patre et Spiritu sancto suprema potestas judiciaria convenit; sed etiam ut homo speciali ratione judex est omnium. Id optime explicat Angelicus Doctor: *Quamvis,* inquit, *apud Deum remaneat primaeva auctoritas judicandi, hominibus tamen committitur a Deo judiciaria potestas respectu eorum, qui eorum jurisdictioni subjiciuntur. Dictum est autem, quod Christus etiam in humana natura est caput totius Ecclesiae, et quod sub pedibus ejus Deus omnia subjecit. Unde ad eum pertinet etiam secundum naturam humanam habere judiciariam potestatem.*[2]) Hanc potestatem judiciariam splendidissima ratione Christus exercebit secundo adventu

---

[1]) Parte 1. a 2. n. 12. — Inquiri etiam solet, utrum Christo convenerit potestas regia in ordine temporali. Et non sine solidis argumentis theologi asserunt, Dominum Jesum Christum etiam plenissima potestate regia in totum orbem terrarum omnesque reges et principes praeditum fuisse. Noluit tamen exercere hanc regiam auctoritatem, quia aliam elegit viam redimendi genus humanum, videlicet viam paupertatis et humilitatis, passionis ac mortis.

[2]) S. th. p. 3. q. 59. a. 2.

suo, quo venturus est judicare vivos et mortuos. *Cum venerit,* ait ipse Dominus, *Filius hominis in majestate sua et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae: et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem sicut pastor segregat oves ab hoedis etc.*[1] Ad hoc judicium universale plures Patres ac theologi referunt illa Christi verba: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.*[2] Qua de re Suarez: *Licet,* inquit, *illud judicium etiam sit a Patre et a Spiritu sancto, ut a prima et principali causa habente primariam auctoritatem judicandi, cujus vices gerit Christus ut homo, tamen non erit a Patre ut a persona immediate ferente judicium; hoc autem modo judicabit Filius tanquam propria persona, in qua subsistit illa humanitas per quam judicium fit.*[3] Quod vero spectat ad judicium particulare, pariter id etiam auctoritate Christi ut hominis fieri, idem Suaresius existimat. *Dicendum est,* ait, *neque animam judicandam deferri in coelum, neque Christum descendere ad judicandum illam, sed in instanti mortis intellectualiter elevari ad audiendam sententiam judicis. Et hoc est duci ad tribunal ejus, absque alia locali mutatione. Et verisimile est, in eo instante cognoscere, sese judicari, et salvari vel damnari imperio et efficacia non solum Dei, sed etiam hominis Christi.*[4] Quum postremo Christi humanitas propter unionem hypostaticam evecta sit super omnes angelos, eidemque et spiritus mali subjecti sint, judiciaria Christi ut hominis potestas super hos quoque sese extendit, ita ut *in nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum.*[5]

---

[1]) Matth. 25, 31 et sqq. [2]) Jo. 5, 22.

[3]) In III. p. s. Thomae q. 59. a. 1. — Illum textum alii tamen alio interpretantur modo. Qua de re confer Patritium et Beelen in Jo. 5, 22.

[4]) Ibidem diput. 52.

[5]) Philip. 2, 10. — De judiciaria potestate Christi super angelos scribit s. Thomas: »Angeli subsunt judiciariae potestati Christi non solum quantum ad divinam naturam, prout est Verbum Dei, sed etiam ratione humanae naturae. Quod patet ex tribus. Primo ex propin-

CAPUT II.

DE CULTU SANCTORUM, RELIQUIARUM, ATQUE IMAGINUM.

Articulus I.

DE INTERCESSIONE SANCTORUM.

Sancti mediatores secundarii.

342. Vidimus jam superius, unum Jesum Christum, Deum-hominem, naturalem esse Deum inter et homines mediatorem, quum in una persona utramque conjungat naturam et divinam et humanam. Ostendimus pariter, ipsum quoque solum singulari et perfecto modo munus reconciliationis hominum cum Deo perficere potuisse ac perfecisse, quum adaequatam satisfactionem praestiterit, meritaque

---

quitate naturae assumptae ad Deum. Anima Christi magis est repleta virtute Verbi Dei, quam aliquis angelorum, unde et angelos illuminat, sicut Dionysius dicit (cap. 7, coel. hier. a med.), unde et de eis habet judicare. Secundo, quia per humilitatem passionis humana natura in Christo meruit exaltari super angelos. Et ideo Christus habet judiciariam potestatem etiam super omnes angelos, et bonos et malos. Tertio, ratione eorum quae (angeli) circa homines operantur, quorum Christus speciali quodam modo est caput... Subsunt autem judicio Christi uno quidem modo quantum ad dispensationem eorum quae per ipsos aguntur, quae quidem dispensatio fit etiam per hominem Christum, cui angeli ministrabant, ut dicitur Matth. 4., et a quo daemones petebant, ut in porcos mitterentur. Secundo quantum ad alia accidentalia praemia bonorum angelorum, quae sunt gaudia quae habent de salute hominum, secundum illud Luc. 15, 10: *Gaudium erit super uno peccatore poenitentiam agente*; et etiam quantum ad poenas accidentales daemonum, quibus torquentur vel hic, vel recluduntur in inferno; et hoc etiam pertinet ad hominem Christum. Unde Marc. 24 dicit: *Quid nobis et tibi Jesu Nazarene? venisti ante tempus perdere nos?* Tertio quantum ad praemium essentiale bonorum angelorum, quod est beatitudo aeterna; et quantum ad poenam essentialem angelorum malorum, quae est damnatio aeterna. Sed hoc factum est per Christum, in quantum est Verbum Dei, a principio mundi.« S. th. p. 3. q. 59. a. 6.

propria et condigna pro recuperandis bonis hominum perditis Deo obtulerit. Hinc Apostolus ait: *Unus Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* [1]) Quum vero hac ratione solus Christus sit mediator noster *naturalis* atque *primarius*, id nullatenus impedit, quominus alios quosdam agnoscamus ut mediatores *secundarios* et *imperfectos*, qui in ordine supernaturali Deo intimius conjuncti etiam aliis opitulari possunt, ut Dei dona ipsis procurent. Tales mediatores secundarii et ministeriales sunt e. g. sacerdotes, qui per charisma divinum munus mediationis acceperunt; sed haec virtus mediatoris manifeste unice fluit ex primario mediatore Christo, eoque tendit, ut bona illa hominibus singulis applicentur, quae meritis Christi generi humano acquisita sunt. Secundaria quaedam mediatio etiam Sanctis in coelo regnantibus convenit. Ipsi enim Deo ut amici per lumen gloriae ac visionem beatificam intime sunt conjuncti, atque intercessione sua hominibus multiplices gratias obtinent. Quapropter opportunus hic videtur esse locus, ut quum de redemptione per Christum tractaverimus, modo illa adjungamus, quae de intercessione Sanctorum, ac de veneratione qua illos prosequi oportet, scitu magis sunt necessaria.

Doctrina Ecclesiae.

343. Doctrina Ecclesia hac in re a Concilio Tridentino Sessione XXV clare proposita est, atque juvabit statim ea verba afferre, quibus decretum suum sacra Synodus inchoat. *Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis et caeteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta catholicae et apostolicae Ecclesiae usum a primaevis christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem et sacrorum Conciliorum decreta, imprimis de Sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore et legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas Deo pro hominibus offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui*

[1]) Tim. 2, 5.

solus noster redemptor et salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos vero qui negant, Sanctos aeterna felicitate in coelo fruentes invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam vel pugnare cum verbo Dei adversarique honori unius mediatoris Dei hominum Jesu Christi, vel stultum esse in coelo regnantibus voce, vel mente supplicare, anathema sit. Hisce doctrina de intercessione, veneratione et invocatione Sanctorum breviter continetur; quae vero ibidem de cultu reliquiarum et imaginum statuuntur suo loco afferemus. — Patet autem ex ipsa consideratione verborum, in hac doctrina catholica de intercessione et invocatione Sanctorum, uti a Concilio Tridentino proponitur, nihil omnino esse, quo vel minime virtuti mediationis per Christum, vel honori Christo mediatori debito derogatur; imo eadem contineri splendidam professionem, non nisi ex meritis Christi omnem gratiam omneque bonum profluere. Imprimis enim Sancti pro nobis intercedunt, quatenus amici Dei sunt una cum Christo et sub ipso tanquam capite regnantes in coelo. Jamvero hanc gloriam, et amicitiam cum Deo non habent nisi ex meritis Christi, adeoque et ipsa virtus intercedendi pro nobis effectus est meritorum Christi, ipsisque tribuitur, quatenus secundaria quadam ratione, orando et petendo, munus mediationis ejus participare possunt. — Dein beneficia, quae petendo hominibus obtinent, ea sunt bona, quae meritis suis Christus redemptis recuperavit; ipse enim solus est, qui thesauros gratiarum generi humano lapso aperuit. Atque eo spectant orationes et petitiones Sanctorum, ut facilius nobis per Christum, seu propter merita Christi, concedantur bona quae pro salute nostra nobis opportuna sunt. Unde et Concilium Tridentinum dicit, nos confugere ad eorum orationes *ad beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster redemptor et salvator est*

344. Inter antiquos Vigilantius, presbyter Hispanus in **Errores.**

disciplinis theologicis parum versatus, ineunte saeculo quinto doctrinam Ecclesiae de intercessione, cultu et invocatione Sanctorum impugnavit; sed mox ipse et pauci asseclae ejus a ss. Augustino, Paulino, ac praecipue a s. Hieronymo tanto vigore rejecti sunt, ut postrati jam essent, antequam sectam constituere potuissent. Novatores dein saeculi XVI hac in re varia sua opinamenta doctrinae antiquae substituerunt. Calvinus et ejus sectatores omnino negant, Sanctos pro hominibus viventibus intercedere, ac statuunt, Sanctos in coelo sua frui beatitudine, sed res quae in terris aguntur nec cognoscere nec curare.[1]) Lutherus initio cultum et invocationem Sanctorum non rejecit, sed dein sententiam suam mutavit. Admittunt igitur Lutherani quidem, Sanctos pro Ecclesia universim intercedere, sed statuunt, eos non pro singulis ac determinatis orare personis, et nec invocandos esse, nec colendos nisi imitatione.[2]) Cultum Sanctorum clamant esse idololatriam, invocandos eos non esse, eo quod Scriptura id non doceat, et injuria Christo soli mediatori hac invocatione inferatur. De his protestantium argumentis inferius plura dicemus.

Unde protestantium error.

345. Sed jam veluti per se patet, futilia ejusmodi argumenta a protestantibus conquisita esse, ut quod contra

---

[1]) »Quidquid homines de mortuorum sanctorum intercessione commenti sunt, nihil aliud esse, quam fraudem et fallacias Satanae, ut homines a recta precandi forma abduceret.« Confessio Gall. a XXIV. p. 119. »Quippe de quibus (sanctis) Scriptura passim affirmat, quod res nostras ignorent, et ea quae sub sole fiunt minime curent.« Remonstr. Conf. c. XVI, §. 3.

[2]) »De cultu Sanctorum docent, quod memoria Sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum et bona opera juxta vocationem... Sed Scriptura non docet, invocare Sanctos seu petere auxilium a Sanctis. Quia unum Christum proponit nobis mediatorem, propitiatorem, pontificem, et intercessorem.« Confess. Aug. a. XXI. — »Praeterea et hoc largimur, quod Angeli orent pro nobis. De sanctis concedimus, quod, sicut vivi orant pro Ecclesia universali in genere, ita in coelis orant pro Ecclesia ingenere. — Porro ut maxime pro Ecclesia orent Sancti, tamen non sequitur, quod sint invocandi.« Apolog. ad a. XXI. §. 3. 4. p. 201.

antiquam Ecclesiae doctrinam ipsis statuere placuit, quadam etiam probationis obviae specie communirent. Caeterum vero si accuratius inquiritur, unde illorum haereticorum contemptus, quo Sanctos prosequuntur *dimanet*, et quare tam ineptam de intercessione et invocatione eorum sententiam selegerint, haec ex fundamentalibus eorum doctrinis sponte profluxisse apparet. Negabant videlicet homines isti humanam libertatem; adeoque etiam omnis virtus ac meritum omne iis non nisi fictio erat inanis. Humana natura ex eorum doctrina intrinsecus est plane corrupta, nec gratia et justificatione ejusmodi naturae foeditas ullatenus tollitur. Sed justificatio mere externa est, ac tantum efficit, ut propter merita Christi Deus hominis peccatum non amplius consideret atque imputet. Neque sanctitas et justitia fit homini propria, sed hominis sanctitas est ipsa sanctitas et justitia formalis Christi ab homine per fidem apprehensa, peccata cooperiens et iram ac damnationem Dei avertens. Unde quum haec intrinseca Christi justitia et sanctitas sit prorsus immutabilis et incapax augmenti et decrementi, docebant, justitiam et sanctitatem in omnibus justificatis eadem atque aequali ratione inveniri. *Omnes christiani*, clamabat Lutherus, *aeque magni sumus sicut mater Dei, et aeque sancti sicut ipsa.* [1])

Quodsi talia directe de justificatione et sanctitate hujus vitae statuebant, inde necessario sequebatur, ut etiam sanctitatem et statum Beatorum in coelo illi haeretici aestimare non possent. Gloria haec et sanctitas regnantium cum Christo consummatio est gratiae et sanctitatis, qua jam hac in vita ipsi ornati erant. Unde sicuti protestantibus christianorum justitia nihil aliud est, nisi *Christi justitia extra nos*, ita et Beatorum sanctitas eis aliud esse nequit, nisi *Christi sanctitas extra eos.* Beati igitur nec ob virtutes honorandi sunt quas in vita exercuerunt, quum libertas ipsis defuerit, nec aliquid ipsis inhaeret, quod eos cultu dignos reddere possit. Unde et de toto statu eorum, de

[1]) Serm. de Nativit. B. Mariae.

intercessione ipsorum ac de invocatione juxta integrum suum systema non nisi vilia et abjecta protestantes sibi fingere poterant. Quodsi ipsi hac in re sententias suas non distincte ex doctrinis fundamentalibus evolverunt, satis tamen apparet, in iisdem errorum radices foecundas revera inveniri.[1])

346. Modo jam doctrinam catholicam de intercessione Sanctorum ex fidei fontibus demonstremus.

Propositio.

Propositio. — *Sancti una cum Christo regnantes in coelis orationes suas pro hominibus Deo offerunt, ac non solum pro hominibus generatim, sed etiam pro singulis intercedunt.*

Probationis indoles.

Praenotanda. — Opportunum erit advertere, generatim quoad doctrinam de cultu Sanctorum exspectari haud posse, ut in sacris Litteris praesertim novi Foederis multiplicia et diserta testimonia inveniantur. Id ex ipsa rei indole provenit. Sacra Scriptura videlicet non est opus, quo systemate quodam veritates fidei proponuntur, sed eadem complectitur scripta, quibus auctores sacri inpirante Spiritu sancto fidelibus, praecipue prouti peculiares rationes id requirebant, certa quaedam doctrinae capita exponebant. Tota summa fidei christianae simul praedicatione orali, ampliori ac fusiori ratione tradebatur. Facile vero colligimus, non adfuisse illas rationes speciales, ut in scriptis suis apostoli de Sanctorum intercessione et cultu fideles peculiari modo instruerent. Ipsa videlicet Christi Ecclesia eo tempore primum congregabatur a Sanctis illis, quos maxime veneramur, ita ut pauci essent Sancti novi Foederis, qui jam Christum in coelum secuti erant; justi autem et Sancti antiqui Foederis nexu minus stricto christianis conjungebantur. Praeterea vero tota doctrina de intercessione et veneratione eorum, qui jam ad coelestia regna transierunt, valde plana est, et ex ipsis fidei doctrinis per se consequitur; eadem quoque communis erat antiquae Synagogae, adeoque sola praedicatione orali et usu ac praxi facillime omnibus tradebatur. — Quodsi etiam in Scriptis veteris Foederis non multa hac de materia inveniuntur, id

---

[1]) Cfr. Oswald, Eschatologia, Sectio 2. c. 3. § 3.

repetendum est tum ex eo, quod juxta divinae sapientiae oeconomiam quae alteram vitam et animarum statum generatim spectant iisdem minori copia proponuntur; tum ex eo, quod justi ad statum perfectae felicitatis non pervenerunt, nisi quando Christus triumphans atque ascendens in coelum eos in regnum suum introduxit.

347. Demonstratio. — Directum argumentum, quo intercessio Sanctorum pro hominibus demonstratur, merito depromitur ex visione illa, quam in somniis habuit fortissimus et a Deo electus Judaeorum dux, Judas Machabaeus, quodque somnium ipse enarrans milites suos fiducia magna affecit. *Singulos autem illorum*, scribit auctor inspiratus, *armavit non clypei et hastae munitione, sed sermonibus optimis et exhortationibus, exposito digno fide somnio, per quod universos laetificavit. Erat autem hujusmodi visus. Oniam qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judaeorum. Post hoc apparuisse et alium virum aetate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum. Respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator et populi Israël: hic est, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei. Extendisse autem Jeremiam dexteram et dedisse Judae gladium aureum dicentem: Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.*[1] Hac igitur in visione Judae ostendebatur sollicitudo et intercessio duorum virorum sanctorum, Oniae et Jeremiae, qua non solum hominibus universim, sed populo Israël in determinata illa difficultate rerum succurrebant. Animadvertendum vero est, somnium illud ab auctore dici *fide dignum*, adeoque ipsum Spiritum sanctum indicare, non illusione aliqua vana imaginationis Judam fuisse deceptum, sed visionem rei veritati respondere. Protestantes quidem noluerunt libros

S. Scriptura.

[1]) 2 Machab. 15, 11.

Machabaeorum ut canonicos admittere; at profecto dum fundamenta fidei nostrae ad scientificam dogmatum expositionem ex sacris Litteris conquirimus, omnibus utemur libris, quos Ecclesia ut inspiratos agnoscit. Caeterum polemice contra ipsos haereticos, quum libros Machabaeorum saltem ut documenta historica rejicere nequeant, ex iis colligitur peremptorie, intimam persuasionem Judaeis fuisse, mortuos justos pro viventibus orare. — In Apocalypsi s. Joannis legimus: *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quae sunt orationes sanctorum.* [1]) Viginti quatuor seniores repraesentant Sanctos antiqui Foederis et Testamenti novi; ipsi dum adorantes Deum laudant, simul ei offerunt orationes sanctorum, i. e. christianorum qui in terris militant. Jam vero ex eo ipso, quod electi in coelo Deo offerunt orationes eorum qui in terris degunt, exprimitur eorum unio cum hominibus; orationes videlicet suas conjungunt cum orationibus horum, laudem suam cum laudibus hominum, petitiones suas cum petitionibus, ut hac ratione Deo gratae et acceptae sint fidelium orationes et petitiones. Sed talis oblatio veram Sanctorum intercessionem constituit. Inepte autem objiceretur, in textu allato tantum agi de laudibus hominum, quae Deo a Sanctis simul cum hymnis suis offeruntur. Etenim s. Joannes generatim indicat, orationes fidelium Deo offerri a Sanctis, proinde et petitiones. Praeterea tota descriptio per se satis ostendit intimam Sanctorum cum fidelibus conjunctionem, qua semel admissa absonum foret, negare illorum sollicitudinem et intercessionem pro istis.

348. Ex sacris Litteris porro plura alia argumenta, indirecta quidem, sed validissima, facile colligimus. Discimus ex iis, angelos de hominibus maximam habere sollicitudinem, atque etiam pro illis orare. Sic apud prophetam Zachariam angelus pro populo Israëlitico deprecatur: *Domine exercitium usquequo non misereberis Jerusalem,*

---

[5]) Apocal. 5, 8.

et urbium Juda, quibus iratus es? Et respondit Dominus angelo qui loquebatur in me verba bona et consolatoria... Propterea haec dicit Dominus: Revertar ad Jerusalem in misericordiis, et domus mea aedificabitur in ea.[1] Hujus testimonii ineluctabilem vim vel ipse Melanchthon sentiit; unde in Apologia confessionis Augustanae fatetur: *Largimur, quod angeli orent pro nobis; exstat enim testimonium Zach. 1, 12.* — Huc pariter pertinent ea quae legimus apud prophetam Daniëlem de sollicitudine, qua angeli tutelares promovebant reditum Judaeorum ex captivitate;[2] hanc angelorum sanctorum curam ostendunt illa, quae in libro Tobiae referuntur; necnon Christi Domini verba: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei qui in coelis est*[3]; et: *Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.*[4] Quodsi vero sancti angeli tantam mortalium curam habent ac pro illis intercedunt, nonne a fortiori concludendum est, Sanctos etiam de nobis sollicitos esse, orationibusque pro nobis intercedere, quum peculiari communis generis vinculo hominibus conjungantur? — Profecto jam in hac vita debemus orare pro invicem, quia *multum valet deprecatio justi assidua*[5]. Unde ipse s. Paulus, quum tantus esset apostolus, sese commendat fidelium orationibus, scribens ad Romanos: *Obsecro ergo vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, et per caritatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.*[6] Quanto magis igitur intercedent pro viventibus Sancti illi, suasque orationes conjungent interpellationi Christi capitis ac regis, cum quo ipsi tamquam membra ejus conregnabunt in perpetuas aeternitates. Unde s. Hieronymus contra Vigilantium scribit: *Si apostoli et martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro caeteris, quando adhuc.*

---

[1]) Zach. 1, 12. [2]) Dan. c. 10. Cfr. Tract. De Deo Creat. n° 120
[3]) Matth. 18, 10. [4]) Luc. 15, 10. [5]) Jac. 5, 16,
[6]) Rom. 15, 30.

pro seipsis debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias et triumphos?

Traditio.

349. Jam ut de *Traditionis* doctrina loquamur, superfluum est testimonia afferre ex saeculis, quae subsequuntur tempora s. Hieronymi, qui tanta cum vi errores Vigilantii refutavit. Etenim nimis evidens est, inde ab illa aetate usque ad protestantium defectionem doctrinam de intercessione et cultu Sanctorum semper eamdem fuisse; imo protestantes id ultro fatentur, atque coguntur asserere, jam saeculo secundo ac tertio Ecclesiam a veritate hac in re deflexisse. Sed talis assertio per se concidit ex principiis generalibus de Ecclesiae in fidei doctrinis indefectibilitate, quae contra haereticorum ineptos errores in Tractatu de Ecclesia vindicatur. Sufficiat modo pauca citare testimonia priorum saeculorum, ex quibus pateat persuasio fidei illius temporis; alia etiam inferius occurrent, quando de Sanctorum invocatione agetur. Quid igitur primi temporis Christiani crediderint de intercessione et cultu Sanctorum, plane apparet ex antiquissimo monumento, videlicet ex actis martyrii s. Ignatii (a. 107), quae quidem acta a fidis comitibus ejus conscripta fuere. Illorum actuum haec est conclusio. *Horum ipsimet conspectores effecti cum lacrimis, et domi per totam noctem vigilantes, et multum cum genuflexione et oratione deprecantes Dominum, certificare infirmos nos de prius factis: parum obdormitantes hi quidem repente adstantem et amplexantem nos videbant: hi autem rursus superorantem nobis videbant beatum Ignatium, quemadmodum ex labore multo venientem, et adstantem Domino in multa confidentia et ineffabili gloria. Impleti autem gaudio haec videntes, et glorificantes Deum datorem bonorum et beatificantes Sanctum manifestavimus vobis* [1]) *diem et tempus, ut secundum tempus martyrii congregati, communicemus athletae et virili Christi martyri, qui conculcavit diabolum et hujus insidias*

---

[1]) Alia lectio est *Notavimus nobis diem etc.* ἐφανερώσαμεν ἡμῖν τὴν ἡμέραν.

in finem prostravit, glorificantes in ipsius venerabili et sancta memoria Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et cum quo Patri gloria et potentia cum Spiritu sancto in sancta Ecclesia in saecula saeculorum. Amen.[1]) Origenes frequenter de intercessione Angelorum ac Sanctorum pro viventibus loquitur. Sic e. g. contra Celsum l. 8 loquens de angelis et animabus sanctis scribit: *Adjuvant eos, qui summum Deum colere volunt, illum eis conciliant, suas illorum precibus adjungunt preces, simul cum eis postulant.* S. Cyprianus in epistola, quam s. Cornelio in exilium misso scripsit, his verbis se illi commendat: *Memores nostri invicem simus, concordes atque unanimes, utrobique pro nobis semper oremus, pressuras atque angustias mutua caritate relevemus: et si quis istinc nostrum prior divinae dignationis celeritate praecesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio, pro fratibus et sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.*[2]) S. Basilius Oratione sua in 40 martyres dicit: *Hi sunt qui nostram tenentes regionem quasi quaedam turres contra adversariorum incursum refugium exhibent*; illosque martyres nominat *communes custodes generis humani, orationis adjutores, legatos potentissimos*[3]). — Ex his perspicuum est, indubiam inde ab initio Christianismi fuisse eam persuasionem ac doctrinam, justos et sanctos mortuos pro viventibus apud Deum intercedere.

350. Colligitur etiam tum ex iis quae ex sacris Litteris, tum ex his quae modo ex Traditione attulimus, Sanctos non solum universim pro genere humano vel pro Ecclesia orare, sed etiam pro peculiaribus gentibus, regionibus, hominibus. Sic Onias et Jeremias precantur pro populo Israelitico in periculis specialibus constituto; comites s. Ignatii eum vident superorantem ipsis; quadraginta martyres habentur ut speciales suae patriae protectores. Sed haec veritas clarius elucescet ex iis, quae de invocatione Sanctorum statuenda erunt.

---

[1]) Vide Ruinart, Acta sincera martyrum.
[2]) Epist. 57. [3]) Orat. 20.

Schola.

351. Doctrinam quoque audiamus doctorum Scholae, qui de cultu Sanctorum jam distinctas quaestiones instituunt, ex *Supplemento Angelici Doctoris* collecto ex scriptis ipsius. *Sancti dicuntur dupliciter orare pro nobis; uno modo oratione expressa, dum votis suis aures divinae clementiae pro nobis pulsant; alio modo oratione interpretativa, scilicet per eorum merita, quae in conspectu Dei existentia, non solum eis cedunt ad gloriam, sed sunt nobis etiam suffragia et orationes quaedam, sicut etiam sanguis Christi pro nobis effusus dicitur veniam petere. Utroque autem modo Sanctorum orationes sunt, quantum est in eis, efficaces ad impetrandum quod petunt.* [1]) Qua in re ut intelligantur ea, quae de meritis Sanctorum dicuntur, notandum est, eadem non se habere ut merita Christi. Solus Christus enim meritis condignis generi humano bona supernaturalia meruit, Sancti vero dum in terris merita sibi colligerent, de condigno non aliis, sed sibi tantum meruerunt eum gloriae gradum, qui eorum meritis respondet. Sed quemadmodum his in terris bonis operibus unus alteri de congruo Dei beneficia mereri potest, ita etiam splendida illa opera bona quae Sancti in terris fecerunt, et heroicae eorum virtutes, de congruo nunc hominibus Dei dona merentur, dum ea respiciens Deus membris Ecclesiae in terra militantibus propitiatur, et promptus est ad orationes Sanctorum exaudiendas.

Ratio theologica.

352. Quid *ratio* fide illustrata de intercessione Sanctorum colligat, jam ex probatione indirecta, quam juxta sacrarum Litterarum doctrinam concludendo confecimus, perspicuum est. Non solum haec veritas sanam rationem ne minimum quidem offendit, sed suppositis iis quae de vita futura, de statu animarum post mortem, ac de communione membrorum totius Ecclesiae fides catholica tenet, veluti per se eadem ex hisce consequitur. — Dignitatem vero Christi mediatoris hac doctrina nullatenus violari, ipsa explicatione sententiae catho-

---

[1]) Qu 72. a. 3.

licae ostendimus. Sane Christus est unus et solus mediator noster naturalis et primarius, qui alio non indiget mediatore apud Deum. At Christus ut mediator primarius non excludit mediatores secundarios, inferiores et subordinatos; id vel ex eo vides, quod fatentibus ipsis protestantibus justi in terra viventes pro aliis intercessores esse possunt. Ita etiam Christus dicitur unus magister[1]; et tamen etiam alii vocantur magistri et doctores, quum magisterium Christi primarium, secundarium et subordinatum non excludat. — Sed de intercessione Sanctorum haec sufficiant; jam de eorum cultu et invocatione agamus.

Articulus II.

DE CULTU ET INVOCATIONE SANCTORUM.

353. Cultus generatim consistit in agnitione et testificatione excellentiae, quam in aliquo agnoscimus. Haec notio si analysi subjicitur tria continet elementa, quorum primum est actus mentis, quo alterius praerogativa agnoscitur, dignaque obsequio judicatur; alterum continetur libero voluntatis actu, quo intellectus judicium comprobatur; tertium vero complectitur consonos actus externos, qui nutu voluntatis imperantur[2]. In ordine ontologico dignitas et praerogativae dantur imprimis *naturales*, e. g. dotes praeclarae animi et corporis, prosapia antiqua et nobilis, munera in gubernanda republica suscepta, hisque respondet cultus ille, qui *honor civilis* merito appellatur. Datur pariter in ordine ontologico excellentia et dignitas *supernaturalis*, qualis est praecipue ipsa infinita perfectio Dei, dein vero excellentia et dignitas supernaturalis creaturis participata, maxime sanctitas et gloriae dona, quibus Beati

Notio cultus.

[1] »Unus magister vester est Christus.« Matth. 23, 10.

[2] »Honor, ait s. Thomas, exhibetur alicui propter aliquam ejus excellentiam; et ita est signum et testimonium quoddam illius excellentiae, quae est in honorato.« S. th. p. 1. 2 q 2 a. 2.

Deo intime ut amici ejus conjunguntur. Huic igitur praestantiae in ordine supernaturali etiam respondet cultus distinctus a cultu seu honore civili, videlicet *cultus religiosus.*

Cultus supremus et inferior.

354. Citra manifestum porro errorem negari nequit discrimen inter praestantiam sanctitatemque increatam, originalem et infinitam, ac praestantiam sanctitatemque creatam derivatam et finitam. Unde etiam merito cultum religiosum distinguimus in cultum *supremum*, qui soli Deo infinito omniumque rerum Domino absoluto tribuitur, et in cultum *inferiorem*, qui exhibetur sanctis Dei amicis cum Christo in coelo regnantibus. Prior dicitur cultus *latriae;* est enim latria adoratio stricte dicta, quae soli Deo exhibetur, ut supremo rerum omnium Domino et fini nostro ultimo, ob increatam et infinitam ejus excellentiam. Cultus inferior, qui Sanctis exhibetur, nominatur cultus *duliae.* Dulia antiquitus quidem sumebatur pro servitute generatim accepta, nunc vero usu ecclesiastico sumitur pro obsequio illo ac veneratione, quam deferimus Sanctis ut Dei amicis et servis, ob excellentiam sanctitatis et gloriae coelestis. [1]) — Propter singularem praestantiam et singulares praerogativas prae caeteris Sanctis, Beatae Mariae Virgini convenit specialis cultus, qui nomine *hyperduliae* designatur. Profecto B. Virgo coli nequit cultu latriae, qui soli Deo praestandus est; at manifestum est, eamdem prae caeteris

---

[1]) Quamvis tum λατρευειν tum δουλευειν significet servire, tamen jam ab antiquis prima vox adhibebatur pro cultu qui Deo exhibetur, altera vero pro obsequio quod creaturis defertur. Sic s. Augustinus: Maxime illo loco satis claret, quod Spiritus sanctus non sit creatura, ubi jubemur non servire creaturae sed Creatori (Rom. 1, 25), non eo modo, quo jubemur per caritatem servire invicem (Galat. 5, 15), quod est graece δουλευειν, sed eo modo quo tantum Deo servitur, quod est graece λατρευειν. De Trinit. l. I. c. XIII (al. VI). — Porro notandum est relate ad usum Ecclesiasticum, quum latria et dulia pariter servitutem significent, vocem priorem adhiberi respectu *subjecti quod* servitutem et cultum supremum seu adorationem exhibet. In altera vero voce respici eos, *quibus* cultus exhibetur; hi nimirum sunt δουλοι seu servi Dei, ita ut dulia secundum hanc derivationem proprie significet cultum ac venerationem servis Dei (Sanctis) exhibita.

Beatis eximia ratione coli debere. Caeteri enim Sancti sunt Dei *servi boni atque fideles*, Beata Virgo, quamvis et vere et humiliter se ancillam Domini dixerit, est tamen etiam vere et proprie *mater Dei*. Dignitas haec supernaturalis et gloria eidem correspondens omnem aliam dignitatem atque praestantiam in ordine supernaturali gradu fere infinito excedunt, uti superius jam vidimus.[1]) Inde per se consequitur, sublimissimam hanc B. Virginis dignitatem et gloriam supernaturalem plane singularem, uti mentis judicio agnoscendam, ita et voluntatis comprobatione et actibus internis atque externis, qui singulari illi dignitati respondent, venerandam esse atque colendam. Distinctio igitur *duliae simplicis*, qua reliquos Sanctos, et *hyperduliae,* qua Matrem Dei colimus, veritati rerum omnino consona est.

Absolutus et relativus

355. Diximus, quum de adoratione Christi ageretur, discerni quoque cultum *absolutum* et *relativum.* Cultus *absolutus* est, si perfectio supernaturalis propter quam ens aliquod colitur ipsi est insita; *relativus* vero, si res quae colitur non habet sibi insitam ejusmodi praestantiam, sed venerationis objectum est unice propter respectum, quem dicit ad personam colendam ob insitam ipsi excellentiam. Praestantia et dignitas supernaturalis Sanctis, uti et Angelis, revera propria et insita est, quamvis eadem sit ipsis participata a Deo. Hinc cultus qui Sanctis exhibetur est cultus absolutus; cultus imaginum vero est ex natura sua relativus. Quodsi nonnunquam asseritur, cultum Sanctorum non absolutum sed relativum esse, id alia quadam verborum significatione adhibita dicitur. Solus Deus videlicet perfectionem habet infinitam, incommunicatam, et necessariam, quae ideo et *absoluta* dicitur. Omnes alii, qui sive in ordine naturae, sive in ordine gratiae praestantiam aliquam possident, non aliunde eam habent nisi dono Dei, atque eatenus eadem vera est perfectio, quatenus analogia quadam perfectionem divinam imitatur atque adumbrat.

---

[1]) Cfr. Parte 1. n° 155.

Est igitur ejusmodi excellentia *relativa.* Inde est, quod recte dici possit sub hoc respectu, solius Dei cultum esse absolutum, quatenus agnoscitur et colitur infinita ejus et incommunicata excellentia. Cultus vero Sanctorum appellari potest relativus, quatenus eos colimus propter dona eis a Deo collata ut servos et amicos Dei, adeoque cultus eorum in Deum ultimatim refertur. — Communius tamen aliud sumitur, quod superius indicavimus, distinctionis criterium, ita ut cultus Sanctorum merito absolutus dicatur.

Externus.

356. Internam venerationem qua Sanctos prosequimur, Ecclesia catholica multiplici ratione externo cultu exprimit, uti ipsa experientia omnibus notum est. In honorem Sanctorum festa instituuntur, eorumque memoria sacra hymnis, orationibus, processionibus, variis ritibus et caeremoniis agitur. Animadvertendum vero est, quum cultum latriae soli Deo convenientem, et cultum duliae ac hyperduliae distinxerimus, illud discrimen etiam in ritibus externis sollicite ab Ecclesia observari, ita ut differentia statuatur inter actus externos, quibus adorationem Deo, atque inter eos, quibus convenientem venerationem et honorem Sanctis deferimus. — Pendet tamen significatio rituum externorum magna parte ex arbitrio et positiva institutione. Unde mirandum non est, si forte in quibusdam regionibus ad colendos Sanctos, actus aliqui adhibentur, quibus in aliis soli Deo honor defertur; nec si homines simpliciores convenientem rituum distinctionem haud semper adhibent, offendi oportet. Nullatenus inde inferendum est, cultum Sanctorum superstitiosum esse. Vel inter homines christianos maxime rudes aegre ullum invenires, qui adorationem uni Deo debitam cum Sanctorum cultu confunderet. Unde jam s. Hieronymus contra absurdas Vigilantii calumnias exclamabat: *Quis, o insanum caput, martyres unquam adoravit, quis hominem putavit Deum?*[1])

Invocatio Sanctorum.

357. Ad cultum Sanctorum praecipue pertinet eorum invocatio, qua petimus ab ipsis, ut oratione sua et inter-

---

[1]) Adv. Virgil. c. 5.

cessione apud Deum ejus beneficia et gratias nobis obtineant. Hanc invocationem haud quidem absolute necessariam, sed bonam atque utilem esse, Ecclesia statuit loco jam citato Concilii Tridentini quo docet, *bonum atque utile esse suppliciter eos (sanctos) invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, qui solus redemptor noster ac salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere.*[1] Eamdem invocationem, uti ab Ecclesia proponitur, ab invocatione et supplicatione, quam ad Deum dirigimus, omnino differre, manifestum est. Deum invocamus, ut ab ipso peccatorum remissionem ac dona sua consequamur; Sanctos vero, ut ipsi intercedant apud Deum pro nobis, quo facilius illa beneficia obtineamus. *Est tamen notandum,* ait hac in re bene Bellarminus, *cum dicimus, non debere peti a Sanctis, nisi ut orent pro nobis, nos non agere de verbis, sed de sensu verborum. Nam quantum ad verba licet dicere: s. Petre miserere mei, salva me, aperi mihi aditum coeli: item, da mihi sanitatem corporis, da patientiam, fortitudinem etc., dummodo intelligamus, salva me et miserere mei orando pro me, da mihi hoc et illud tuis precibus et meritis. Sic enim loquitur Gregorius Nazianzenus oratione in Cyprianum et Basilium, et alii multi veterum, nec non Ecclesia universa.*[2] Nulla igitur objectio dogmatica ex talibus formulis orandi sumi potest; et si ab haereticis invocatio Sanctorum ob ejusmodi expressiones impetitur, quaestio quae inde agitanda est cum illis reducitur ad controversiam de aptitudine et opportunitate talium formularum. Sed liquet considerata Bellarmini animadversione, per se talibus verbis posse offendi neminem, nisi qui jam erroribus imbutus, undequaque corrogat, quid verae doctrinae objiciat.

Error Protestantium.

358. Protestantes admittunt quidem, Sanctos honorari posse honore quodam civili et grata memoria, uti hono-

---

[1]) Sess. XXV. decret. de invoc. Sanctorum.

[2]) De Sanctor. beatitud. c. 17.

rantur parentes defuncti. Sed quum Ecclesia catholica Sanctis ob insitam ipsis dignitatem et praestantiam in ordine supernaturali, cultum vindicat subliniorem, videlicet religiosum, hunc eis tribui posse haeretici illi negant. Conclamant, soli Deo convenire cultum religiosum, omnemque ejusmodi cultum creaturis praestitum esse indololatriam. Haec eorum assertio concidit ex iis quae statuimus de duplici cultu religioso, supremo videlicet seu latreutico, qui Deo tribuitur, et inferiori seu cultu duliae, quo honorantur Sancti ob eximiam dignitatem, gloriam et sanctitatem supernaturalem ipsis vere insitam et convenientem. — Sed hanc distinctionem haeretici illi intelligere nequeunt. Nam, uti jam vidimus, propter fundamentalem errorem de essentiali corruptione naturae humanae et justificatione mere extrinseca, non agnoscunt, Beatis in coelo propriam et insitam esse excellentiam et sanctitatem supernaturalem, propter quam cultu religioso digni sint. Et quia Sanctorum et Beatorum veram dignitatem et praestantiam non admittunt, etiam invocationem Sanctorum rejiciunt; imo multi nec eos pro nobis intercedere tenent. Fulciunt vero suos errores ea quoque animadversione, Sanctos haud cognoscere orationes nostras, quum nec omniscientia, nec omnipraesentia praediti sint, adeoque inepte eos a nobis invocari.

359. Doctrinam catholicam de cultu et invocatione Sanctorum modo jam ex fontibus fidei vindicemus.

Propositio.

Propositio. — *Pius atque laudabilis est cultus religiosus, qui Sanctis cum Christo in coelo regnantibus exhibetur*; *bonum pariter et utile est eos invocare, ut pro nobis apud Deum intercedant.*

Pars 1a.

Demonstratio 1ae partis. — In *sacris Litteris* invenimus exempla plura cultus religiosi, qui jam in terris ab hominibus piis viris quibusdam eximiae sanctitatis praestabatur. Nullatenus vero talia facta vituperantur, sed ita ab auctoribus sacris referuntur, ut eadem ab ipsis comprobari facile colligatur. Talia exempla praesertim in historia prophetarum Eliae et Elisaei occurrunt. Sic quoad prophetam Eliam legimus: *Cumque esset Abdias in via,*

S. Scriptura.

Elias occurrit ei: qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, et ait: Num tu es, Domine mi, Elias? [1]) Ejusmodi honor prophetae exhibitus non erat mere civilis; Abdias enim ipse dignitate civili praestabat, quum esset unus ex praecipuis proceribus regis Achab. Sed cultu religioso honorat Eliam propter eximiam sanctitatem ejus et supernaturalem dignitatem prophetae. — Pariter quum Elisaeus, translato Elia, hujus pallio percutiens aquas Jordanis, miraculo illas divisisset, *videntes filii prophetarum, qui erant in Jericho e contra, dixerunt: Requievit spiritus Eliae super Elisaeum. Et venientes in occursum ejus adoraverunt eum proni in terram.* [2]) Similem honorem ei exhibet Sunamitis, quum filium ejus a mortuis excitasset. *Corruit ad pedes ejus, et adoravit super terram: tulitque filium suum et egressa est.* [3]) Quum ejusmodi veneratio profunda referatur prophetae exhibita tunc, quando miraculis virtutem et praestantiam supernaturalem sibi propriam manifestavit, satis patet, hac veneratione non mere civilem, sed honorem religiosum intendi et contineri. Quodsi videmus ss. Paulum et Barnabam declinare cultum quo Lystrenses eos venerari volebant, id facile explicatur ex eo, quod illi credebant, numina sub specie virorum in eorum civitatem venisse, et cultu latreutico apostolos honorare volebant. [4]) Caeterum etiam modestiae christianae est, cultum religiosum hac in vita declinare.

360. Magnifica porro illa celebratio laudis *patrum ac*

---

[1]) 3 Reg. 18, 7.

[2]) 4 Reg. 2, 15. [3]) 4 Reg 4, 37.

[4]) »Turbae, quum vidissent quod fecerat Paulus, levaverunt vocem suam lycaonice dicentes: Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium, quia ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante civitatem, tauros et coronas ante januas afferens, cum populis volebat sacrificare. Quod ubi audierunt Apostoli Barnabas et Paulus, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas, clamantes et dicentes: Viri, quid haec facitis? et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum.« Act. 14, 10 et sqq.

seminis eorum, quam Ecclesiasticus inchoat verbis: *Laudemus viros gloriosos, et parentes in generatione sua*, quamque deinde multis evolvit[1]), talis est, ut non haberi possit tanquam mere profana commemoratio virtutum illorum virorum. Sed tum ex magnificentia locutionis, tum ex ratione donorum supernaturalium quae celebrantur, merito concludimus, veneratione religiosa justos antiqui Foederis ibidem celebrari. Propterea etiam Ecclesia eadem Sanctis novi Testamenti in Liturgia sua applicat. — Idem dicendum est de commendatione fidei et actuum patrum, quam sublimi sermone Apostolus in epistola ad Hebraeos capite undecimo prosequitur. — Quis vero neget, religiosa veneratione Beatam Virginem honoratam fuisse ab Elisabeth exclamante: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?... Et beata quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino.* Dum vero in cantico illo *Magnificat*, quod Spiritu Dei plena Beata Virgo pronuntiavit, ipsa dicit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*[2]), numquid etiam his non aliud continetur, nisi praedictio futurae memoriae clarae et celebris? Quis talem explicationem ferre potest? Manifeste hisce praedicit gloriosa Dei mater cultum illum religiosum, quem summa cum veneratione et gratitudine per succedentia sibi saecula universo in orbe terrarum omnes ei tribuerunt, qui in veritate Ecclesiae catholicae permanserunt.

361. Notare etiam convenit hoc loco, plura inveniri in sacris Litteris exempla cultus religiosi, qui angelis apparentibus exhibebatur. Sic legimus: *Aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.*[3]) Josuë pariter angelum apparentem sibi pronus veneratur. Dixit angelus: *Sum princeps exercitus Domini, et nunc venio. Cecidit Josuë pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum*[4])? Cultus hic angelis ex-

---

[1]) Eccli. c. 44 et sqq. [2]) Luc. 1. [3]) Num. 22, 31.
[4]) Josuë 5, 14. 15

hibitus certe religiosus est; honorabant enim viri illi eos ut Dei legatos ad se missos. Sacri vero Scriptores hanc venerationem angelis exhibitam nullo modo rejiciunt, sed referunt uti rem veluti per se plane convenientem. Argumento igitur analogico inde merito inferimus, etiam Sanctos, qui non minus quam Angeli jam cum Christo in coelis regnant, veneratione religiosa honorandos esse.

Traditio.

362. Si *Traditionem* Ecclesiae inspicimus, videmus semper cultum Sanctorum in Ecclesia viguisse. Id imprimis manifestum est ex *celebratione festorum* in Sanctorum honorem; usum videlicet in Ecclesia inde a primis saeculis fuisse, ut festa Beatae Mariae virginis, Apostolorum, Martyrum ac deinde etiam Confessorum celebrarentur, monumenta antiquissima et certissima testantur. Jam citavimus *Acta martyrii s. Ignatii*, in quibus comites Sancti ipsi dicunt, se notasse diem martyrii ejus, ut celebrari possit.[1]) — In *Epistola Ecclesiae Smyrnensis* de martyrio s. Polycarpi (a. 166) legimus: *Nos postea ossa illius gemmis pretiosissimis exquisitiora et super aurum probatiora tollentes, ubi decebat deposuimus. Quo etiam loci nobis ut fieri poterit congregatis, in exultatione et gaudio praebebit Dominus natalem martyrii ejus diem celebrare, tum in memoriam corum qui certamina pertulerunt, tuu in venturorum hominum exercitationem et alacritatem.*[2]) De Sanctorum festis etiam in *Constitutionibus Apostolicis*, quarum origo a criticis adscribitur saeculo tertio et quarto, sermo est lib. VIII. c. 23., ubi recensentur dies *quibus feriandum erat famulis. In diebus,* dicitur, *vacent Apostolorum, in die Stephani protomartyris ferientur, atque in diebus caeterorum sanctorum Martyrum.* — Eumdem Sanctorum cultum testantur *memoriae seu martyria*, oratoria videlicet et ecclesiae, quae inde ex antiquissimis temporibus super sepulchra martyrum aedificabantur, ut ibidem christiani convenirent ad mysteria fidei celebranda. Pluries talia commemorat Eusebius in sua historia ecclesiastica.

---

[1]) Cfr. nº 349. [2]) Cfr. Ruinart, Acta sincera Epist. cit. nº 18

Refert etiam ipse fragmentum ex libro, quem Caius presbyter Romanus saeculi III scripserat adversus Proclum, patronum sectae Cataphrygum. Haereticum hominem hic ita perstringit: *Ego vero Apostolorum trophaea possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere licet, occurrent tibi trophaea eorum, qui Ecclesiam hanc* (Romanam) *fundaverunt.*[1] Aptissime autem s. Augustinus advertit: *Nos martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias fabricamus.*[2] Videlicet intendimus quidem Sanctos honorare, dum in honorem eorum ecclesiae aedificantur, eaedem ex eorum nomine vocantur, patrociniumque ipsorum invocatur; sed ad solum Deum ultimatim omnia cultu latreutico referuntur. — In solemniis martyrum atque in honorem ipsorum porro *sacrificium missae* Deo offerebatur. Scribit e. g. s. Cyprianus de pluribus martyribus: *Sacrificia pro eis* (i. e. in eorum honorem) *semper, ut meministis offerimus, quoties martyrum passiones et dies anniversaria commemoratione celebramus.*[3] Canticis quoque et panegyricis, vigiliis, processionibus et varii generis solemnitatibus festa Sanctorum peragi consuevisse, antiquissima documenta Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum abunde ostendunt. — Ut paucis quae ex Traditione colliguntur oculis objiciamus, opportunum erit ea verbis Petavii ad haec capita redigere: *Sunt praecipua cultus illius et honoris (Sanctorum) approbandi capita et indicia ista: Primum, quod post illorum obitum veteris in-*

[1]) Cfr. Euseb. hist eccles. l. 2. c. 25. [2]) De civ Dei. l. 22. c. 10.

[3]) Epist. 34. — Quo vero pertineat haec sacrificii oblatio in honorem Sanctorum, paucis Catechismus Romanus exponit, dum statuit juxta Concilii Tridentini doctrinam, soli Deo sacrificium fieri. »Nam, inquit, etsi Ecclesia interdum missas in memoriam et honorem Sanctorum celebrare consuevit: non tamen illis sacrificium, sed uni Deo, qui Sanctos immortali gloria coronavit, offerri docuit Quare nec sacerdos unquam dicere solet: Offero tibi sacrificium Petre vel Paule, sed dum uni soli Deo immolat, gratias illi agit pro beatissimorum martyrum insigni victoria: eorumque patrocinium ita implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.« Parte 2. De Sacram. Euchar. n° 79.

stituto Ecclesiae, et a majoribus accepta et perpetua traditione, memoria est illorum insigni honore celebrata: necnon eorum sepulchris idem religiosae observantiae impensum est officium. Deinde, quod altaria supra eorum reliquias erecta, necnon basilicae sive templa magnifico sumptu et apparatu in eorumdem memoriam ac nomen Deo consecrata. Tertium, quod ad illos honorandos festi dies et conventus hilaritatesque ex antiquo Christianis populis institutae. Quartum, quod sacrificia Deo in eumdem oblata sunt finem, ut illis ipsis honor haberetur. Postremum denique, quod eorum ad sepulchra et utique interventoribus ac sequestribus iis, multa divinitus et ingentia miracula sunt facta. Haec partim omnia simul, partim eorum aliqua testificant veteres.[1] — Floruit igitur cultus Sanctorum primis saeculis, sicuti nunc in Ecclesia viget. Generalibus vero his argumentis singula Patrum testimonia addere minus necessarium videtur. Sufficiant s. Augustini verba, quibus antiquum usum atque doctrinam clare proponit. *Populus christianus,* scribit, *memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat... Colimus martyres eo cultu dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homines Dei. Sed illos tanto devotius, quanto securius post certamina superata: quanto etiam fidentiore laude praedicamus jam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc usque pugnantes. At illo cultu qui graece λατρεια dicitur, latine uno verbo dici non potest, quum sit quaedam proprie Divinitati debita servitus, nec colimus nec colendum docemus, nisi unum Deum.*[2]

Ratio theol. 363. Addamus argumentum ex *ratione theologica* petitum. Doctrina igitur de communione Sanctorum eo spectat, ut una sit credaturque Ecclesia militans ac triumphans, ita ut haec ab illa status quidem felicitate distincta, nullatenus tamen separata sit atque divisa. Unum igitur existit corpus ex utraque Ecclesia conflatum, atque adeo mu-

---

[1]) De Incarn. l. 14. c. 12. nº 1.

[2]) Contra Faustum Manichaeum l 20. c. 21.

tua existunt officia, quae sibi membra unius ejusdemque corporis prae singulorum dignitate atque statu impendere debent. Merito hic applicantur illa Apostoli: *Reddite omnibus debita: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*[1]) Sed mutuo collatis hinc dignitate ac praestantia supernaturali membrorum Ecclesiae triumphantis, inde dignitate et statu membrorum Ecclesiae militantis, pronum est intelligere, religiosum cultum ejusmodi esse officium, quod membris Ecclesiae militantis in membra Ecclesiae triumphantis egregie conveniat.

Pars 2da

364. Demonstratio 2ae partis. — Ex iis quae de cultu Sanctorum generatim spectato praemisimus, facile explicatur ratio, cur directa effata, quibus ad invocationem Sanctorum provocamur, in sacris Litteris non occurrant. Attamen non solum eadem invocatio cum Scriptura nullatenus pugnat, sed etiam varia indirecta argumenta eaque validissima inde promere possumus, quibus convenientia hujus invocationis probatur. Profecto exempla non pauca invenimus, quibus invocatio justorum in terra viventium non solum licita et honesta, sed etiam ut maxime utilis declaratur. Deus ipse vult, ut amici Job, quibus iratus erat propter inconsideratos eorum sermones, intercessione illius sancti viri eum placarent. Dixit ad Eliphaz Themanitem: *Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti in me rectum, sicut servus meus Job... Offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut servus meus Job.*[2]) Etiam rex Abimelech a Deo in somniis monetur, mittiturque ad Abrahamum patriarcham, ut ob orationem ejus Deus ipsi propitius sit. *Dixit ad eum Deus: Redde viro suo uxorem, quia propheta est: et orabit pro te et vives... Orante autem Abraham sanavit Deus Abimelech et uxorem ancillasque ejus.*[3]) — Jam superius

S. Scriptura.

---

[1]) Rom. 13, 7.
[2]) Job. 42, 7. 8. [3]) Gen. 20, 7. 17.

commemoravimus, s. Paulum se ipsum fidelium orationibus enixe commendare ad Romanos scribens: *Obsecro vos fratres per D. N. Jesum Christum, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.*[1]) Et ad Thessalonicenses: *Fratres,* inquit, *orate pro nobis.*[2]) Quodsi igitur licitum est atque utile, orationibus justorum viventium se commendare, et petere eorum intercessionem apud Deum, quanto magis convenit, ad Sanctos qui cum Christo in coelis triumphant confugere eosque invocare. Imo quum probatum jam fuerit, eos pro hominibus apud Deum intercedere, veluti per se sequitur, etiam merito eosdem invocari.

365. Invenimus praeterea in Scriptura etiam exempla invocationis Angelorum; imo et justorum mortuorum. In Apocalypsi Joannes septem ecclesiis Asiae his verbis bene precatur: *Gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.*[3]) Jacob vero patriarcha nepotibus suis Ephraim et Manassi benedicens, precabatur: *Angelus, qui me eruit de cunctis malis, benedicat pueris istis; et invocetur super eos nomen meum; nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac, ut crescant in multitudinem super terram.*[4]) Ad merita Patriarcharum provocare in moribus fuisse Israelitis, pariter videmus ex eo, quod Moyses, ut iram Domini leniat, ea ratione supplicat: *Recordare, Domine, Abraham, Isaac et Israël, servorum tuorum.*[5]) Atque tres juvenes in ignis fornacem injecti orant Dominum illis verbis: *Neque auferas misericordiam tuam a nobis, propter Abraham dilectum tuum, et Israël sanctum tuum.*[6]) Quoad hunc precandi rationem optime Bellarminus haec observat: *Notandum est, quia ante Christi adventum Sancti qui moriebantur non intrabant in coelum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant preces supplicantium, ideo non fuisse consuetum in veteri Testamento ut diceretur: Sanctus Abraham, ora pro me etc.: sed so-*

---

[1]) Rom 15, 3. [2]) 1 Thessal. 5, 25. [3]) Apocal. 1, 4
[4]) Gen. 48, 16. [5]) Exodi 32, 13. [6]) Daniël 3, 35.

lum orabant homines ejus temporis Deum, et allegabant merita Sanctorum qui jam obierant, ut illis ipsorum orationes juvarentur. [1]) Est vero haec species quaedam invocationis; generatim enim ad Sanctos confugimus, quia propter eorum merita intercessio eorum efficacissima est. Sed recte nunc, quum Sancti jam ad perfectam beatitudinem et immediatam pervenerint Dei intuitionem, adjungimus eam precandi rationem, ut directe ipsorum suffragia imploremus.

Traditio. 366. In *Traditione* et usu Ecclesiae haec doctrina de invocatione Sanctorum summa luce fulgere conspicitur. — Saeculo IV et V, qua maxime aetate Doctores et Scriptores ecclesiastici floruerunt, cujusque temporis plurima possidemus monumenta, hanc veritatem ab omnibus tam frequenter et clare praedicatam invenimus, ut plane superfluum videatur singillatim testimonia colligere. Profecto Episcopi et Doctores catholici, uti ss. Basilius, Gregorius, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, sive sermonibus quos in festis Sanctorum ad populum habuere, sive aliis scriptis, non minus ferventer atque frequenter de intercessione Sanctorum agunt, quam nostri temporis praedicatores et scriptores. Plurima praeterea referunt miracula, quae invocatis Sanctis praecipue ad sepulchra vel memorias eorum acciderunt. [2]) Poëtae vero christiani, uti Prudentius ac Sedulius, hymnis suis Martyrum et Sanctorum laudes canunt, eorumque suffragia petunt. — Tantummodo citemus unum alterumve effatum, ex quo pateat, non tantum ut universim, sed etiam ut pro determinatis regionibus et personis intercederent, Sanctos invocatos fuisse S. Basilius homilia 20ª in quadraginta martyres dicit: *Quantum laborares, ut vel unum reperires, qui pro te Dominum deprecaretur? Ecce quadraginta sunt, concordem effundentes orationem. Ubi ergo quadraginta sunt, quis de Dei assistentia dubitabit? Qui angustia aliqua premitur, ad quadraginta martyres confugiat; qui lae-*

---

[1]) De Sanctor. beatit. l. 1. c. 19.

[2]) Cfr. e. g. S. Augustinum *De Civitat. Dei* l. XXII. c. 8. 9. 10.

tatur, recurrat ad eosdem: ille quidem, ut a malis liberetur, hic vero ut res sibi secundae esse pergant. S. Gregorius Nyssenus his verbis invocat s. Theodorum M.: *Intercede ac deprecare pro patria apud communem Regem ac Dominum.*[1]) S. Hieronymus in Epitaphio Paulae, haec verba ad sanctam illam feminam dirigit: *Vale, o Paula, et cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva. Fides et opera tua Christo te sociant. Praesens, quod postulas facilius impetrabis.*

367. Invocatio igitur Sanctorum saeculo IV in tota Ecclesia in usu fuisse indubium est. *Quod vero,* ait s. Augustinus, *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*[2]) Profecto impossibile est, ut saeculo quarto universa Ecclesia a recta fide deflectens in superstitiones inciderit. — Protestantes ipsi non potuerunt negare, ea aetate jam doctrinam de invocatione Sanctorum in Ecclesia viguisse; sed impudenter contenderunt, eam illo tempore introductam fuisse per panegyricos aliquot Episcoporum sermones[3]); saeculis vero antecedentibus non viguisse.

Protestantium objectio.

36[illegible]. Facile vides, priorem assertionem vere absonam esse. Errorem universalem ea ratione in Ecclesiam indefectibilem induci, plane repugnat. Atque nullatenus pauci aliqui eloquentes Episcopi, sed omnes Patres et Scriptores

Diluitur.

---

[1]) Oratio de s. Theodoro M.

[2]) De baptismo c. Donat. l. 4. c. 24.

[3]) »Basilius, Naziancenus et Nyssenus primi fuerunt, qui invocationem Sanctorum ex privatis monachorum devotionibus, et vulgi persuasionibus in Ecclesiam invexerunt. Orationes panegyricas declamatoriis flosculis et rhetoricis apostrophis ita exornarunt, ut opinionem de comprecationibus et auxiliis Sanctorum tanquam publicum dogma in immensum exaggerarent, et ad compellationes eorum, quorum memoriam celebrabant, orationem converterent, atque ita figuram orationis ad formam invocationis declinarent.« Kemnitius, Examen Conc. Trid. p. 3. n° 30 et 40. Cfr. Scheffmacher, Lettres d'un théologien, lettre 4me sur l'invocation des Saints.

illius aetatis invocationem Sanctorum haud ut novum quid commendant, sed eam proponunt ut veritatem plane omnibus notam, et usu jam ubique a populo christiano practice expressam. Insuper recensent beneficia, quae modo saepe prodigioso fidelibus Sanctos invocantibus obvenerunt. — Altera assertio pariter iis quae diximus jam indirecte refutata est. Etenim secundum principium certissimum s. Augustini superius relatum, usus ille universalis invocationis Sanctorum non nisi ex Apostolica traditione originem habere potuit, adeoque inde a temporibus Apostolorum viguit.[1]) Certe ex primis saeculis persecutionum non multa possidemus scripta Patrum, illisque auctores plerumque talia argumenta tractant, ut non sit mirandum, quod de invocatione Sanctorum in iis non disserant. Posteriori vero tempore cultus christianus magna cum solemnitate fiebat, et gloria atque triumphus Sanctorum, persecutionibus jam finitis, summis laudibus celebrabantur; indeque factum est, ut tanta copia inde a saeculo IV documenta pro ea de qua agimus veritate suppetant.

369. Attamen nullatenus omnino desunt testimonia, quae directe probant, etiam prioribus illis saeculis eamdem fuisse fidei persuasionem de utilitate invocationis Sanctorum. Origenes e. g. scribit: *Obsecratio et postulatio et gratiarum actio non absurde potest et Sanctis offerri; harumque duae, postulatio inquam et gratiarum actio non Sanctis modo sed et hominibus, obsecratio vero Sanctis tantum, si quis Paulus aut Petrus inveniatur, ut adjuvent nos dignosque efficiant, qui fruamur concessa ipsis remittendorum peccatorum potestate. Quodsi hominibus sanctis illae preces*

---

[1]) Ex universali igitur usu cultus et invocationis Sanctorum, qualis saeculo IV° obtinebat, argumento peremptorio *praescriptionis* origo apostolica doctrinae probatur. Quam alieni fuerint ss. Patres a novitate admittenda colligimus ex illa regula disciplinae, quae in concilio Chalcedonensi statuitur: »Secundum regulas Patrum bis in anno in unum convenire per singulas provincias Episcopos, ubi singula quae emerserint corrigantur« Can. 19.

offerendae sunt, quanto magis Christo.[1] S. Justina virgo christiana, quum Cyprianus adhuc paganus ejus castitati insidiaretur, ad B. Virginem orationibus suis confugit, *Virginem Mariam supplex obsecrans, ut periclitanti virgini suppetias ferret.*[2] — Eusebius, qui initio saeculi quarti sua opera conscripsit, de cultu et invocatione martyrum loquitur ut de usu omnino communi. *Haec nos,* inquit, *quotidie factitamus, qui verae pietatis milites ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur.*[3] — His vero adjungamus *inscriptiones,* quae sepulchris martyrum detectis nostro tempore in catacumbis inveniuntur inscriptae. Legitur e. g.: *Sabbati dulcis anima, pete et roga pro fratres et sodales tuos. — Attice, spiritus tuus in bono; ora pro parentes tuos.* — Has inscriptiones sepulchris impositas esse a fidelibus vulgi christiani, ex eo patet, quod lingua latina rustica spretis grammaticae regulis conscriptae sunt. Ipsa vero earum pia simplicitas disertius quam quaevis rhetorum ornata eloquentia proclamat intimam fidei persuasionem christianorum, qui illa martyrum aetate vivebant.

370. Ut demonstrationem nostram compleamus, addimus, fidem de Sanctis invocandis ostendi quoque ex antiquissimis liturgiis, qualos sunt Hierosolymitana s. Jacobi, Romana s. Petri, Aethiopica s. Matthaeo adscripta, liturgia s. Basilii et s. Chrysostomi, ordo Romanus et sacramentarium s. Gregorii M. — S. Cyrillus Hierosol. in catechesi mystagogica V[a], liturgiam explanans ait: *Postea recordamur eorum, qui obdormierunt, sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus eorum precibus et legationibus orationem nostram suscipiat.* — Ante Concilium vero Tridentinum jam plura alia Concilia invocationem Sanctorum sanciverant. In Synodo

Liturgiae.

---

[1]) Lib. de oratione n° 14. [2]) Gregor Nazianz. orat. 18.
[3]) Praepar. Evang. l. 13. c. 7.

Chalcedonensi actione 11ª de s. Flaviano dicitur: *Flavianus post mortem vivit: Martyr pro nobis oret.* Patres Concilii Nicaeni II in decretis suis statuunt: *Salutamus autem et dominicas et apostolicas voces, per quas didicimus Sanctorum expetere intercessionem, quippe qui valent nos familiares reddere Regi omnium Deo, custodientes videlicet mandata ejus in virtutibus vivere procurantes.* Ideo anathema dicunt illis, *qui Sanctorum non postulant orationes, tanquam fiduciam habentium pro mundo intercedere secundum ecclesiasticam traditionem.* Concilium igitur Tridentinum contra protestantes eam fidem vindicavit, quam Ecclesia jam antea solemni professione expresserat.

Ratio theologica.

371. *Rationem theologicam* ex qua intelligitur, quomodo cum toto ordine divinae providentiae intercessio et invocatio Sanctorum praeclare congruat, Angelicus Doctor ita exponit: *Iste ordo est divinitus institutus in rebus secundum Dionysium (cap. 5 eccles. Hierarch.), ut per media ultima reducantur in Deum. Unde cum Sancti, qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi, hoc divinae legis ordo requirit, ut nos qui manentes in corpore peregrinamur a Domino, in eum per Sanctos medios reducamur: quod quidem contingit, dum per eos divina bonitas in nos suum effectum infundit. Et quia reditus noster ad Deum respondere debet processui bonitatum ipsius in nos, sicut mediantibus Sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia ejus sumamus mediantibus Sanctis. Et inde est, quod eos intercessores pro nobis constituimus et quasi mediatores, dum ab eis petimus; quod pro nobis orent*[1]. Intercessio igitur et invocatio Sanctorum ea nititur generali divinae sapientiae dispositione, quod in rebus gubernandis et disponendis utitur Deus causis intermediis. Id quidem in ea de qua agimus re non eo usque urgendum est, ut inde deducatur, Deum non immediate invocandum esse; nemo enim est qui ignorat, nulla re id prohiberi, imo etiam op-

---

[1]) Supplem. q. 72. a. 2.

timum esse et usu quotidiano in sancta Dei Ecclesia fieri. Sed ex illo principio intelligitur, plane congruum quoque esse, Dei beneficia per intercessionem Sanctorum, qui Dei amici sunt, petere.

Quomodo petitiones cognoscant.

372. Restat, ut aliqua dicamus de quaestione, *qua ratione Sancti orationes nostras et petitiones cognoscant.* Hac igitur in re illud maxime notandum est, non esse necessarium, ut accurate cognoscamus modum, quo Sancti necessitates nostras et invocationem norunt, sed sufficere nobis plenam certitudinem habere de hac illorum notitia. Jam vero a Sanctis res humanas atque invocationes nostras cognosci, imprimis indirecte sed peremptorie constat ex omnibus iis quibus ex fidei fontibus demonstravimus, eos pro nobis intercedere et invocandos esse. Profecto si certum est, Sanctos intercedere pro nobis etiam in peculiaribus necessitatibus et invocandos esse, eo ipso indubium est, rerum et petitionum nostrarum notitiam ab iis haberi. Dein plura testimonia etiam directe probant, angelis nota esse ea quae in terris fiunt. Angelus enim Raphaël Deo offert orationes Tobiae et Sarae, et Christus nos docet, angelis gaudium esse de peccatore se convertente. Analogiae argumento inde infertur, talem cognitionem haberi quoque a Sanctis, qui similes sunt angelis Dei. Sed et ipsa facta probant, orationes nostras a Sanctis cognosci; ex documentis enim certissimis historiae ecclesiasticae constat, haud raro invocatis Sanctis beneficia Dei modo prodigioso obtenta fuisse, imo evidentibus apparitionibus vel signis, suam protectionem Sanctos ad quos invocatio dirigebatur demonstrasse.[1]) — Singularis sane foret

[1]) Vel ipse Lutherus duobus annis post defectionem suam adhuc scribebat: »Quoad intercessionem Sanctorum assero et cum universa christianitate teneo, eos debere coli et invocari; quis enim inficiabitur, adhuc nostris diebus apud corpora et sepulchra Sanctorum Deum per nomina Sanctorum suorum manifeste miracula operari.« Opusculo: Contra aliquos invidos. (Gegen einige seiner Abgönner.)

ille status aeternae felicitatis Sanctorum, quo res concivium suorum in terris militantium nec cognoscerent, nec curarent.

373. Quo determinato modo Sancti preces nostras cognoscant, tam certe definire non possumus, sive id fiat Dei revelatione, sive per species a Deo ipsis infusas, sive per visionem beatificam, sive per ministerium angelorum, sive etiam alio modo. Sane Deo non desunt viae, quibus quaecumque vult Sanctis suis reddat manifesta. Per ministerium tantum angelorum illis hominum petitiones communicari, minus congrue forte diceretur; Sanctis enim in gloria sua per se adscribenda videtur haec praerogativa, ut res humanas cognoscant. — Communis doctrina hac in re ea est, Sanctos uti et Angelos, quum visione beatifica fruantur, in Verbo seu in essentia divina omnia videre, quae ad ipsorum honorem et beatitudinem referuntur, ac propterea etiam in Deo ut in speculo cognoscere petitiones et necessitates eorum, a quibus invocantur. *Divina essentia,* ait Angelicus Doctor, *est sufficiens medium cognoscendi omnia*; *quod patet ex hoc, quod Deus videndo suam essentiam omnia intuetur... Cum animae Sanctorum divinam essentiam non comprehendant, non est consequens, ut omnia cognoscant, quae per essentiam cognosci divinam possunt. Sed unusquisque beatus, tantum de aliis rebus necessarium est, ut in essentia divina videat, quantum perfectio suae beatitudinis requirit. Hoc enim ad perfectionem beatitudinis requiritur, ut homo habeat quidquid velit, nec aliquid inordinate velit. Hoc autem recta voluntate quilibet vult, ut ea quae ad ipsum pertinent cognoscat. Unde quum nulla rectitudo sanctis desit, volunt cognoscere ea quae ad ipsos pertinent; et ideo oportet quod illa in Verbo cognoscant. Hoc autem ad eorum gloriam pertinet, quod auxilium indigentibus praestent ad salutem; sic enim Dei cooperatores efficiuntur, quo nihil est divinius, ut ait Dionysius (Coelest. hier. c. 3). Unde patet, quod Sancti habent cognitionem eorum quae ad hoc requiruntur. Et sic manifestum est, quod in Verbo cognoscunt vota et devotiones et orationes*

hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt.[1] Eamdem hanc doctrinam apud s. Gregorium M. invenimus. De animabus sanctis videlicet scribit: *Qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid quod ignorent*[2]. Et: *Quid est,* inquit, *quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt?*[3] *Qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creaturis agitur quod videre non possint.*[4] — Notandum tamen est, statui glorioso Sancto-

---

[1]) Supplem. p. 72. a. 1.

[2]) Moral. l. 12. c. 14.

[3]) Dialog. l. 4. c. 33. Cfr. his Tractatum De Novissimis n. 148 sqq.

[4]) In Luc. c. 16 — Spectato statu gloriae Sanctorum etiam mirandum nullatenus est, quod plurima in Deo simul cognoscere iisque intenti esse possunt. Qua de re Leibnitius, dum in suo *Systemate theologico* cultum Sanctorum vindicat, bene scribit: »Nemo mirari debet, angelum fortasse aliquem aut beatam animam simul Asiae et Europae res intueri, et cum magnam molem complectatur, penetrare tamen et in minutas partes. Cogitemus ducem exercitus in eminenti loco positum lustrare copias aciemve disponere, quam multa ille eodem tempore intuetur! Quodsi cogitetur in tantum auctam esse mentis gloriosae perspicaciam, in quantum orbis noster campo spatiosior est, jam cessabit admiratio. Si telescopiis atque microscopiis plus quam millies extenditur visus, an dubitabimus, multo plus Deum beatis tribuere, quam Galilaeum et Drebelium nobis?... Mentis vim intendit Deus, quae nullos fines habet determinatos atque immobiles. Videmus tribunum aliquem vel saltem centurionem milites suos productos atque dispositos ita sub conspectu habere posse, ut nullus eorum motus ipsum fugiat. Et qui latrunculis ludit, quam multis uno obtutu animum adhibet? Quia igitur mens pluribus simul distincte considerandis sufficit, nihil prohibet, quin multis millenis modis augeatur numerus objectorum, salva distincta cognitione. Et varietatum notatu dignarum, quae in toto genere humano contingunt, ad variationes illas quae latrunculis recte ludenti simul expendendae sunt, multo minor fortasse proportio est, quam mentis gloriosae ad nostram. Cum videamus etiam in terris, quantum in magna diversitate rerum simul intuenda inter rudem et exercitatum intersit, et pro miraculo sit, quod tamen verum experimur, esse qui maximos calculos sola mente ita conficiunt, ut de scripto recitare videantur, et innumeras phantasiae imagines ita in conspectu habent, ut momento illam seligere possint quae postulatur.« Systema theologicum nº XXXVI.

rum optime convenire, ut praesentiam quoque suam Sancti hominibus se invocantibus certisque locis interdum saltem exhibeant. Revera autem hoc contingere, signa prodigiosa et apparitiones satis demonstrant. Sed de his quaestionibus subtilioribus ea quae diximus sufficiant.

Objectiones solvuntur. 374. Quaenam sint fundamenta erroris protestantium de cultu et invocatione Sanctorum, superius exposuimus, simulque etiam explicatione doctrinae catholicae eorum objectiones praeoccupavimus. Hinc omnes Scripturarum textus quos conquisiverunt, ut fulcirent suas opiniones, non singillatim expendemus; revera in se ista testimonia magnam obscuritatem et difficultatem non involvunt, sed protestantes eos exponunt secundum suos errores, hisque, uti solet, sensum Scripturae quomodocumque accommodant. — Sufficiat hic pauca addere Qua ratione intercessio, cultus et invocatio Sanctorum non pugnet cum Scripturae doctrina, qua Christo munus mediationis adscribitur, jam vidimus. Afferuntur dein aliqua testimonia, quibus Deo uni supremus cultus latreuticus vindicatur, uti illud: *Dominum tuum adorabis, et illi soli servies*[1]; et: *Soli Deo honor et gloria.*[2] Sed non est, cur fusius probemus, talibus verbis non excludi cultum inferiorem duliae, qua Sanctos veneramur. — Objiciunt verba s. Pauli, qui ad Colossenses scribit: *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum, quae non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae.*[3] His verbis igitur cultum angelorum ab Apostolo omnino prohiberi contendunt. At plurimi quidem ss. Patres ac Doctores textum illum s. Pauli vario modo interpretati sunt, nemini tamen in mentem venit, eodem venerationem eam et cultum quem Ecclesia angelis defert ab Apostolo reprobari. Apostolus reprobat tantum cultum superstitiosum, quem juxta somnia Gnosticorum de aeonibus et geniis quidam introducere studebant. Communis ea est textus expositio, quam tradit Estius in hunc locum. *Dicendum videtur, Apostolum hic agere contra quosdam,*

---

1) Matth. 4, 10. 2) 1 Tim. 1, 17. 3) Coloss 2, 18.

qui ex ethnica philosophia, quae de geniis daemonibus ac minoribus diis inaniter multa contemplabatur, cultum eorum introducere conati fuerint sub nomine angelorum, docentes, nos mediantibus angelis purgari oportere. Nam et hoc quidam Platonici docuerunt. Id vero erat Christi officium ad angelos transferre, non ea ratione, quod Christum dicerent majorem, quam qui se huc dimitteret, sed quod angelos propter excellentem eorum naturam etiam supra Christum honorarent. Igitur horum affectata et perversa humilitas in eo erat, quod cultu quodam religionis submitterent se iis, quibus et quomodo non deberent, scilicet angelis. Nam religio proprie accipitur, qua nimirum alicui naturae tanquam divinae cultus et ceremonia affertur. [1])

375. Opponunt protestantes doctrinae catholicae etiam illud quod legimus in Apocalypsi, videlicet angelum Joanni Apostolo loquentem prohibuisse, ut ipsum pronus in terram coleret, et Deo talem cultum vindicasse. *Et cecidi*, scribit s. Joannes, *ante pedes ejus* (angeli); *ut adorarem eum. Et dixit mihi: vide ne feceris: conservus tuus sum et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiae* [2]). Existimant aliqui, angelum eo splendore apparuisse, ut pro Deo potuerit sumi et cultu latriae adorari, talemque adorationem ab ipso esse cohibitam. Minus convenientem tamen ejusmodi explicationem existimamus. Profunda veneratio, quam pronus in terram s. Joannes angelo exhibere voluit, non erat adoratio latreutica, eamdemque non ut in se malam cohiberi, vel ex eo patet, quod s. Joannes etiam post angeli verba hunc honorem ei exhibet (c. 22, 9), quamvis iterum angelus eum declinet. Praeterea etiam apostolus satis declarat, se cognovisse ut angelum illum, qui ei apparebat. Existimamus igitur, angelum sanctum prae insita sibi virtute modeste atque benigne declinasse illum honorem ipsi ab apostolo praestitam. Id facere potuit tum ob naturae humanae a

---

[1]) Cfr. etiam cl. Beelen in h. l. [2]) Apoc. 19, 10. Cfr. Ibid. 22, 9.

Filio Dei assumptae et exaltatae reverentiam[1]), tum maxime ad contestandam observantiam suam erga tantum virum natura quidem minorem, dignitate tamen Apostolatus, sanctitate et gloria martyrii maximum. Atque animadvertendum est, praecipue eo tempore s. Joannem per revelationem mysteriorum summo Dei favore cumulatum fuisse, ac munere legati divini functum; adeoque angelus cui officium erat, ut mysteria ei aperiret hominibus communicanda, aptissime declinat honorem sibi praestandum, seque dicit *conservum* ipsius apostoli. Nulla igitur solida difficultas ex his contra cultum Angelorum atque Sanctorum desumi potest. — Invenerunt protestantes etiam quosdam textus, ex quibus probant, Sanctis ignota esse ea, quae in terris aguntur. Multum urgent illa verba apud Isaiam: *Abraham nescivit nos, et Israël ignoravit nos*[2]), inde deducentes, mortuos justos et sanctos ignorare, quae apud vivos geruntur. Si quae esset in his verbis difficultas, hanc vel ea possemus declinare observatione, in hoc textu agi de justis mortuis antiqui Testamenti, qui forte in limbo ea ignorabant, quae in terris agebantur, nisi peculiari dispositione divina eorum notitiam obtinerent. Sed quinam sit verus illius effati sensus, ex ipso contextu satis apparet. Propheta videlicet recensens magnifica Dei beneficia Israelitis collata a Deo, qui mirabili ratione populum suum gubernaverat, invocat divinam misericordiam super popu-

---

[1]) »Loth et Josuë, ait s. Gregorius M., angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur: Joannes vero in Apocalypsi sua adorare angelum voluit, sed tamen idem hunc angelus ne se debeat adorare compescuit, dicens: Vide ne feceris, conversus enim tuus sum et fratrum tuorum. Quid est, quod ante Redemptoris adventum angeli ab hominibus adorantur et tacent, postmodum vero adorari refugiunt: nisi quod naturam nostram, quam prius despexerant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, substratam sibi videre pertimescunt? Nec jam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se videlicet in coeli Rege venerantur. Nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum.« Homil. III. in Evangelia.

[2]) Isa. 63. 16.

lum hunc exclamans: *Tu enim pater noster, et Abraham nescivit nos, et Israël ignoravit nos: tu Domine, pater noster, redemptor noster a saeculo nomen tuum.* A te uno, inquit, Domine, pater noster, exspectandum nobis est auxilium; Abraham et Israël propter peccata nostra aversi sunt a nobis, nec agnoscunt nos ut filios, nec juvabunt nos, sed tu misericors Deus pater noster et redemptor es. Negatur itaque in textu, uti jam advertit s. Hieronymus, *agnitio approbativa illorum patriarcharum*; nullatenus vero edicitur, justos mortuos nihil cognoscere eorum quae in terris geruntur. [1])

376. Quoad Traditionem jam vidimus, quid respondendum sit protestantibus, quum contendunt, cultum et invocationem Sanctorum introductam fuisse a quibusdam saeculi V Episcopis, prioribus vero saeculis haud fuisse in usu. — Peculiaria autem quaedam Patrum effata ab illis objecta eo spectant, ut uni Deo supremus cultus latriae vindicetur, ac superstitiosus omnis vel Angelorum, vel Sanctorum cultus rejiciatur. Huc pertinet v. g. illud Origenis effatum: *Quippe solus est orandus supremus Deus: sed et Unigenitus ejus orandus, ac primogenitus omnis creaturae, hoc est Verbum Dei [2]).* His verbis videlicet Origenes preces angelis offerendas negat, quae uni Deo conveniunt, vel quae ad ipsos ut minores quosdam deos dirigantur. Sed certum quemdam iis exhiberi cultum, et certas ad eos effundi precationes permittit naturae creatae eorum convenientes, et diversi generis ab iis quibus Deo per Filium suum supplicetur. Id enim aliis locis manifeste ipse docet. — Contra superstitiosum angelorum cultum dirigitur etiam

---

[1]) Eodem fere redit explicatio aliorum, qui illis verbis eum sensum subesse statuunt, Deum multo potiore jure patrem Hebraeorum dici, quam Abrahamum aut Jacobum. Hi igitur nescire et ignorare populum Israëliticum dicuntur *relative*, et *comparate* ad sollicitudinem singularem, qua Deus curam ipsius habet. Sic exponunt vel ipsi protestantes Clericus, Grotius, Vitringa et alii.

[2]) C. Celsum l. VIII.

Synodi Laodicenae canon quidam, qui saepe a protestantibus affertur, videlicet canon XXXV quo synodus illa prohibet: *Christianos relicta Dei Ecclesia abire et angelos nominare vel congregationes facere; si quis ergo inventus fuerit huic occultae idololatriae vacare, anathema sit.* Jam ex ipsis verbis satis apparet, agi de quibusdam sectariis, qui in coetibus clandestinis superstitioso cultu angelos venerabantur. Novimus autem ex ipsa historia, in illis regionibus ejusmodi sectam viguisse, quae secundum principia Platonica Deum inaccessibilem esse statuebat, et genios seu angelos habebat ut mediatores inter hominem et numen divinum. De iis Theodoretus explanans verba Apostoli ad Colossenses: *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum,*[1]) ita scribit: *Et in hodiernum usque diem licet videre apud illos et eorum finitimos oratoria s. Michaëlis. Illi ergo hoc consulebant, humilitate scilicet quadam dicentes, universorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri, et oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.* Caeterum ab illa synodo haud proscribi cultum Sanctorum, patet ex canone LI, quo determinatur tempus ad celebranda festa Sanctorum his verbis: *Quod non oportet in Quadragesima Martyrum natales peragere, sed sanctorum Martyrum facere commemorationes in sabbatis et dominicis.* Eadem vero est ratio cultus Angelorum atque Sanctorum.

377. Trita postremo est illa objectio haereticorum, inutilem esse Sanctorum invocationem. Deus enim, inquiunt, magis nos diligit, quam omnes Sancti, et paratissimus est ex natura sua ad preces nostras exaudiendas. Facilis est responsio. Quamvis Deus tantopere nos amet, tamen ei intimius conjuncti sunt, ut amici, Sancti, qui cum Christo in coelis regnant, et sicuti vidimus, cum toto ordine providentiae divinae optime cohaeret, ut iis intercedentibus nobis dona sua elargiatur. Nos igitur tepiditatis nostrae conscii et memores peccatorum nostrorum Sanctos

---

[1]) Coloss 2, 19.

rogamus, ut officia sua pro nobis apud Deum interponant, ac nobis beneficia divina intercessione sua impetrent. Certe Deus etiam plus amabat amicos Job, quam vir ille sanctus eos diligere posset, et tamen volebat Deus, ut per intercessionem ejus amicis placaretur. Vides igitur, quam inanis sit illa objectio.

Articulus III.

DE CULTU SACRARUM RELIQUIARUN.

Doctrina catholica.

378. Nomine reliquiarum intelliguntur tum sensu strictiore defunctorum Sanctorum corpora, eorumque partes, membra, ossa ac cineres, tum sensu latiore objecta, quae Sanctis dum vivebant, propria erant, eorumque usu atque contactu sacrata sunt, uti e. g. vestimenta et instrumenta martyrii vel mortificationis, vincula et catenae, flagella atque cilicia. Ecclesia catholica semper docuit, Sanctorum reliquias esse venerandas, et praxi inde ab initio easdem sancte coluit. Accurate dogma ipsum a Concilio Tridentino proponitur illis verbis decreti *de Cultu Sanctorum* quo Patres doceri jubent fideles: *Sanctorum quoque martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus sancti ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse; per quae multa beneficia hominibus praestantur, ita ut affirmantes, sanctorum reliquiis venerationem et honorem non deberi, vel eas aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari atque eorum opis impetrandae causa Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prouti jam pridem eos damnavit et nunc iterum damnat Ecclesia.*[1])

Ratio cultus.

379. In hoc decreto etiam paucis verbis apprime indicatur ratio, cur Sanctorum corpora sint veneranda; videlicet, tum quia viva membra fuerunt Christi et templa

---

[1]) Sess. XXV.

Spiritus sancti, tum quia a Christo ad aeternam vitam sunt suscitanda et glorificanda. Praestantia videlicet et dignitas supernaturalis, qua Beati viventes excelluerunt, non soli animae eorum propria erat, cui immediate eadem inhaerebat, sed etiam corpus afficiebat, quod in unitatem substantiae atque naturae animae junctum est. Idem pariter numero et individuo corpus, quod nunc separatum est ab anima, aliquando iterum ei unitur, resuscitatur et glorificatur. Hic igitur respectus corporis et partium ejus ad Sanctos, qui jam gloria aeterna fruuntur, ratio est cultus talium reliquiarum. In aliis reliquiis, quae Sanctorum viventium partes non fuere, sed ad ipsos aliquas relationes superius commemoratas habuerunt, istae relationes pariter rationem constituunt, cur ea objecta sacra veneratione honoremus. Vides proinde, cultum reliquiarum esse *relativum*.[1])

Errores.

380. Ut jam de haereticis loquamur, qui reliquiarum cultum damnarunt, commemorandi breviter sunt Manichaei, Gnostici et Arianorum quidam duces, ut Eudoxius et Eunomius, qui sicuti Sanctorum cultum, ita et reliquiarum venerationem rejecerunt. Famosus vero hac in re est Vigilantius, non quidem quod ejus inepti errores multos in-

---

[1]) Quaeri potest, utrum corporibus sacris Sanctorum forte insit etiam nunc supernaturalis excellentia intrinseca, i. e. qualitas physica intrinseca supernaturalis, propter quam veneranda sunt. Id ex eo suaderi videtur, quod aliquando sanctificata fuerunt ut viva templa Spiritus sancti, quodque sint eadem individuo et numero corpora quae glorificabuntur. — Etiam nunc igitur eis inest haec ordinatio ad glorificationem. Quamvis aliqui in hanc opinionem aliquantipser declinare videantur, (cfr. Oswald, Eschatologia, de cultu s. Reliquiarum n° 4), id tamen haud videtur affirmandum esse. »Habitus, ait Lugo, de Incarn. disp. XIV., vel qualitates supernaturales, si quae dantur in corpore hominis grati, pereunt in morte, quia illae omnes sunt passiones consequentes ex gratia habituali, nec possunt ab illa separari, manet autem in gratia totus titulus ad illas recuperandas in resurrectione corporis, cum maneat (in anima) gratia habitualis, quae est unica radix et titulus dans jus ad illas.« Ordinatio itaque corporis ad glorificationem non consistit in qualitate physica et intrinseca, sed in jure extrinseco et morali, proveniente ex praeterita unione cum anima beata.

venerint sectatores, sed quia refutatus fuit a summo viro s. Hieronymo, cujus egregium opusculum contra Vigilantium, splendidissimum est antiquae doctrinae et praxis quoad rem de qua agimus monumentum. Docebat igitur Vigilantius, venerandas non esse Sanctorum reliquias, earumdemque cultores *cinerarios* appellabat. Signa apud sacras reliquias fieri solita asserebat esse praestigia, basilicas Martyrum declinandas, Catholicos vero qui ibi orarent quasi immundos evitandos esse. — Sequentibus saeculis suae impietatis imitatores habuit in Oriente Constantinum Copronymum aliosque Iconoclastas, in Occidente saeculo IX Claudium Taurinensem ac dein Albigenses ac protestantes. Lutherus in Sermone de Cruce dicit: *Quoniam reliquiae Sanctorum nihil aliud sunt, quam fidelium seductiones, ne deinceps populi deos alienos colant, placere sibi, ut omnes hujusmodi reliquiae altissime sub terra abscondantur.* Similia et alii novatores statuerunt; nec defuere, qui sacras reliquias destruxerunt vel foedissime profanarunt. Facile patet, protestantes quum supernaturalem dignitatem et praestantiam justis et Sanctis inhaerentem non agnoscant, sicut cultum Sanctorum, ita et reliquiarum venerationem rejecisse.

Cultus reliquiarum est relativus.

381. Cultus qui a Catholicis reliquiis praestatur est, uti diximus, cultus relativus, qui etiam imperfectior est, quam cultus ipsis Sanctis praestitus; sed analogice et reductive pertinet ad speciem ejus cultus, qui Sanctis debetur. Talis cultus igitur proprie nec hyperdulia est nec dulia, quae soli naturae intelligenti tribuuntur, sed cultus inferior, qui dici potest pro varietate reliquiarum cultus *duliae vel hyperduliae secundum quid.*[1]) Exhibetur autem reliquiis veneratio variis actibus; eo videlicet quod sollicite quaeruntur et cum honore servantur; quod in ecclesiis honorifice collocantur; quod Sanctos ad earum reliquiarum conspectum pro magistris ac protectoribus habere profite-

---

[1]) Cfr. Bellarmin. De Imaginibus Sanctorum c. 25. — Accuratius inferius, quum de imaginibus tractabitur, etiam hac de re agemus.

mur; quod reliquias osculis, contactu, luminaribus, thure, peregrinatione, solemnitate festorum, pro more et usu Ecclesiarum probato honoramus. Hunc igitur cultum ab Ecclesia probatum licitum esse ac pium, contra novatorum errores demonstrandum est.

Propositio.

382. Propositio. — *Reliquiis Sanctorum merito ac licite religiosus cultus impenditur.*

s. Scriptura.

Demonstratio. — Ex *sacra Scriptura* quidem testimonia quibus directe cultus reliquiarum vindicatur non afferemus; modo autem indirecto ex eadem haurire possumus validam demonstrationem, qua congruentia et pietas cultus illius probatur. Atque imprimis ipse Salvator sanatione remunerat fiduciam mulieris illius aegrotantis, quae sacra cum veneratione fimbriam vestimenti ejus tetigit. *Ecce mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. At Jesus conversus et videns eam dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora.*[1] — In Actibus vero Apostolorum legimus, primos christianos Hierosolymis in plateas ejecisse infirmos ac posuisse in lectulis et grabatis, *ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum et liberarentur ab infirmitatibus suis.*[2] Simili ratione dicitur de s. Paulo: *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.*[3] Argumento *analogico* ex his merito infertur, pium et licitum esse cultum reliquiarum. In fiducia enim illa, qua tum Christi vestimentum tangi, tum ea quae ad Apostolos pertinebant adhiberi conspicimus ad depellendos morbos, certe veneratio et cultus religiosus illorum objectorum includitur. Deus autem hanc venerationem ipsis miraculis comprobat. Unde etiam objecta quae pertinebant ad Sanctos jam in coelo triumphantes,

---

[1]) Matth. 9, 20. 21. [2]) Act. 5, 15. [3]) Act. 19, 11. 12.

vel multo magis corpora Sanctorum, cultu religioso venerari, omnino pium est ac Deo placitum.

383. In antiquo Foedere exemplum nobis exhibetur devotionis et fiduciae, quam Eliseus habuit in pallium, quo usus fuerat Elias. *Pallio Eliae percussit aquas, et divisae sunt huc atque illuc.*[1] — Sed miraculum etiam insigne videmus a Deo patrari ad contactum ossium Elisei prophetae, quae profecto sensu proprio reliquiae erant. Legimus videlicet: *Quidam sepelientes hominem viderunt latrunculos, et projecerunt cadaver in sepulchro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo et stetit super pedes suos.*[2] Perspicuum plane est, tam insigni miraculo corpus prophetae defuncti honoratum fuisse a Deo ipso. Unde et Ecclesiasticus Eliseum celebrat illis verbis: *Mortuum prophetavit corpus ejus. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est.*[3] Quod si igitur ipse Deus reliquias illius sancti viri tanto honore affecit, quis neget, pie ac licite a Christianis reliquias coli Sanctorum? — Caeterum et Hebraeos peculiarem reverentiam habuisse mortuorum justorum et sepulchrorum, quibus ossa eorum continebantur, plura facta ostendunt. Moyses populum Israël educens ex Aegypto secum fert ossa Joseph in terram promissam, quemadmodum patriarcha ille postulaverat moriturus.[4] Josias quum destrueret in Bethel altare idolorum, atque super illud ut profanaretur concremaret ossa mortuorum, sollicite conservari jubet sepulchra duorum prophetarum, qui jam a pluribus saeculis obierant.[5] Etiam

---

[1]) 4 Reg. 2, 2, 14. [2]) Ibid. 13, 21. [3]) Eccli. 48, 14. 15.

[4]) »Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum: eo quod adjurasset filios Israël dicens: Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum.« Exod. 13, 19.

[5]) »Conversus Josias vidit ibi sepulchra quae erant in monte: misitque et tullit ossa de sepulchris, et combussit ea super altare, et polluit illud juxta verbum Domini, quod locutus est vir Dei qui praedixerat verba haec. Et ait: Quis est titulus ille, quem video? Responderuntque ei cives urbis illius: Sepulchrum est hominis Dei, qui venit de Juda et praedixit verba haec quae fecisti super altare Be-

pharisaei aedificare solebant sepulchra prophetarum, et ornare monumenta justorum[1]); id proinde pium ac Deo placitum esse censebant. Dum vero Christus Dominus hoc illis exprobat, manifeste non opus ejusmodi in se reprehendit, sed hypocrisim illorum hominum, qui non minus perversi erant, quam patres eorum qui prophetas occiderant. Formali tamen cultu corpora justorum mortuorum apud Judaeos non honorabantur, idque omnino respondet statui imperfectionis et praeparationis qui veteri Foederi prae novo Testamento convenit. Ex una enim parte secundum legem Leviticam corpus emortuum legaliter immundum erat; ex altera parte nondum Christus Dominus morte sua et resurrectione mortem vicerat simul ac sanctificaverat, et futuram corporum resurrectionem praemonstraverat; nec animae justorum antiqui Testamenti perfecta felicitate jam fruebantur. Sed quum sub Evangelii lege status plenitudinis et perfectionis venisset, plane conveniebat, honorari corpora illa Sanctorum et ossa, quae viva fuerant Christi membra, et aliquando in gloriosa resurrectione participabunt beatitudinem illam, qua animae jam fruuntur. Aptissime s. Joannes Damascenus: *Illud quidem veteri Lege comparatum erat, ut qui mortuum contigisset immundus censeretur; verum hi in mortuorum numero minime habendi sunt. Ex quo enim ipsamet vita ac vitae auctor inter mortuos adscriptus est, qui in spe resurrectionis fideique erga eum diem extremum clauserunt, mortuos haudquaqam appellamus.*[2])

Traditio. 384. In *Traditione Ecclesiastica* tot documenta cultus, qui Sanctorum reliquiis inde ab initio Ecclesiae tribuebatur, invenimus, ut doctrina de veneratione reliquiis exhibenda jure inter ea dogmata recenseatur, quae splendida plane ratione ex hoc fidei fonte vindicantur. Et re quidem vera ex documentis quae exstant de martyrio s. Ig-

---

thel. Et ait: Dimittite eum, nemo commoveat ossa ejus. Et intacta manserunt ossa illius cum ossibus prophetae qui venerat de Samaria.« 4 Reg. 23,. 17.

[1]) Matth. 23, 29.

[2]) De fide orthodoxa l. 4. c. 15.

natii videmus, jam eo tempore reliquias in maximo honore sacro fuisse. Legimus in actis martyrii ejus: *Feris crudelibus juxta templum expositus est, ut illico sancti martyris Ignatii desiderium impleretur.... ut nempe nulli fratrum gravis fieret ob suarum reliquiarum collectionem, quomodo propriam consummationem fieri prius in epistola optaverat.*[1]) *Solae enim duriores sanctarum ejus reliquiarum partes relictae sunt, quae Antiochiam delatae sunt, et in sudario depositae, thesaurus sane inaestimabilis ob Martyris gratiam Ecclesiae relictus*[2]). Vides jam consuetudinem fuisse, ut reliquiae martyrum sollicite conquirerentur, ac dein sacro cultu honorarentur. Et quanta fuerit reliquiarum s. Ignatii veneratio, comperimus ex sermone celeberrimo, quem s. Joannes Chrysostomus tribus post saeculis habuit Antiochiae in *s. Martyrem Ignatium.* Magnificat populum et civitatem Antiochenam, quod reliquias s. Ignatii possideant, describit aurea cum eloquentia, quanta cum gloria illae reliquiae Roma reportatae ac Antiochiae depositae fuerint, et quomodo thesaurus iste honoretur; omnesque ad cultum perennem illarum reliquiarum exhortatur. *Utilis igitur*, concludit, *cunctis hic thesaurus est et refugium opportunum, tam iis qui lapsi sunt, ut a tentationibus liberentur, quam iis qui prospere et feliciter degunt, ut diu fruantur bonis; illis qui morbis laborant, ut bonam valetudinem consequantur; illis qui commoda gaudent valetudine, ne in morbum aliquem incurrant. Quae quidem omnia considerantes, omni gaudio atque voluptati sacrum hunc locum anteponamus, ut laetitiae et lucri consortes, illic sanctorum contubernales et socii esse valeamus.* — Quemadmodum vero venerationem reliquiarum s. Ignatii juxta haec documenta per tria saecula veluti prosequimur, ita multorum

---

1) Scripserat videlicet ad Romanos: »Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet. Frumentum sum Dei et per ferarum dentes molar, ut mihi sepulchrum fiant, nihilque mei corporis relinquant, ne postquam obdormiero gravis alicui sim.«

2) Cfr. Ruinart. Acta Martyrum.

aliorum martyrum reliquias tali cultu honoratas esse, similia documenta ostendunt. Jam vidimus, ab ecclesia Smyrnensi reliquias s. Polycarpi fuisse collecta, *ut ossa gemmis pretiosissimis cariora et quovis auro puriora*[1]; ita et corpus s. Cypriani a fidelibus *per noctem sublatum cum cereis et scholacibus, cum voto et triumpho magno deductum est.*[2] Notum porro est, eum fuisse usum Christianorum, ut magna cum veneratione linteis et phialis sanguinem Martyrum colligerent, ac deinde cum insigni reverentia conservarent. Cujus exemplum juvabit afferre ex *Actis martyrii s. Vincentii*, qui Caesaragustae in Hispania a. Christi 304 passus est. *Delatus Dei Martyr ad lectulum, ac piis sanctorum manibus in strati molitie repositus, mox pretiosam resolutus in mortem coelo spiritum reddidit. Videres circumstantium frequentiam sancti vestigia certatim deosculando prolambere, vulnera totius laceri corporis pia curiositate palpare, sanguinem linteis excipere sacra veneratione posteris profuturum.*[3] — Quanta autem veneratione corpora Sanctorum inventa colerentur, videmus ex iis, quae ss. Ambrosius et Augustinus de inventione reliquiarum ss. Gervasii et Protasii nobis referunt. Summo cum triumpho et populi ingenti laetitia corpora haec transtulit s. Ambrosius in novam basilicam dedicandam, sub altari ea condidit, festum per plures dies hac occasione egit, suisque panegyricis laudes martyrum celebravit.[4] Miracula autem varia quae in hac translatione acciderunt, praesertim sanatio caeci toti civitati Mediolanensi noti, a ss. Ambrosio et Augustino narrantur. Ac multa etiam miracula, quae ad reliquias s. Stephani patrata fuerunt, pariter a s. Augustinus referuntur.[5]

---

[1]) Cfr. superius n° 362.

[2]) Acta proconsularia s. Cypriani Ep. et M. ap. Ruinart.

[3]) Apud Ruinart, Acta s. Vincentii.

[4]) Cfr. s. Ambros. Epist. ad Marcellinam sororem, et Serm. de ss. Martyribus Gervasio et Protasio; s. Augustin. Confess. l IX. c. 7. et Serm. in ss. Gerv. et Protas.; Acta Storum Junii tom. III. die XIX.

[5]) De Civit. Dei l. XXII. c. 8.

385. Sed ne hac in re longi simus, illud dicere licet, vix ullum inveniri ex Patribus et Doctoribus inde a saeculo IV, qui non extollat, explicet et vindicet cultum Corporum Sanctorum et sacrarum Reliquiarum. Praeter s. Ambrosium et Augustinum commemorandi sunt uterque Gregorius, Basilius, Joannes Chrysostomus, Hilarius, Paulinus, Asterius, Eulogius, Prudentius, aliique permulti. Eorum vero testimoniis allatis animadvertit Petavius veluti in summam redigens probationem, in iis maxime consideranda esse tria: *Primum quidem, quod ea fere non simplicem habent affirmationem ac sententiam, qua quisque sibi quod visum est pronuntiat, (tametsi non leve pondus etiam hoc modo decretis illorum ac judiciis inesset), verum quis tum Christianorum omnium et Ecclesiae totius usus et sensus esset, velut historica narratione comprehensum subjiciunt oculis... Secundum est, ritus illos Sanctorum honorandorum, sic in illis exstare approbarique testimoniis, ut non recens ac nuper exortos in Ecclesia fuisse appareat, sed constanti ac perpetuo more servatos. Tertium denique, in omnibus orbis christiani partibus et provinciis pari consensu religiosos illos cultus obtinuisse, non in una tantum aut altera ecclesia, ut sincera fidei ac disciplinae catholicae corruptela quaedam videri posset.*[1] — Concludamus hanc probationem illis verbis, quibus s. Hieronymus magna cum vi contra impium Vigilantium urget hanc praxim universae Ecclesiae. *Dolet* (Vigilantius), inquit, *Martyrum reliquias pretioso operi velamine, et non vel pannis vel cilicio colligari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius et dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreae, Lucae et Timothei transtulit Constantinopolim: apud quas daemones rugiunt et inhabitatores Vigilantii illarum se sentire praesentiam confitentur? Sacri-*

---

[1]) De Incarn. l. XIV. c. 13. n° 8.

legus dicendus est et nunc Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis longo post tempore de Judaea transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed et fatui judicandi, qui rem vilissimam et cineres dissolutos in serico et vase aureo deportaverunt? Stulti omnium Ecclisiarum populi, qui occurrerunt sanctis Reliquiis: et tanta laetitia, quasi praesentem viventemque prophetam cernerent, susceperunt, ut de Palaestina usque Chalcedonem jungerentur populorem examina, et in Christi laudes una voce resonarent?

Concilia.

386. Synodus igitur Tridentina hac in re antiquam tantum doctrinam solemniter confirmavit. Sed et plura alia *Concilia* jam antea reliquiis cultum eis debitum vindicaverant. Sic concilium Gangrense can. 20° anathema dicit iis, qui basilicas et memorias martyrum, id est loca in quibus sunt martyrum reliquiae, contempserint. Chartaginense V can. 14° praecepit, ne altaria absque reliquiis martyrum exstruerentur. Bracarense III can. 5° statuit, in supplicationibus thecam reliquiarum gestari debere manibus episcoporum, aut aliorum sacerdotum, populo praecedente ac sequente. Epaonense can. 25° jubet, reliquias Sanctorum non poni in ecclesiis, ubi non sunt clerici, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur. Concilium vero oecumenicum Nicaenum II Act. III ait: *Servator noster Christus fontes salutares Sanctorum reliquias nobis reliquit, multis modis beneficia in debiles fundentes,... atque id per Christum qui in ipsis habitat.* Et Actione VIII episcopos aut clericos deponi jubet, monachos vero et laicos communione privari, qui reliquias martyrum contemnunt, et non ut rem sacram tractant.

387. Iis omnibus quae diximus jam satis exposita est *ratio theologica,* cur Sanctorum reliquiae colendae sint; sed juvabit eam colligere verbis Angelici Doctoris, qui s. Augustino praecedente ita argumentatur. *Sicut Augustinus dicit (De Civit. Dei l. 1. c. 13), si paterna vestis et annulus, ac si quid hujusmodi tanto carius est posteris, quanto erga parentes est major affectus, nullo modo ipsa spernenda*

sunt corpora, quae utique multo familiarius atque conjunctius quam quaelibet indumenta gestamus: haec enim ad ipsam naturam hominis pertinent. Ex quo patet, (pergit s. Thomas), *quod qui habet affectum ad aliquem, etiam ea quae de ipso post mortem reliquuntur, veneratur, non solum corpus aut partes corporis ejus, sed etiam aliqua exteriora, puta vestes et similia. Manifestum est autem, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tanquam membra Christi, Dei filios et amicos et nostros intercessores. Et ideo eorum reliquias qualescumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus; et praecipue eorum corpora, quae fuerunt templa et organa Spiritus sancti in eis habitantis et operantis, et sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Unde et ipse Deus hujusmodi reliquias convenienter honorat, in earum praesentia miracula faciendo* [1].

388. Opponunt Protestantes ex sacris Litteris contra cultum reliquiarum illum textum, quo Christus Pharisaeos reprehendit dicens: *Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulchra prophetarum.* [2] Sed jam diximus, a Christo non ipsum opus in se reprehendi, sed perversum animum, et istorum hypocrisim, qua, cum essent tam iniqui ut patres eorum, simulabant pietatem. Unde et ironice Christus pergit: *Profecto testificamini, quod consentitis operibus patrum vestrorum; quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulchra.* Videlicet aedificatio sepulchri duplici modo haberi potest, vel ut honor defuncto exhibitus, vel ut complementum facinoris eorum, qui aliquem e medio tulerunt. Vos igitur, inquit Dominus Pharisaeis, tam perversi estis tamque aequales patribus vestris iniquis qui occiderunt prophetas, ut quemadmodum illis occisio, sic animo vestro iniquo aedificatio sepulchri bene conveniat, tanquam continuatio criminis illorum et testificatio, quod consentitis neci prophetarum. Perspicuum est, ex his ne minimum quidem contra cultum

Objectiones ex Scriptura solvuntur.

---

[1] S. th. p. 3. q. 25. a. 6. [2] Luc. 11, 47.

reliquiarum posse inferri. — Objiciunt pariter, a Deo ipso corpus Moysiset sepulchrum ejus occultatum esse, ne Israëlitae illud venerarentur. *Et sepelivit* (Deus) *eum in valle terrae Moab contra Phogor: et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in praesentem diem*[1]. Respondemus, merito ab interpretibus statui, a Deo sepulchrum Moysis occultatum fuisse, ne Judaicus populus ad idololatriam valde pronus, qui vitulum aureum in deserto adoraverat, Moysis corpus divino cultu et honore prosequeretur. Inter Christianos autem cum nullum tale periculum immineat, vult Deus amicorum suorum cum Christo in coelis regnantium corpora in pretio haberi ac veneratione, hancque voluntatem suam nobis tum per Ecclesiam, tum per crebra prodigia manifestavit.

Objectio ex Traditione diluitur.

389. Quae ex Traditione adversarii colligere studuerunt, vix consideratione digna sunt. Contendunt e. g. primis saeculis cultum reliquiarum non fuisse in usu. Id confirmant ex facto quod contigit initio saeculi quarti, quodque narratur a. s. Optato; videlicet Lucillam matronam Carthaginensem palam objurgatam fuisse a Caeciliano archidiacono, quod martyris ossa deosculatione veneraretur. Unde haec mulier valde irata multum promovit schisma Donatianum. — Sed jam vidimus, quanta veneratione semper, etiam primis saeculis, reliquias martyrum fideles omnes prosecuti sint. Quod vero attinet ad factum illud, ex ipsa narratione s. Optati colligitur, cur Caecilianus feminam illam reprehenderit. *Ante spiritalem cibum*, scribit, *et potum, os nescio cujus martyris, si tamen martyris, libare dicebatur: et cum praeponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui etsi martyris, sed necdum vindicati, cum confusione discessit irata*[2]. Manifestum est, mulierem istam non reprehensam fuisse ex eo, quod generatim cultus reliquiarum haud approbaretur, sed quia colebat osculis suis os martyris nondum agniti ab ecclesiastica

---

[1]) Deuteron. 34, 6.
[2]) De schismate Donatistarum l. 1. n° 16.

auctoritate, idque cum ostentatione quadam ante susceptionem Eucharistiae, ita ut fere illam suam venerationem reliquiae non approbatae susceptioni sanctissimi Sacramenti praeponere videretur. Proinde contra cultum reliquiarum ex illo facto nihil deduci potest.

Objectio ex reliquiis dubiis.

390. Protestantes etiam conati sunt oppugnare et irridere venerationem reliquiarum contendentes, maximam partem reliquiarum esse plane dubiam atque suppositam, ita ut cultus iste plerumque constituat superstitiosam rerum inanium venerationem. Ad confirmationem assertionis suae dein corrogant ex historia narratiunculas veras et falsas, quibus multas reliquias spurias esse probare nituntur, et advertunt, pluribus in locis ejusdem quandoque Sancti corpus, aut caput, aut alia membra ostendi, ita ut manifesta sit hac in re superstitio. — Ut hanc difficultatem diluamus, opportunum erit haec animadvertere. 1° Tota difficultas ista non attingit cultum ipsum reliquiarum in se spectatum, sed praxim et prudentiam in hac veneratione adhibendam. 2° Ex ipsa rei natura patet, non eam semper posse haberi certitudinem de authentia alicujus reliquiae, quae sit physica vel metaphysica vel summa certitudo moralis. At sufficit talis certitudo moralis, quae in re gravi adhibetur, eademque generatim de reliquiis quae publice coluntur adest. Etenim 3° Ecclesia semper sollicita fuit in veris reliquiis a falsis et dubiis secernendis. Ita ex verbis s. Optati superius citatis vides, jam eo tempore, ut alicujus reliquiae coli possent, necessarium fuisse, antea ab auctoritate Ecclesiastica martyrem agnosci. Concilium quoque Lateranense IV statuit: *Inventas de novo* (reliquias) *nemo publice venerari praesumat, nisi prius auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatae*[1]. Concilium vero Tridentinum decrevit, *non esse novas reliquias recipiendas, nisi recognoscente et approbante Episcopo*[2]. Generatim igitur spectata sollicitudine auctoritatis Ecclesiasticae, quando reliquiae publice honorantur, morali certitudine constat, eas non esse

Solvitur.

---

[1]) Cap. 62. [2]) Sessione XXV. Decreto de invoc. Sanctorum etc.

res inanes et spurias, sed authenticas et cultu dignas. 4° Non negamus, de quibusdam reliquiis rationabiliter dubitari posse, an illud vere sint quod esse dicuntur. Quandoque videlicet decursu temporum confusio reliquiarum vel corporum plurium Sanctorum ejusdem nominis accidere potuit, vel reliquia alicujus sancti Martyris cujus nomen nesciebatur, coli sub nomine alterius Sancti. Ex his similibusve causis explicatur, quomodo eaedem reliquiae in variis locis colantur. Interdum etiam in similitudinem alicujus reliquiae, e. g. clavi crucis Christi, alia ejusmodi objecta confecta sunt, quae contactu cum genuina reliquia veluti sacrata, et dein relativo cultu honorata fuerunt. Labente vero tempore factum est, ut jam genuinae reliquiae reputarentur. Vides, in talibus casibus semper *rem sacram* cultu relativo recte honorari posse, quamvis subrepat erronea quaedem confusio accidentalis. Rarissime evenire putamus, quod objectum aliquod omnino profanum ut vera reliquia cultu publico honoretur. Sed etiam si id aliquando contingeret, res non foret tanti momenti, ut propterea de abusu et superstitione conclamandum esset. Etenim 5° cultus reliquiarum, uti vidimus est relativus, dumque vel ossa Sanctorum, vel objecta alia honoramus, non sistimus in illis, sed respicimus pio affectu praestantiam et supernaturalem gloriam eorum, quorum illa ossa et objecta fuerunt. In hoc cultu igitur praecipuum est pius ille affectus reverentiae et fiduciae erga Sanctos; secundarium quid, honor directe objecto materiali exhibitus. Quamvis sane inconvenientia aliqua adsit, si in objecto directe honorato non habetur illa ad Sanctos relatio, ob quam reliquiam talem suppositam veneramur, tamen inde non laeditur pia nostra et laudabilis devotio erga Sanctos, quae primas partes in hoc cultu habet. — Leibnitius hac de re, dum in *Systemate theologico* reliquiarum cultum vindicat, dicit: *Quoniam pii tantum affectus res est, nihil refert, etiamsi forte contingeret, reliquias quae pro veris habentur suppositas esse*[1]).

---

[1]) N. XL.

Et ipse quidem nobis nimium hic asserere videtur, dum ejusmodi errorem *nihil referre* dicit. Etenim quum reliquias *in se* veneremur ob earum relationem ad Sanctos, et non tantum ut signa quaedam quae nobis Sanctos in memoriam revocant, deficiente illa reali relatione talia objecta jam cultu digna non sunt. Atque hinc est, quod Ecclesia prudentem sollicitudinem adhiberi vult in veris reliquiis discernendis a spuriis. Sed quum pius affectus et honor Sancto exhibitus etiam suum pretium retineat, dum per accidens forte aliquando reliquia aliqua supposita honoratur, merito statuimus contra clamores protestantium, materialem ejusmodi errorem haud tanti esse momenti, ut propter talia quae in omnibus rebus hamanis contingunt, cultus reliquiarum tolli debeat aut damnari.

Articulus IV.

DE CULTU IMAGINUM SACRARUM.

Doctrina catholica.

391. Nomine imaginum sacrarum intelligimus repraesentationes, quibus per picturam, sculpturam aliamve artem Dominus Jesus-Christus, personae sanctae, eventus et facta religiosa effigurantur. Sed et ipsam beatissimam Trinitatem notum est imagine exprimi solere, quatenus persona Patris plerumque secundum visionem Danielis ut *Antiquus dierum*, persona Filii in figura humana, Spiritus sanctus specie columbae linguaeve igneae exhibentur. In hac repraesentatione facile vides, personam Patris et Spiritus sancti exhiberi sub symbolis analogica quadam ratione, illorum vero electionem symbolorum in visionibus prophetarum ac theophaniis fandamentum habere. Interdum etiam providentia vel omniscientia divina simul cum mysterio Trinitatis per oculum triangulo inclusum exprimi solet. — Juxta catholicam sententiam imagines pio cultu atque honore sunt venerandae. Summa doctrinae ecclesiasticae a Concilio Tridentino his verbis exprimitur: *Imagines Christi, Deiparae Virgines, et aliorum Sanctorum, in templis*

praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis aliquid sit petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honor qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, ita ut per imagines quas osculamur, vel coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur... Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis; tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorum imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum et diligendum Deum et ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit, anathema sit... Quod si aliquando historias et narrationes sacrae Scripturae, quum id indoctae plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici vel coloribus aut figuris exprimi possit [1]).

Cultus imaginum relativus.

392. His verbis igitur cultus sacrarum imaginum licitus declaratur et pius, simulque utilitas quae ex sacris imaginibus populo christiano obvenit exponitur. Perspicue etiam sancta Synodus exprimit, cultum sacrarum imaginum esse omnino *relativum*. Tota videlicet ratio venerationis et cultus imaginum est repraesentatio alterius in se colendi, et sic veneratio imaginibus impensa refertur ad objectum repraesentatum. Idem etiam antea jam saepius in documen-

---

1) Sess. XXV. Decret. de invocat. Sanct.

tis ecclesiasticis declaratum est. In sententiis Patrum approbatis in Concilio oecumenico VII dicitur: *Cum adoratur imago, Christus adoratur cujus est assimilatio, non autem materia, quae istam assimilationem excepit*[1]). Et in ipsa definitione hujus Concilii dicitur: *Imaginis honor (veneratio) ad prototypum transit, et qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam*[2]).

Triplici modo praestari potest.

393. Ut tamen distincte intelligatur indoles hujus cultus, animadvertendum est, tripliciter posse sermonem esse de licito et sancto imaginum cultu. Vel enim 1° imago solum nos monet et in cognitionem ducit archetypi, et ejus occasione ac coram ea veneramur archetypum. Ita proprie nulla veneratio, ne relativa quidem imagini, sed tantum absoluta archetypo impenditur. Vel 2° mente consideramus directe archetypum in imagine velut relucentem, et in externis significationibus reverentiae substituimus imaginem repraesentantem ipsi archetypo repraesentato, uti fit ab Ecclesia in repraesentatione quorumdam mysteriorum, e. g. in adoratione crucis die parasceves. Ita colitur directe et cultu absoluto archetypus, eodemque actu relative sed per accidens colitur ipsa imago, velut moraliter conjuncta cum archetypo, ut purpura cum rege[3]). Deni-

[1]) Biblioth. Patr. gr. et lat. T. I. p. 726. [2]) Actione VII.

[3]) Hic valde utile erit notare quoque quasdam distinctiones a Bellarmino apte expositas. »Id, inquit, quod honoratur, potest honorari per se vel per accidens, propter se vel propter aliud, proprie vel improprie. Per se honoratur suppositum, in quo inest ratio venerationis, per accidens illud quod est conjunctum rei quae adoratur, nec est ipsa ratio adorationis; ut cum honoratur rex, per se honoratur homo ille, qui est rex, per accidens honoratur purpura et reliqua illa adjuncta et accidentia omnia ejus, excepta regia dignitate, quae licet non sit id quod honoratur, est tamen id quo homo ille adoratur. Itaque persona honoratur per se ut quae, regia dignitas ut qua, reliqua honorantur per accidens. — Potest aliquid honorari propter se vel propter aliud. Id honoratur propter se, quod habet in se rationem venerationis non dependentem aliunde, et hoc modo sola natura rationabilis est venerabilis. Propter aliud (quamvis in se) honoratur id, quod habet quidem in se causam honoris, sed illa causa tota pendet ab alio, et hoc modo signa rerum sacrarum

que 3° potest directe respici ipsa imago, non sane ut aliquid absolutum, lignum, metallum, opus artis, sed formaliter ut imago et repraesentatio personae archetypae, Christi, B. Virginis, Sancti alicujus, atque ideo ut aliquid sacrum et singulariter pertinens ad illam personam. Ita imago est terminus directus venerationis propter excellentiam relativam, seu propter relationem quam habet ad excellentiam absolutam archetypi. Hic cultus imaginis est inferioris rationis quam cultus, qui directe refertur ipsi archetypo; est autem relativus, tum quia tota dignitas imaginis et ratio cultus est ipsa ejus relatio ad archetypum, tum quia non aliud quam personam repraesentatam intendimus honorare in imagine tanquam in re ad ipsam pertinente, quamvis directe imaginem, et archetypum in obliquo respiciamus [1]).

Cultus inferioris ordinis.

394. Haec tertia ratio colendi imagines ea est, quae frequentior et communior occurrit, quamque plerumque intelligere solemus, quando de cultu imaginum loquimur. Dictum fuit, hunc cultum imaginis *inferioris esse ordinis*,

---

sunt venerabilia; habent enim in se relationem similitudinis, sive repraesentationem rei sacrae et proinde quamdam excellentiam, sed illa tota pendet ab ipsa re sacra. — Potest aliquid honorari proprie vel improprie. Id proprie dicitur honorari, quod vere ratione sui ipsius honoratur. Improprie dicitur honorari, quod honoratur loco alterius. Legatus regis aliquando honoratur ut legatus, et tum ipse proprie honoratur, licet propter alium honoretur: aliquando honoratur loco regis, honore proprio regibus, et tunc ipse improprie honoratur, proprie autem rex in ipso tunc honoratur.« De imaginibus Sanctorum l. II. c. 20.

[1]) Sic rationem cultus imaginum breviter et clare exponit Franzelin S. J. De Verbo incarn. Thesis XLV. Addit: »Eodem fere modo de reliquiis aliisque rebus sacris colendis propter relationem ad Deum ad Christum Redemptorem, ad Sanctos, sentiendum et loquendum est; nisi quod relatio non consistit in mera repraesentatione, sed in aliqua speciali conjunctione, quae vel ex praeterito vel ex praesenti vel ex futuro intercedit inter has res sacras et personam, quae est objectum absolutum adorationis et cultus.« — Quia triplex illa distinctio non satis animadvertitur, non raro in exponenda indole cultus immaginum confusio quaedam notionum occurrit.

quam illum, qui directe refertur ipsi archetypo. Attenta enim distinctione exposita, de hoc ultimo cultu ordinario valet quod Bellarminus statuit ad quaestionem: *Quo genere cultus adorentur* (colantur) *imagines.* Sententiam suam generatim a theologis acceptam ita exponit: Cultus qui per se proprie debetur imaginibus, est cultus quidam imperfectus, qui analogice et reductive pertinet ad speciem ejus cultus qui debetur exemplari. — Explico: Imaginibus non convenit proprie nec latria, nec hyperdulia, nec dulia, nec ullus alius eorum qui tribuuntur naturae intelligenti; non enim est capax res inanima et rationis expers ejusmodi cultuum; sed cultus quidam inferior et varius pro varietate imaginum. Itaque imaginibus Sanctorum non debetur proprie dulia, sed cultus inferior qui dici potest dulia secundum quid, vel dulia analogice sive reductive. — Denique imaginibus Christi non debetur latria vere et simpliciter, sed cultus sine comparatione inferior, qui tamen reducitur ad latriam ut imperfectum ad perfectum. Probatur; nam sicut se habet imago ad suum exemplar, ita se habet cultus imaginis ad cultum exemplaris; sed imago est ipsum exemplar analogice et secundum quid, nam homo pictus est homo secundum quid et analogice; ergo etiam imagini debetur cultus ipsi exemplari debitus, imperfectus et analogicus... Ex his habemus etiam, quid sit dicendum de vera cruce Domini, de clavis, spinis aliisque reliquiis. Sunt enim haec omnia honoranda minori cultu quam Christus vel Sancti quorum reliquiae sunt, sed tamen tali, qui analogice et reductive pertineat ad speciem cultus, quo Christus vel Sancti coluntur: nam reliquiae ideo merentur honorem, quia ratione contactus vel aliquo alio modo habitudinem habent ad eos, quorum sunt reliquiae[1]).

395. Haec doctrina Bellarmini perspicua est, et, ut diximus, communiter a theologis acceptata. Secundum eam igitur cultus imaginum est 1° *relativus;* 2° est *veneratio quaedam inferior,* quam illa quae archetypo convenit. Ea-

[1]) De imaginibus Sanct. c. 25.

dem proinde non apte dicitur latria relativa quoad imagines Christi, et dulia relativa quoad imagines Sanctorum, sed tantum *cultus relativus*, *qui analogia quadam latriae vel duliae respondet.* — Sunt tamen auctores qui simpliciter statuunt, nos imagines eodem prosequi cultu quo prototypa, sed relativo, adeoque imagines Christi coli latria relativà, Sanctorum vero dulia relativa[1]). Id dici posse existimamus eo casu rariori, quo directe et cultu absoluto archetypus, eodemque actu relative sed per accidens colitur imago velut moraliter conjuncta cum archetypo, uti fit in adoratione Crucis die parasceves. Sed quando, uti communius veneratio imaginum intelligitur, imago terminus directus venerationis est propter excellentiam relativam, censemus cultum explicandum esse cum Bellarmino et Franzelin modo exposito, ut sit cultus relativus inferior, qui tantum analogice latriae vel duliae respondet. Caeterum quaestio haec potius verba et modum loquendi spectat, quam ipsam rem[2]).

Error Iconoclastarum. 396. Imaginum sacrarum usum et cultum saeculo VIII in Oriente vehementer impugnaverunt Iconoclastae, quorum dux fuit imperator Leo Isauricus. Ipse hac in re secutus esse videtur exemplum Mahumedanorum, quorum pseudopropheta usum imaginum interdixit, et earumdem cultum idololatriam esse effutiit. Sub pluribus igitur imperatoribus vehementissimum bellum contra sacras imagines in Oriente gestum est, ita quidem ut eo tempore non pauci catholici orthodoxi, qui doctrinam catholicam intrepide vindicabant, martyrium pro ea tenenda subierint. Scriptis vero suis praecipue s. Joannes Damascenus, egregius Ecclesiae Doctor, cultum sacrarum imaginum defendit. Tandem per Irenem imperatricem filiumque ejus Constantinum pax Ecclesiae reddita est, et Concilio oecumenico VII (Nicaeno II) a. 787 doctrina catholica de cultu sacrarum imaginum

---

[1]) Cfr. Schouppe, De Novissimis C. 2. a. 3. Q. 1,

[2]) Expressio praesertim illa *latria relativa* vitanda est, eo quod usu minus receptum sit hanc vocem *latria* de alio cultu adhibere quam de suprema veneratione absoluta uni Deo oblata.

vindicata fuit. Hujus Concilii decreta, quum iterum imperatores quidam cultum imaginum oppugnassent, confirmata fuerunt a. 869 in Concilio oecumenico VII (Ctnptano IV). — Quaestio de cultu sacrarum imaginum occasione Concilii Nicaeni II etiam agitata fuit in Occidente, apud Francos. Quum videlicet acta Concilii Nicaeni II ad eos pervenissent minus accurate lingua latina reddita, factum est, ut crederent, ab Orientalibus cultum haud convenientem sacris imaginibus deferri, Conciliumque Nicaenum II recipere dubitarent. Brevi tamen post per prudentiam Romanorum Pontificum lis composita fuit. — Habuit autem cultus imaginum in Occidente adversarios infestos saeculo IX Claudium Taurinensem, saeculo XII Petrobrusianos et Henricianos sectarios, saeculo XIII Waldenses et Albigenses, saeculo XIV Wiclefitas, saeculo XV Hussitas ac postremo saeculo XVI varios protestantium haeresiarchas.

Errores Protestantium.

397. Quum juxta protestantium errores Sanctis ipsis nulla veneratio sacra exhiberi possit, etiam omnem usum et cultum sacrarum imaginum rejecerunt. Mox vero non solum contra imagines Sanctorum, sed etiam contra imagines Christi Domini magno cum furore bellum instituerunt. Stupido igitur clamore de superstitione et idololatria Catholicorum in cultu sacrarum imaginum omnia repleverunt, et variis in regionibus imagines sive pictas, sive sculptas destruxerunt. Recentiori tempore inter protestantes plures inveniuntur, qui usum imaginum Sanctorum in eorum memoriam admittunt, cultum tamen rejiciunt; imaginibus vero Christi etiam reverentiam quamdam sacram exhibere non dubitant. — His praemissis accedimus ad demonstrationem doctrinae catholicae.

Propositio.

398. Propositio. — *Licitus atque pius est sacrarum imaginum usus et cultus, sicuti in Ecclesia catholica viget.*

Quaestionis indoles.

Praenotanda. — Antequam demonstrationem evolvamus, restant quaedam animadvertenda, ut probationis indoles melius perspici possit. Circa cultum igitur sacrarum imaginum duplex institui potest quaestio. Prima est, utrum sacrarum imaginum usus et cultus repugnet legi divinae,

sive utrum licitus sit atque honestus; altera est, utrum spectatis omnibus circumstantiis, hac illave aetate expediat imagines in templis fidelium venerationi exponere. Prima quaestio pertinet ad fidem; altera vero pertinet ad disciplinam, quae mutationi est obnoxia, et in qua determinanda quavis aetate adverti debet, utrum spectatis circumstantiis utile vel perniciosum sit illud quod statuitur. Usus igitur et cultus sacrarum imaginum omnibus theologis fatentibus est ex eorum genere, quae ad salutem omnino necessaria non sunt, nec ad substantiam religionis pertinent, atque hoc sensu adiaphora nominari solent. In potestate autem Ecclesiae est ac semper erat, ut talia vel adhibeat, vel ad tempus ableget, prout satius esse judicaverit; pariterque ad sapientem oeconomiam providentiae divinae in negotio religionis pertinet, ut usum talium rerum dirigat atque disponat, quemadmodum pro salute hominum magis expedit. — Hinc facile vides, contra usum et cultum sacrarum imaginum nihil inde inferri posse, quod idem in veteri Testamento atque etiam fortasse initio Ecclesiae nascentis minus frequens fuerit. Quum Judaeorum populus valde pronus esset ad idololatriam, atque ad eamdem exemplo gentilium facile pertraheretur, sapientissime Deus ita res disposuit, ut sacrarum imaginum usus et cultus non tanta amplitudine in Synagoga, sicuti postea in Christi Ecclesia, vigeret. Eum tamen etiam apud Judaeos non omnino defuisse, inferius videbimus. Pariter primis ab ortu Christianae religionis temporibus, cum gentilium in eam exardesceret furor et in hominum mentibus haereret adhuc idolorum superstitio, non tam frequens fuisse videtur sacrarum imaginum usus et cultus, quamvis tamen non pauca monumenta ejus indubia exstent. Postea vero quum jam nullum idololatriae periculum esset, quumque ad propagandam Christi ac martyrum Sanctorumve caeterorum memoriam et animandos fideles ad pietatem utile id esse videretur, usus et cultus sacrarum imaginum in universa Ecclesia vehementer promotus fuit. Atque hoc neutiquam omnibus in locis eodem instituto ac tempore constat esse factum,

sed alibi citius, alibi tardius, prout nationum captus et indoles erat, et qui illis praeerant expedire judicabant[1]). — Hac observatione praecipuas objectiones protestantium praeoccupavimus, simulque ex ea clarius patebit vis demonstrationis, qua licitum atque pium esse usum et cultum sacrarum imaginum in Ecclesia vigentem probamus.

399. Demonstratio. — Adversarii cultus imaginum statuunt, in veteri Foedere earum usum et cultum omnino proscriptum fuisse. At res nullatenus ita se habet; etiam apud Israëlitas sacras imagines invenimus, quamvis eorum usus et cultus non tam frequens esset. Et re quidem vera, maximum illud populi electi sanctuarium videlicet arca Domini, nonne symbolum erat atque imago ipsius praesentiae divinae? *Facientque mihi*, dixit Dominus Moysi, *sanctuarium, et habitabo in medio eorum*[2]). Ex utraque vero parte arcae jussit Dominus exstrui duos aureos Cherubim dicens: *Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi*[3]). Teste s. Hieronymo *in epistola (Paulae et Eustochium) ad Marcellam* in sacra reverentia hi Cherubim a Judaeis habebantur. *Venerabantur*, inquit, *quondam Judaei sancta sanctorum*, *quia ibi erant Cherubim et propitiatorium et arca testamenti*, *manna*, *virga Aaron et altare aureum.* Arcam vero ipsam, symbolum hoc atque figuram praesentiae Domini, magna veneratione religiosa affectam fuisse, ex variis factis antiqui Foederis patet. Sic legimus: *Josuë scidit vestimenta sua et pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse quam omnes senes Israël*[4]). Magno cum apparatu religioso David eam transtulit in civitatem suam, et ea occasione accidit, ut Oza a Domino morte puniretur, eo quod minus reverenter arcam tractasset[5]). Spiritu autem Dei plenus ipse Psaltes canit: *Exaltate Dominum Deum nostrum*, *et adorate scabellum pedum*

S. Scriptura.

---

[1]) Vide Petavium de Incarn. l. XV. c. 13.
[2]) Exodi 24, 8 [3]) Ibidem v. 18. [4]) Josuë 7, 6.
[5]) 2 Reg. c. 6.

ejus, quoniam sanctum est[1]. Arcam scabelli nomine significari, videmus ex illis Davidis verbis: *Cogitavi, ut aedificarem domum, in qua requisceret arca foederis Domini et scabellum pedum Dei nostri*[2]. — Etiam Salomon templum non solum sculpturis symbolicis animalium, sed etiam angelorum ornavit. *Et duo ostia fecit de lignis olivarum, et sculpsit in eis picturam Cherubim et palmarum species et anaglypha valde eminentia, et texit ea auro, et operuit tam Cherubim quam palmas et caetera auro*[3]. *Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuitu,... et stabat super duodecim boves, e quibus tres respiciebant ad aquilonem, et tres ad occidentem, et tres ad meridiem, et tres ad orientem*[4]. Quum igitur ipse Deus ex utraque parte arcae Cherubim aureos poni jusserit, quum arca, figura praesentiae ejus, religioso cultu afficeretur, quumque ipsum templum etiam imaginibus et sculpturis a Salomone ornatum fuerit, perspicuum est, usum imaginum apud Judaeos nequaquam habitum fuisse illicitum. — Mandavit etiam Deus Moysi, ut faceret serpentem aeneum ac poneret eum pro signo: *qui percussus aspexerit eum vivet*[5]. Hunc serpentem aeneum erectum fuisse ut typum crucis Christi, declarat Salvator illis verbis: *Sicut Moys s exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*[6]. Itaque si Deus ipse eo tempore usum ejusmodi figurae voluit fieri, profecto et nunc usus crucis Christi et aliarum imaginum licitus est. Quodsi vero usus et cultus imaginum apud Judaeos rarior erat, jam vidimus peculiares adfuisse rationes. Sufficit probasse, lege Dei symbola et imagines eorumque cultum non fuisse omnino prohibita.

400. In Scripturis novi Foederis de usu et cultu sacrarum imaginum non invenimus nec aliquod mandatum, nec aliquam prohibitionem. Id non mirum videbitur, si

---

1) Ps. 98, 5. 2) 1 Paral. 28, 2.
3) 3 Reg. 6, 32. 4) Ibid. 7, 23. Cfr. etiam 7, 36.
5) Num. 21, 8. 6) Joann. 3, 11.

ea attenduntur, quae superius de characterе et indole sacrarum Scripturarum animadvertimus, eo vel minus, quod de forma et modo cultus externi generatim in libris novi Testamenti non agatur.

Traditio.

401. Jam de *Traditione* loquamur. — Primis saeculis diximus non eo forte splendore et amplitudine, quibus subsequente aetate, usum et cultum sacrarum imaginum inveniri, rationemque exposuimus. Sed documenta non desunt ex quibus colligimus, hunc cultum non solum haud consideratum fuisse ut impium, sed etiam ea ratione et extensione locum habuisse, quae illis temporibus conveniebat, paulatimque se magis evolvisse. — Id maxime probant monumenta antiquitatis quae nobis supersunt, atque imprimis oratoria subterranea, quae in catacumbis adhuc reperiuntur eo in statu, quo constituta erant, quum saevientibus persecutionibus ibidem christiani conventus suos haberent ac mysteria celebrarent. Ita detectae fuerunt catacumbae antiquissimae, Priscillae, Domitillae, Lucinae, quarum origo ipsis temporibus apostolicis ab archeologis adscribitur. Atqui in cryptis seu oratoriis quae in his coemiteriis subterraneis inveniuntur, multiplex invenitur ornatus imaginum pictarum; plurium autem picturarum originem saeculo primo adscribendam esse, ex stylo earum colligitur. — Invenitur Christus saepe depictus sub specie boni pastoris; multaeque exhibentur repraesentationes symbolicae mysteriorum, et eventus varii antiqui testamenti, quorum significatio typica christiano populo nota erat. Hic modus exprimendi veritates religionis omnino respondet disciplinae arcani eo tempore vigenti. — Repraesentationes similes Christi boni pastoris ac symbolorum etiam in annulis, lapidibus, gemmis, lucernis, sarcophagis, calicibus occurrunt. Jam Tertullianus meminit consuetudinis illius, qua calices figura boni pastoris a christianis ornari solebant [1]). Inter figuras autem symbolicas celeberrima est

1) »Pro edant ipsae picturae calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius.« De pudicitia c. 7. »Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis.« Ibidem c. 10.

symbolum *piscis* tum pictum, tum scriptum (*ἰχθυς*), quo christiani Salvatorem exhibere solebant[1]). Etiam imagines B. Mariae Virginis et ss. Apostolorum Petri et Pauli saltem ex saeculo III nobis supersunt. Notandum vero est, in depicta imagine B. Virginis cum infante Jesu, tum infantem divinum tum sanctissimam Matrem exhiberi nimbo seu aureola ornatos; quod argumentum expressum est venerationis religiosae. — Caeteroquin *usus* et *cultus* imaginum ex natura rei cohaerent; nisi enim quis praejudiciis obcaecatus sit negare nequit, sicuti prototypis absolutam, ita imaginibus relativam venerationem convenire[2]).

402. His apte adjungimus alia traditionis monumenta. Atque imprimis commemoratione dignum est factum quoddam ab Eusebio narratum. Refert videlicet, Cesareae Philippi seu Paneade fuisse adhuc tempore suo monumentum ex aere confectum, quo in columna subsistens ex una parte mulier supplicans provoluta, ex altera vero parte vir manum in eam benigne protendens conspiciebatur. Dicebatur autem illud monumentum esse erectum a muliere hemorrhoïssa ex illa civitate oriunda, ut beneficii memor repraesentaret Salvatorem mundi sibi sanationem benigne conferentem. Addit porro Eusebius: *Ad cujus* (Christi) *pedes in ipsa basi ignota quaedam nasci dicitur planta: quae ad fimbriam usque aeneae diploidis assurgens depellendis omnis generis morbis praesentissimum remedium est..*

---

[1]) Ratio hujus symboli desumpta videtur tum ex eo, quod Tobiae piscis, quo daemon pellebatur, et lux oculis afferebatur, typus erat Christi; tum ex eo quod vox graeca *ἰχθυς* litteras initiales continet verborum *Ἰησοῦς Χριστὸς Θεου Ὑιος Σωτηρ*.

[2]) Quum recentiori praesertim tempore tanta picturarum et imaginum copia ex primis christianismi saeculis inventa fuerit, merito jam dubitatur, utrum revera usus imaginum initio christianismi minus frequens fuerit ob idololatriae aliquale periculum. Quoad aliquas regiones e. g. Romam, negari posset, minus frequentem hunc usum fuisse; quoad alias regiones forte affirmandum foret. Rem dirimere non est necessarium. Generatim admittenda videtur aliqua evolutio successiva et practica quoad usum et cultum imaginem, cujus ratio sita est in motivis extrinsecis, uti e. g. in disciplina arcani.

Nec vero mirandum est, qui antiquitus ex gentibus a Servatore nostro beneficiis affecti fuerunt, haec praestitisse; quum et ipsorum Apostolorum Petri et Pauli Christique ipsius pictas imagines ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus. Illi autem antiqui gentiles absque discrimine cunctos de se bene meritos gentili consuetudine, tanquam servatores, colere hujusmodi honoribus consueverunt[1]). Statua, quam Eusebius propriis oculis viderat, postea a Juliano apostata destructa fuit; frusta autem a Christianis collecta et in ecclesia decenter reposita sunt, ut in sua historia ecclesiastica Sozomenus refert[2]). — Ex hisce igitur firmum promere possumus argumentum pro antiquitate usus et venerationis imaginum etiam sculptarum. Omnino probabile nobis videtur, monumentum istud revera eam habuisse originem, quam Eusebius juxta populi traditionem ei tribuit. Sed etiam si quis hoc non plane certum esse censeret, tamen vis argumenti sibi constat. Certissimum enim est ex Eusebio, initio saeculi IV eam statuam jam ex antiqua traditione pia in veneratione habitam fuisse; ac proinde sequitur, usum et cultum imaginum nullatenus prioribus saeculis fuisse ignotos. Dein vero Eusebius, ne quis de re narrata miretur, animadvertit, etiam antiquissimas quasdam conservatas esse Christi et Apostolorum imagines, et a gentilibus quoque Christi statuam potuisse erigi, eo quod tanquam benefactorem insignem eum haberent. Ipse Eusebius igitur satis innuit, imaginum usum antiquissimum esse.

403. Augustinus loquens de quibusdam ethnicis, qui libros aliquos a Christo ad Apostolos Petrum et Paulum scriptos comminiscebantur, hanc reddit stulti erroris rationem. *Cum vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos, cogitaverunt, ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tanquam ad illos qui ei familiariter adhaesissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur; et occurrit eis Petrus et Paulus, credo quod*

[1]) Hist. eccl. l. VII. c. 18. [2]) Hist. eccl. l. V. c. 20.

pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent, quia merita Petri et Pauli etiam propter eumdem passionis diem celebrius solemniter Roma commendat. Sic omnino errare meruerunt, qui Christum et Apostolos ejus non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quaesierunt; nec mirum, si a pingentibus fingentes decepti sunt[1]. Vides, etiam a. s. Augustino supponi consuetudinem pingendi Sanctorum imagines, ut rem jam ab antiquo receptam. — Commemoranda quoque hoc loco venit pia illa traditio, quae saltem saeculo V jam viguisse videtur, scilicet a. s. Luca Evangelista B. Virginem cum infante fuisse depictam[2]. nec non ea minoris forte valoris narratio, quamvis non plane spernenda, ab ipso Salvatore imaginem suam principi Edessae Abgaro missam fuisse. — Testantur ejusmodi piae antiquitatis traditiones persuasionem, piarum ac venerandarum imaginum usum inde ab initio christianismi obtinuisse.

404. Aliud autem validissimum argumentum antiquissimae venerationis imaginum inde deducitur, quod jam primis illis saeculis ethnici passim christianos accusabant, ab iis adorari cruces, quasi in illis divinitas quaedam lateret. Sic Caecilius in *Octavio* Minutii Felicis ait: *Et qui hominem summo supplicio pro facinore punitum, et crucis ligna feralia eorum ceremonias fabulatur, congruentia perditis sceleratisque tribuit altaria, ut id colant quod merentur*[3]. Idem objicit Celsus apud Origenem[4], et Julianus apostata apud s. Cyrillum dicens: *Crucis lignum adoratis, ejusque signa in fronte formatis, et postibus aedium insculpitis*[5]. Ex eo quod Julianus, qui mores Christianorum optime noverat, idem exprobrat Christianis, quod antea Caecilius atque Celsus, patet revera

---

[1]) De consensu Evangelistarum l. 1. c. 10.
[2]) Cfr. hac de re Bollandistas ad diem 18. Octobris.
[3]) Octavius, n. 9.
[4]) Origenes cont. Celsum l. II. n° 47.
[5]) S. Cyrill. contra Julianum l. VI.

inde a primis temporibus cruci venerationem exhibitam fuisse.

405. Inde a saeculo IV jam tanta exstat adversariis fatentibus copia documentorum, ex quibus cultum imaginum in usu universali fuisse claret, ut multa afferre plane superfluum esse videatur. Sufficiat citare illa s. Basilii: *Characteres sacrarum imaginum honòro et exosculor eximie, cum hae traditae sint a sanctis Apostolis nec sint prohibitae, imo in omnibus ecclesiis nostris depictae*[1]. Angelos pictos commemorat s. Gregorius Nazianzenus illis verbis: *Cum* (angeli) *corporea forma pinguntur, angelicus est vestitus candor et splendor, ad designandam ni fallor naturalem ipsorum puritatem*[2]. S. Paulinus Nolanus etiam imaginem ss. Trinitatis in basilica expressam his versibus describit: *Pleno coruscat Trinitas mysterio. Stat Christus agno: vox Patris coelo tonat: et per columbam Spiritus sanctus fluit*[3]. — Concludamus hanc probationem ex Traditione petitam definitione Concilii Nicaeni II contra Iconoclastas. Actione VII sacra Synodus sic loquitur: *Sequentes divinitus inspiratum ss. Patrum nostrorum magisterium et catholicae traditionem Ecclesiae, definimus, sicut figuram pretiosae ac vivificae crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quae de coloribus et tessellis, quam quae ex alia materia congruenter se habente, in sanctis Dei Ecclesiis et sacris vasis et vestibus, et in parietibus ac tabulis, domibus et viis; tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris Nostri Jesu Christi, quam intemeratae Dominae nostrae sanctae Dei Genitricis honorabiliumque Angelorum et omnium sanctorum simul et almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur alacrius eriguntur ad primitivorum eorum memoriam et desiderium. Et his osculum et honorariam adorationem tribuendam, non tamen veram latriam quae secundum fi-*

---

[1]) Epist. 300. [2]) Orat. 25 al. 23. n° 2.
[3]) Epist. 32, ad Severum.

dem est, quaeque solam naturam divinam decet, ita ut istis sicut figurae pretiosae aut vivificae crucis et sanctis Evangeliis et reliquis sacris monumentis incensorum et luminum oblatio ad harum honorem perficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquae piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit, et qui adorant imaginem, adorant in ea depicti subsistentiam. Haec doctrina a Concilio generali VIII et a Concilio Tridentino confirmata fuit et vindicata.

Ratio theologica.

406. *Rationes theologicae*, quare usus et cultus imaginum utilis sit atque licitus, exhibentur in ipso decreto Concilii Tridentini quod superius (nº 391) jam attulimus. Per illas videlicet excitamur ad fovendum et significandum amorem ac grati animi sensum in Christum, qui tot beneficiis nos cumulavit; praeclara in memoriam revocantur facta Sanctorum, atque ad eorum imitationem accendimur; propter exemplaria autem quae repraesentantur, etiam imagines merito religiose veneramur. Sane imperatorum imaginibus civilem cultum tribui posse, nemo dubitat. *Qui imaginem coronat imperatoris*, scribit s. Ambrosius, *utique illum honorat, cujus imaginem coronavit: et qui statuam contempserit imperatoris, imperatori utique cujus statuam consputaverit fecisse videtur injuriam.* [1]) Nonne proinde et imaginibus Christi, B. Virginis et aliorum Sanctorum qui cum Christo in coelis regnant, honor et cultus exhibendus est? Et quemadmodum merito principum imagini defertur honor civilis propter dignitatem et praestantiam in ordine naturali, sic horum imaginibus deferendus erit cultus sacer et religiosus, propter eorum excellentiam in ordine supernaturali.

Difficultas ex Scriptura diluitur.

407. Protestantes opposuere cultui imaginum ex Scripturis praecipue illam prohibitionem divinam populo Israëlitico factam: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quae in coelo desuper et quae in terra deorsum, nec eorum quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis*

---

[1]) In psalmum 118.

ea neque coles.[1] Respondemus, omnino perspicuum esse, hac prohibitione nullatenus omnem symbolorum atque imaginum cultum ne Israëlitis quidem interdici. Nam vidimus, ipso Deo mandante arcam et angelorum effigies effectas fuisse; ac nullibi in sacris Litteris Salomon reprehenditur, quod templum Domini multiplici sculptura ornaverit. Illo igitur praecepto interdicitur Israëlitis, ne pro more gentium sibi sculpant et fingant idola falsorum numinum ad ea colenda et adoranda. *Non prohibetur,* inquit s. Thomas, *illo praecepto: Non facies tibi sculptile, facere quamcumque sculpturam vel similitudinem, sed facere ad adorandum; unde subditur: Non adorabis.*[2] Notum est, illo tempore cultum et adorationem simulacrorum ubique gentium et praesertim apud Aegyptios maxime propagatum fuisse. — Calvinus quidem ut probet, omnes imagines a Deo prohibitas fuisse, praetendit, gentiles haud fuisse tam stupidos et hebetes, ut idola pro veris diis habuerint et adoraverint. Sed id vulgo saltem omnino consuetum fuisse, tum Scripturae tum Patrum plurima testimonia probant. Arnobius ad christianam religionem conversus de se ipso testatur: *Venerabar o coecitas, nuper simulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus deos et ex malleis fabricatos.... Tanquam inesset vis praesens adulabar, affabar et beneficia poscebam,... deos esse credebam ligna, lapides, ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia.*[3] Credebant videlicet ethnici generatim et imperita maxime plebs, si-

---

[1]) Exod. 20, 4.

[2]) S. th. p. 3. q. 25. a. 3. — Etiam recentiores interpretes protestantes hac de re jam conveniunt. Sic Rosenmüller in h. l. — Concedi praeterea potest, cum hac prohibitione cohaerere, ut arbitrariae repraesentationes numinis vel angelorum, tanquam populo ad idololatriam prono periculosae, apud Judaeos non essent licitae, quodque generatim minus frequens esset imaginum usus. At vero omnino imagines prohiberi, tantum posteriori tempore Judaei aliqui rigorismo quodam caeco ducti opinati sunt; uti et Flavius Josephus inepte Salomonem accusat, quod sculpturis suis legem Moysis violaverit.

[3]) Contra gentes l. 1.

mulacra esse deos, sive immutatione substantiae, sive infusione potius quadam et incorporatione deorum. Maligni autem spiritus frequenter invasione, possessione et motu simulacrorum talem errorem confirmarunt. Notatu valde dignum est, quod s. Augustinus narrat de Hermete Trismegisto, (quamvis libri ipsi adscripti suppositi esse videantur). *Ille,* inquit, *Aegyptius alios deos dicit a summo deo factos, alios ab hominibus. Hoc qui audit sicut a me positum est, putat dici de simulacris, quia opera sunt manuum hominum: at ille visibilia et contrectabilia simulacra velut corpora deorum esse asserit; inesse autem his quosdam spiritus invitatos, qui valeant aliquid sive ad nocendum, sive ad desideria eorum nonnulla complenda, a quibus eis divini honores et cultus obsequia deferuntur. Hos ergo spiritus invisibiles per artem quamdam visibilibus rebus corporalis materiae copulari, ut sint quasi animata corpora, illis spiritibus dicata et subdita simulacra; hoc esse dicit deos facere, eamque magnam et mirabilem deos faciendi accepisse homines potestatem.* [1])

Objectiones ex Traditione.

408. Quae ex Traditione contra cultum imaginum Patrum afferuntur effata, ejusmodi sunt, ut iisdem nequaquam rejiciatur cultus imaginum legitimus certis limitibus et legibus adstrictus, qualem Ecclesia agnoscit atque tuetur. Sed reprehenditur cultus, qui vel superstitiosus juxta morem et usum gentium institutus, vel eo tempore insolitus erat, et Christianos irrisioni et persecutioni Judaeorum exponere poterat. Singulas objectiones hic percurrere, haud necessarium esse censemus. — Sed pauca dicamus de singulari aliquo facto sanctissimi viri s. Epiphanii, Episcopi Salaminae, quod ex ipsius Epistola ad Joannem Hierosolymitanum cognoscimus. *Praeterea,* scribit, *audivi quosdam murmurare contra me: quia quando simul pergebam ad sanctum locum qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more ecclesiastico facerem, et venissem ad villam quae dicitur Anablatha, vidissemque ibi praeteriens lucernam*

Diluuntur.

[1]) De Civit. Dei l. VIII. c. 23.

ardentem, ... inveni velum pendens in foribus ejusdem ecclesiae, tinctum atque depictum, et habens imaginem, quasi Christi vel Sancti cujusdam; non enim memini, cujus imago fuerit. Cum ergo hoc vidissem in ecclesia Christi contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, et magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent. Paulo post ait, se ex Cypro velum aliud misisse. *Et nunc misi quod potui reperire; et precor ut jubeas presbyteros ejusdem loci suscipere velum a latore, quod a nobis missum est, et deinceps praecipere, in ecclesia Christi ejusmodi vela quae contra religionem nostram veniunt non appendi.* — De hoc facto non una est auctorum sententia. Quidam laciniam ad Epiphanii epistolam ab iconomachis additam putaverunt; alii non Christi vel Sancti alicujus imaginem fuisse, sed profani cujuspiam hominis, quae tanquam Sancti alicujus ibi repraesentabatur. Cum nos lateant circumstantiae totius eventus, difficile est rectum de eo ferre judicium. Si factum verum est, ita explicari posset. Fortasse apud Cyprios nondum invaluerat cultus imaginum, prout jam vigebat in ecclesiis Ponti, Cappadociae, Antiochiae et Constantinopoli, ut testes sunt Gregorius Nyssenus, Basilius et Joannes Chrysostomus, cum quibus s. Epiphanius erat communione conjunctus. Ipse vir ille sanctissimus natus apud Eleutheropolim in Palastina (a. 310), a juventute sua degerat in monasteriis Aegypti et Palaestinae, donec Episcopus Salaminae (a. 367) factus est. In Palaestina Judaeorum patria etiam cultus imaginum forte nondum receptus erat. Hinc non mirum est, si s. Epiphanius visitans patriam suam, quum in ecclesia illius villae Anablatha velum ejusmodi quale describit offenderet, innovationem et rem periculosam judicaret. Quum esset, uti notum est, charactere valde fervidus et vehementissimus vindex orthodoxiae, zelo pio sed intempestivo correptus velum scindit, et rem quam periculosam innovationem credit, contra Scripturas esse pronuntiat; tamen postea ut damnum resarciat, novum velum mittit. Factum igitur illud

plane singulare ex peculiaribus circumstantiis regionum et ex indole s. Epiphanii explicari potest. Neque reverentiam laedimus erga illum Patrem, si animadvertimus, virum qui jam vivens in maxima sanctitatis veneratione erat, quique etiam magna eruditione florebat et singulari vi haereticos rejiciebat, in aliquibus factis, optima quidem intentione, sed minus circumspecte egisse.[1])

Concilium Francofurdiense.

409. Difficultas etiam movetur ex factis concilii Francofurdiensis, sub Carolo M. a. 794 celebrati, cui interfuerunt multi Episcopi ex Gallia, Germania et Italia collecti, nec non legati Romani Pontificis Hadriani I. Illud igitur concilium rejecit synodum Nicaenam II, ejusque doctrinam de cultu sacrarum imaginum non admisit. — Jam diximus, errore quodam facti ex defectu versionis Latinae evenisse, ut Patres Francofurdienses recipere nollent acta Concilii Nicaeni. Habebatur videlicet in illis professio quaedam fidei a Constantino Episcopo Cyprio data et a Concilio approbata. Textus Graecus originalis ferebat haec verba: *His consentio et concors efficior cum honore amplectens sanctas ac venerandas imagines: adorationem autem quae fit secundum latriam tantummodo supersubstantiali et vivificae Trinitati defero.* Hanc professionem orthodoxam verterat ita Latinus interpres: *Suscipio et amplector sanctas et venerabiles imagines secundum servitium adorationis, quod consubstantiali Trinitati emitto.* Doctrinam igitur erroneam a Concilio Nicaeno II sancitam esse existimarunt Episcopi Francofurdienses, indeque ortae sunt controversiae eo tempore de cultu imaginum agitatae; mox tamen cura Rom. Pontificum pax restituta est. — Quodsi vero in libris hac

---

[1]) Sic difficultates habuit cum Joanne Hierosolymitano, qui laesam suam jurisdictionem conquerebatur ab Epiphanio. Etiam circumventus ab inimicis s. Joannis Chrysostomi senex nonagenarius ad eorum conventum profectus est Constantinopolim, ibique se gessit pariter, ordinationes quasdam conferens, ac si in sua versaretur dioecesi. Sed simulatque sanctus senex admonitus errorem advertit, innocentiamque s. Joannis intellexit, cum ipso pacem et amicitiam iniit, et concilium malignantium festinanter reliquit.

occasione exaratis, e. g. in *Libris Carolinis IV*, uti quidam auctores cum Petavio censent, doctrina proponitur non sana, qua statuatur videlicet, imagines nec destruendas esse nec colendas, sed simpliciter in memoriam Sanctorum retinendas; ex his nulla difficultas contra dogma colligi potest. Fuerunt isti naevi opinionis erroneae virorum, qui doctrinam veram Ecclesiae non satis perspectam habebant.[1])

Imagines miraculosae et peregrinationes.

410. Cavillantur postremo protestantes, quod Catholici unam imaginem prae alia colunt, imo et imagines miraculosas habent et peregrinationibus honorant. Eo ipso contendunt patere, a Catholicis superstitione inani credi, talibus imaginibus excellentiam quamdam et specialem virtutem inesse. — Respondemus, Catholicos tenere cum Concilio Tridentino, imaginibus *non inesse aliquam virtutem propter quam sint colendae*,[2]) nec eos insitam quamdam specialem excellentiam quibusdam imaginibus tribuere. Rationes, ob quas una imago prae altera interdum colitur, sunt extrinsecae; plerumque eo reducuntur, quod Deus pro sapientia sua B. Mariam V. vel alios sanctos in hoc potius quam in alio loco praecipuo ac speciali cultu honorari velit, et ideo liberalius beneficia sua etiam modo prodigioso ibi et non alibi elargiatur. Sic etiam ad piscinam sanitas illi concedebatur, *qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae ab angelo factam.*[3]) Nonnunquam quaedam assignari possunt relate ad particularia loca vel speciales imagines causae probabiles, cur divina sapientia ita sese quoad eadem gerat. Sed saepe etiam nos plane latent ejusmodi ra-

---

[1]) Plura de his vide apud Petavium de Incarn. l. XV. c. 16 Natal. Alexand. Dissert. VI in saec. VIII.; Trombellium Diss. X.

[2]) Sess. XXV. Decret. de invoc. Sanctorum. — Etiam Innocentius III loquens de quadam imagine B. Mariae Virginis, quae habebatur picta a. s. Luca et insigni veneratione Constantinopoli colebatur, ea scribit: »Licet nos opinionem illam qua quidam Graeci existimant, quod spiritus B. Mariae Virginis in praedicta imagine requiescat, minime approbemus.« Innoc. libr. 9. ep. 241.

[3]) Jo. 5, 4.

tiones, sicuti jam s. Augustinus animadvertit, qui praeclare hac de re disserens omnem protestantium calumniam veluti praeoccupavit. *Ubique quidem,* scribit, *Deus est, et nullo continetur vel concluditur loco qui condidit omnia, et eum a veris adoratoribus in spiritu et veritate oportet adorari, ut in occulto exaudiens, in occulto etiam justificet et coronet. Verumtamen ad ista quae hominibus visibiliter nota sunt, quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis locis haec miracula fiant, in aliis non fiant?... Sicut, quod Apostolus dicit: Non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem spirituum,*[1] *ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique prout vult.*[2]

Cultus s. crucis.

Scholion. — *De sancta cruce.* 411. Quae de sancta cruce statuenda sunt facile ex iis colliguntur, quae de cultu reliquiarum atque imaginum exposuimus. Quapropter novam demonstrationem, qua probetur sanctam crucem Christi veram, nec non crucis imagines esse colendas semperque in sacro honore habitas fuisse, non instituimus, sed paucis sufficiat summam doctrinae catholicae colligere. — Itaque 1° Vera crux Christi, in qua Salvator mundi pependit, summo honore sacro veneranda est. Talis cultus cruci Domini inde ab eo tempore, quo s. Helena eam invenit praestita fuit omnibusque particulis ejus, quae ut inaestimabiles thesauri in universum mundum distributae fuerunt. Jam initio saeculi IV s. Paulinus ejusmodi particulam dono

---

[1]) 1 Cor. 12, 30.

[2]) Epist. 178. — Notari hoc loco possunt tres praescriptiones Concilii Tridentini, ut in cultu imaginum quae inconvenientia sunt vel superstitiosa vitentur. 1° Abusus si qui irrepserint eos prorsus aboleri cupit (s. Synodus), ita ut nullae falsi dogmatis imagines et rudibus erroris occasionem praebentes statuantur. 2° Statuit, nemini licere ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit. 3° Omnis lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur nec ornentur. Sess. XXV. Decreto de invoc. Sanct.

mittens Sulpitio Severo: *Magnum*, scribit, *in parvo munus, monimentum praesentis pignusque futurae salutis tibi damus.*[1] — Crux vera ejusque particulae habent rationem pretiosissimae reliquiae. Crux enim est ara illa, in qua Christus se Patri obtulit, quamque suo contactu et suo sanguine sacravit. Qualis cultus cruci verae praestandus sit, colliges ex iis quae superius juxta Bellarmini sententiam statuimus. Videlicet veneranda est cultu relativo inferioris ordinis, qui analogice ad cultum latriae reduci potest.[2] Idem dicendum est de aliis reliquiis similibus, ut de clavis, corona spinea ac lancea, necnon de reliquia sacri Cruoris Christi.[3] 2° Imagines sanctae crucis, sive in iis corpus ipsius Domini repraesentatum sit, sive sine corpore sit crux figurata, pariter in summo honore sacro habendae sunt. Id per se patet; sunt enim imagines ipsius Christi Salvatoris nostri. Atque hac in re crux sine corpore aequiparatur imagini crucifixi ob intimam illam relationem, quam crux per se ad Dominum habet. Unde jam sequitur, quo cultu crucis imago veneranda sit. Est videlicet pariter honoranda cultu relativo inferioris ordinis, qui ad cultum latriae analogice reducitur. 3° Antiquissimus ac saluberrimus summoque in honore habendus est usus formandi crucem in aëre, fronte vel pectore. Protrita nec tamen omittenda hic sunt illa verba Tertulliani: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad mensas et lumina, ad cubilia et sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostulas Scripturarum nullam invenies: traditio tibi praetendetur auctrix,*

---

[1]) Ad Sulpitium Severum ep. 1.

[2]) S. Thomas quidem dicit, cultu relativo latriae crucem colendam esse (S. th. p. 3. q. 25. a. 4.); sed jam exposuimus rationes, cur Bellarmini modum loquendi praeferamus.

[3]) Cfr. Du culte du saint Sang etc. par Mgr. J. B. Malou; 2me édition Bruges, Épse Vanhee-Wante, 1869.

consuetudo confirmatrix.[1]) Duplicem hujus caeremoniae crucis formandae fructum causamque ss. Patres commemorant. Aut enim christianae fidei religionisque profitendae gratia, aut ad emerendam utilitatem aliquam, id institutum esse demonstrant. Quod ad utilitatem hanc attinet, crucis signo armamus nos contra insidias malignorum spirituum, Dei auxilium in difficultatibus et tentationibus, ejusque benedictionem pro quacumque re imploramus. Profecto quum Christus Dominus in cruce mundum redemerit ac diabolum vicerit, adeoque crux hujus victoriae sit signum perenne, haud mirandum est, quod Deus crucis signo etiam virtutem peculiarem contra inimicos salutis nostrae tribuerit, illique crucis signum horreant atque fugiant.[2]) Omnes pariter gratias et omnia beneficia Dei in ordine supernaturali Christus per oblationem suam in cruce nobis meruit, indeque jam crux instrumentum est vitae et fons salutis. Hinc etiam Ecclesia in benedictionibus suis, quibus multiplices efflagitat Dei gratias, signo utitur crucis, idemque signum fidelibus est medium praeclarum petendi easdem gratias.

---

1) De corona militis c. 3.

2) Inde illa formula Ecclesiastica adjurandi malignos spiritus: Ecce crucem Domini, fugite partes adversae. — Horror et odium crucis cum malignis spiritibus commune est haereticis. Wiclefitae, protestantium praecursores, teste Thoma Waldense vocarunt imagines crucis putridos truncos, cultuque minus dignas quam arbores silvarum; has enim vivere, illas nequaquam. Calvinus ipse, ut refert Gulielmus Reginaldus, Calvino-Turcismi l. II. c. 18., odio erga sacras crucifixi imagines impulsus prohibuit, ne imago Christi crucifixi e collo gestaretur. Paruerunt Calvinistae, et loco imaginis Christi gestarunt aureas argenteasque Calvini imagines. De quo quum quidam Calvinum admonerent, respondit: »Si quis hoc spectaculo offenditur eruat sibi oculos, vel abeat cito et suspendat se.« Bezae alterius pseudoreformatoris Genevensium illa memoriae tradita sunt impia verba: »Fateor, me ex animo crucifixi imaginem detestari.« »Lutherus in Concione de inventione Crucis clamabat: »Ad diabolum cum ejusmodo imaginibus: nullius enim boni causa sunt... Ubi crux adoratur auroque et gemmis ornatur, ibi imagines crucis confringendae

412. Sed qui de crucis cultu ac laudibus plura desiderat, adeat eos auctores qui fusius hac de re tractarunt.[1]) Nobis pauca haec addere satis sit, quibus et Tractatum de Verbo incarnato apte concludimus. Omnium signorum atque symbolorum quae in christianismo usu veniunt nullum est, quo totius doctrinae et vitae christianae indoles splendidius exprimatur, quam symbolum crucis. Quum redemptio nostra in cruce sit consummata, quumque illud signum appariturum sit in nubibus coeli quando Christus venturus est ad judicium, per crucis mysterium veluti per synecdochem quamdam totus Christianismus exhibetur, quatenus oeconomiam supernaturalem Dei integram complectitur. Crux est symbolum *fidei* nostri, quia per hoc signum profitemur fidem in eum, qui per mortem nos crucis redemit. Crux est symbolum *spei* nostrae, quia signum est victoriae illius, quam de morte atque diabolo Christus reportavit, et triumphi ejus omniumque electorum in ultimi die judicii. Crux symbolum est *amoris*, quo dilexit nos ille, qui factus est obediens usque ad mortem crucis, adeoque et *caritatis*, qua fidelis christianus Deo ac Salvatori suo unitur. — Sed crux symbolum quoque est *vitae* ac *virtutis* christianae. Etenim vitae vere christianae summa consistit in abnegatione sui, humilitate et mortificatione, continuoque aliarum virtutum difficilium exercitio. Christus autem crucis symbolo hanc vitam nobis exhibet dicens: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.*[2]) Ipse rex noster et dux etiam crucis viam omnibus monstravit fidelibus, exemplum nobis relinquens, ut

---

sunt et templa ipsa funditus subruenda.« Hinc etiam protestantes ubique cruces everterunt, nec super sepulchra sua hoc signum salutis ipsi erigunt, ita ut vere dici possit odium signi salutis ipsis ut signum reprobationis inhaesisse. Tantum recenti tempore, uti animadvertimus, vesanum furorem plures mitigarunt.

[1]) Cfr. Petav. de Incarnat. l. XV. c. 7. 11. — Jacobum Gretserum de Cruce.

[2]) Luc. 9, 23.

sequamur vestigia ejus. — Hac igitur via regia crucis nobis est incedendum, ut pars nostra non sit cum inimicis crucis Christi *quorum finis interitus*[1]), sed cum illis, quibus doctrina crucis Dei virtus est ad salutem aeternam. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est.*[2])

---

1) Philipp. 3, 18. 2) 1 Cor. 1, 18.

INDEX

TRACTATUS DE VERBO INCARNATO.

PARS SECUNDA.

DE MYSTERIO REDEMPTIONIS.

CAPUT I. De Christo hominum Redemptore.

Index alphabeticus rerum.

N.

O.

P.

R.

S.

A. M. D. G.

ERRATA.

Pag.	Lin.	Loco.	Corrige.
3	5	que	quae.
9	25	nostri	nostrae.
33	15	vindicaveret	vindicaverat.
54	8	resuscitarit	resuscitavit.
61	35	dolore	dolori.
62	23	domo	domi.
79	15	fiere	fieri.
123	28	colliditur	colligitur.
176	22	Monotheletee	Monotheletae.
192	28	proprie dictaereum	proprie dictae reum.
196	30	hi	hic.
269	ult.	Gr.	Cfr.
272	»	illi	illa.
326	29	conversus	conservus.
353	ult.	virgines	virginis.
363	35	Pro edant	Procedant.